AURELI AUGUSTINI MILLIARII ... SELECTORUM EX LIB. 4. INSTITUTIONUM...

Aurelio Agostino Miari

SELECTORUM
EX LIB. IV. INSTITUTIONUM
Juris Canonici.

A LANCELLOTTO CONSCRIPTARUM
Compendiosa Explicatio.

Quæ facili ediſcas ſtudio; parvoque labore
Canonici hìc Juris dogmata Lector habes.

AURELII AUGUSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO Pandectarum Publici Interpretis.

SELECTORUM

EX LIB. IV. INSTITUTIONUM Juris Canonici

A Lancelotto Conscriptarum, Compendiosa Explicatio.

ROMÆ,
Typis, Ioannis Francisci de Buagnis. MDCXCIV.

SUPERIORUM PERMISSU.

Imprimatur;

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sacri Palatii Apostolici.

Sperellus Episcopus Interemnen. Vicesgerens.

Ex commissione Reverendissimi P. Mag. Sac. Pal. Apostolici, D. Aurelii Augustini Milliarii Archigymnasii Romani publici Pandectarum Interpretis* Selectorum ex Lib. iv. Institutionum Iuris Canonici *cōpendiosā Explicationem perlegi, nihilque in ea reperi fidei Catholicæ, aùt Christianis moribus repugnans: quinimmo clara, ac facili methodo doctas perutilesque Iuris Canonici studiosis Prælectiones continet. Quare censeo prelum, & publicam lucem mereri.*

Fr. Iacobus Riccius Professor Theologiæ in Archigymnasio Romano, Proc. Generalis Ordinis Præd., & Examinator Apostolicus Cleri in Vrbe.

Imprimatur.

Fr. Franciscus Maria Forlani Reuerendissimi Patris Sacr. Apost. Palatii Magistri Socius Ord. Præd.

INDEX
TITULORUM INSTITUTIONUM
Juris Canonici.

A

ACcusationibus, denũciationibus, & Inquisitionibus. pag. 307.
Adulteriis, & aliis conjunctionibus illicitis. 334.
Appellationibus. 293.
Arbitris. 241.

B

BAptismo, & ejus effectu. 130.

C

CAnonica portione. pag. 203.
Capellis Monachorũ. 196.
Censibus, exactionibus, & procurationibus. 192.
Clandestina despẽsatione. 166.
Clericis non residentibus. 113.
Coaditore. 44.
Collationibus. 79.
Cõmunia tam majorũ, quã minorum ordinum. 62.
Confirmatione electionis. 23.
Consecratione. 29.
Construendis, cõsecrandis, & reparãdis Ecclesiis, & altaribus. 179.
Corepiscoporũ usu sublato 47.
Crimine falsi. 337.

D

DEcimis. 208.
Depositione, seù degradatione. 54.
Divortiis. 170.
Dolo, & contumacia, & in possessionem missione. 247.
Duplici purgatione. 310.

E

ECclesiasticis censuris. 343.
Ecclesiasticis Constitutionibus. 4.
Ecclesiastico Interdicto. 362.

Ele-

Electione. 11.
Episcopis, & Summo Pō-tifice. 8.
Euchariſtia. 143.
Exceptionibus,& Replicationibus. 253.
Executione rei judicatæ. 291.
Extrema unctione. 146.

F

FUrtis. 329.

H

HÆreticis, Schiſmaticis,& Apoſtatis. 319
Homicidio. 338.

I

IIs,qui ſunt in minoribus ordinibus cōſtituti. 60.
Iis, qui ſunt in Sacris conſtituti. 58.
Immunitate Eccleſiarū, & ſubjectione. 188.
Injuriis, & damno dato. 341.
In Jus vocando. 244.
Inſtitutionibus, & Jure Patronatus. 101.
Iudiciis, & illorum diviſione. 221.
Juramento calumniæ. 271.
Jure Canonico. 1.
Jure divino, cōſuetudine, & conſtitutionibus. 2.
Jure perſonarum. 7.

L

LIbelli conceptione, & oblatione. 251.
Litis conteſtatione. 268.

M

MUtuis petitionibus 260.

N

NVptiis. 155.

O

Officio Archidiaconi. 38.
Officio Archipræsbyteri. 39.
Officio Vicarii. 41.

P

PActis, & Tranſactionibus. 239.
Peculio Clericorum, relictis, & ſucceſſionibus eorum. 217.
Pœnitentiis, & remiſſionibus. 137.
Poſtulatione. 21.
Præbendis, & aliis beneficiis. 77.

Pro-

Probationibus. 275.
Procuratoribus 232.

Q

QVæ matrimonium impedire possunt. 156.
Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari. 168.
Qui eligere, eligive possint. 17.
Qui promoveri nõ possint. 67.

R

REbus sacris, sanctis, & religiosis. 179
Rebus Ecclesię alienandis, vel non. 213.
Receptione, & auctoritate pallei. 31.
Regularibus, & Monachis. 115.
Religiosis domibus. 197.
Renunciatione. 50.
Rerum divisione. 125.
Restitutione in integrum. 304.
Restitutione spoliatorum. 264.

S

SAcerdotibus in inferiore gradu cõstitutis. 57.
Sacramentis. 127.
Sacramẽto chrismatis. 135
Sacramento matrimonii. 147.
Sacramento Ordinis. 147.
Sacris, Sanctis, & Religiosis. 179.
Sententia Excommunicationis. 343.
Sententiis, & re judicata. 286.
Sepulturis. 199.
Simonia. 312.
Sortilegis, Maledicis, & Sacrilegis. 325.
Sponsalibus. 149.
Suspensione. 368.

T

TRanslatione. 47.
Triplici cognatione. 162.

V

VIta, & honestate Pręlatorum 34.
Unionibus Ecclesiarũ. 185
Usuris. 330.
Ut lite pendente nihil innovetur. 274.

FINIS.

AUGUSTINUS MILLIARIUS.

A ureus Interpres Juris morumque M agiſter
U era doces ; & magna jubens majoribus I mples
G eſtis verba tuis ; ſcriptos in jure L ibellos
U irtutum ſplendore probas, quos ſæpe L egendo
S e ſuperet Juſti ſtimulis agitata I uventus,
T e, nomenque tuum Populus Romanus A dorat,
I nque tuis gaudet meritis ſe vincere R oma,
N amque tibi debet majora Oracula I uris :
U rbs hæc cenſura eſt Orbis, Tu Cenſor in U rbe ;
S i benè cenſori parebit honeſta S equetur.

Joſeph de Rubeis Taurinen.

JUſtiniana priùs facili cum ediſſeris arte,
Nunc Sacra Pontificum Jura docere ſtudes.
Ordine, quæ longo Docti ſcripſere priores,
Tu paucis ſcribis, granaque ſola metis.
Quicunque ergo cupit perfectè addiſcere leges,
Utrumque attentè perlegat ipſe librum.

Joannes Petrus Semideus à Botio Cyrneus.

AURE-

AURELII AUGUSTINI MILLIARII IN ARCHIGYMNASIO ROMANO Pandectarum Publici Interpretis.

SELECTORUM EX LIB. I. INSTITUTIONUM Juris Canonici,

A Lancelotto Conscriptarum, Compendiosa Explicatio.

De Jure Canonico.

TITULUS PRIMUS.

IUS (*a*) generale nomen est, multas sub se continens species, ut in *c.* 1. *& seq. dist.* 1. Jus verò illud, de quo nos acturi sumus, Canonicum dicitur à verbo Græco CANON, quod Latinè idem significat quod regula: Unde Jus Canonicum jus regulare non malè dixeris: eò quod ex regulis priscorum Patrum, ad rectam vivendi normam institutis deductum fuerit.

Est igitur Jus Canonicum, quod Civium actiones (Idest, Christianorum, seù Fidelium operationes) ad finem æternæ beatitudinis dirigit. Jus enim (*b*) Canonicum principaliter intendit dirigere hominem ad bonum commune, secundum quòd congruit humanæ societati christianè viventi, & vitam aliam æternam expectanti, *gl. hic*.

Conſtat verò in primis Jus Canonicum divinæ legis præceptis, conſuetudine, & conſtitutionibus, de quibus ſingulis videbimus in ſeq. Tit.

a *Jus autem eſt dictum: quia juſtum eſt, c.2.diſt.1.*

b *Jus verò Civile intendit hominem inducere in bonum commune, ſecundum quod congruit humanæ ſocietati civiliter, ac temporaliter viventi, gl.hic.*

De Jure Divino, Conſuetudine, & Conſtitutionibus.

TITULUS SECUNDUS.

JUS Divinum eſt quod in (*a*) lege continetur, & Evangelio, atque immutabile ſemper permanet. Sunt enim Legis,& Evangelii præcepta,aùt moralia, aùt myſtica. Moralia præcepta nullam omninò (*b*) mutabilitatem recipere poſſunt: Myſtica verò, etſi quantum ad ſuperficiem mutata videantur; ſecundum moralem tamen intelligentiam nullam mutationem recepiſſe comperiuntur. Sunt autem (*c*) moralia præcepta, quæ ad morum diſciplinam ſpectant, qualia ſunt: Non Occides, non Mœcaberis, & alia Decalogi præcepta. Myſtica verò ſunt, (*d*) quæ aliud præter id, quod videtur, continent, vel aliud ſignificant, quam quod litera ſonat, ut eſt illud: Non arabis in bove ſimul, & aſino. (*e*) Ideſt, homines diverſæ profeſſionis in officio uno non ſociabis. *c.in nona actione 16.qu.7.* Quamvis autem, ut dictum eſt, Jus Divinum ſit immutabile, poteſt tamen limitari, & diſtingui à lege poſitiva, ſi probabilis ratio id ſuadeat. Quod maximè procedit quando præcepta videntur eſſe inter ſe contraria, ut ſunt illa. Non occides, (*f*) & qui occiderit, occidatur.

a *In lege Moſaica.*

b *Vide c.non eſt peccatum, §.His itaque, diſt.6.*

c *Vide Vallenſ.in Parat.Jur.Can.in Proœm.§.4.num.5.*

d *Ex gl.hic.*

e *Ut*

e *Ut infrà de offic. Vicarii, §. Debet.*

f *Non enim quælibet occisio hominis esse Jure Divino prohibita, sed quæ fit auctoritate priuata, extra casum necessariæ defensionis.*

Ad §. Jus Consuetudinis.

COnsuetudo (*a*) est jus quoddam moribus institutum, quod pro lege suscipitur. Unde etiam æquè punitur contemptor consuetudinis, ac trangressor legis. Ad hoc tamen ut consuetudo vim legis habeat, debet esse rationabilis, & rationabilis dicitur, quæ neque Divino Juri, neque Canonicis contradicit institutis.

a *Vocatur autem consuetudo, quia in communi est usu. c. consuetudo, §. Porro, dist.* 1.

Ad §. Constitutio.

COnstitutio est lex (*a*) scripta. Et dicitur Constitutio, quasi communis statuitio, vel quia nullo privato commodo, sed pro communi Civium utilitate debet esse conscripta. *c. erit autem lex, distinct.* 4. Vel quia Princeps cum communi consensu Procerum, & Senatus legem condit, *l. humanum* 8. *C. de legibus*. Constitutionum autem aliæ Civiles, aliæ Ecclesiasticæ. Civiles sunt, quas Princeps, aùt Magistratus, aùt Populi sibi met ipsis sanciunt. Quibus Ecclesia sæpè contra Hæreticos, contra Tyrannos, & quoscunque pravos, utitur. Non tamen ligatur Ecclesia Civilibus Constitutionibus: Et quamvis in eis quid Statutum fuerit, quod Ecclesiarum respiciat commodum, & favorem, id nihilominus nullam (*b*) habet firmitatem, nisi ab Ecclesia fuerit comprobatum. Sed quia non est nostri instituti agere de Constitutionibus Civilibus, ad Ecclesiasticas Constitutiones stylum vertamus.

a *An scriptura sit de essentia, vel forma Constitutionis; Vide hic in gl. & addit.*

b *Quia Laici de Ecclesiis statuendi poteštate carent.*

De Ecclesiasticis Constitutionibus.

TITULUS TERTIUS.

CAnonum (*a*) quidem alii sunt Statuta Conciliorum, alii Decreta Pontificum, aùt dicta Sanctorum. Licèt enim Canon propriè sumatur pro Constitutione Conciliari: largè tamen etiam Decreta Pontificum, aùt dicta Sanctorum, Canonum appellatione continentur. Conciliorum verò alia sunt universalia, quæ etiam (*b*) Oecumenica consueverunt appellari, alia Provincialia, alia verò Episcopalia.

a *Idest, Constitutionum Ecclesiasticarum.*

b *Oecumenica Synodus dicitur illa, quæ universalis est, & ad totum Orbem pertinet.*

Ad §. Universalia.

COncilia Universalia sunt, quæ Sancti Patres ex universo Orbe in unum convenientes juxta Fidem Evangelicam, & Apostolicam condiderunt. Legitima verò Conciliorum universalium aggregandorum potestas, & auctoritas est penès Sedem Apostolicam: *Concil. Trid. in Bulla resumptionis Concilii sub Julio III.* Unde Concilia universalia, sine Summi Pontificis auctoritate congregata, non sunt Concilia, sed conventicula, vel conciliabula. *c. 1. 2. & 5. dist. 17.* In Conciliis autem universalibus decet Romanum Pontificem interesse, qui tamen, si (*a*) impediatur, unum, vel plures speciales ad hoc legatos constituere solet. Inter cœtera autem Concilia universalia quatuor sunt, quæ totam principaliter Christianam Fidem complectuntur, quasi quatuor Evangelia: Nicenum scilicèt, Constantinopolitanum, Ephesinum, & Calcedonense. Et Imperator Justinianus *in A. de Ecclesiasticis Titulis cap. 1.* Prædictarum quatuor Synodorum dogmata sicut Sanctas Scripturas accepit, & regulas sicut leges observari præcepit. Alia verò Concilia universalia,

pro-

proximum ab istis sibi locum vindicant. Quod si quando inter ea discors sententia inveniatur, illius sententia magis est tenenda, cujus antiquior, & major est auctoritas. Quod tamen debet intelligi, cum ambæ Constitutiones sunt particulares, & locales. *c. in Canonicis dist.19.* Sed si ambæ sunt generales, semper posterior præjudicat. *cap.1.de cognat.spir. l.non est nouum, ff.de legibus, glos.ult.hic.*

a *Vide gl.hic in Verbo, Impediatur.*

Ad §. Provincialia.

PRovincialia Concilia sunt, quæ propter Ecclesiasticas causas, & altercationum sedationes per singulas Provincias, convocante (*a*) Metropolitano Episcopo omnes Provinciales Episcopos, & Cathedralium Ecclesiarum Capitula, celebrari placuit. Quod si Metropolitanus sit legitimè impeditus, Coepiscopus antiquior, Provinciale Concilium convocabit. *Concil. Trid. sess.24. cap.2. de reform.* & debent Provincialia Concilia convocari quolibet saltem triennio post octavam Paschæ Resurrectionis Domini, seù alio commodiori tempore pro more Provinciæ. *Idem Concil.ubi suprà.* Et animadvertite, quod Ecclesiarum Cathedralium Capitula admittuntur in Conciliis Provincialibus, non ad decidendum, sed ad assidendum, & tractandum: & sic habent solum votum consultiuum, non decisiuum. *Abb. in cap. ult.sub n.2. de his, quæ fiunt à Præl. &c.* Possunt autem (*b*) Provincialia Concilia, Provinciales Canones condere: generales autem, aùt de maioribus negotijs, non possunt.

a *Vel legato Sedis Apostolicæ. Abbas in cap.quod translationem sub num.7.de offic.leg.*

b *Gl.hic, & in princ.dist.18.in Verbo, Constituendum.*

Ad §. Episcopalia.

EPiscopalia Concilia sunt, quæ (*a*) Episcopus in sua Diœcesi singulis (*b*) annis convocat, dum inter suos Abbates, Presbyteros, & Clericos cognoscit. Quod si Episcopus

justo

justo impedimento detineatur, alium in dignitate Ecclesiastica constitutum, puta Procuratorem, aùt Vicarium suum Generalem, deputare potest, qui loco ipsius Synodum celebret, & ei præsit. *c.Episcopus dist.*18. *Vallens.in Proœm.Decretal.* §.10. *num.*10. Si quid autem in Episcopalibus Conciliis ab Episcopo statutum (*c*) fuerit, nec subditi extra Diœcesim constituti, neque ignorantes, nisi sit ignorantia (*d*) supina, ligantur, ideòque ad tollendam ignorantiæ allegationem, quæ in illis constituta fuerint, Episcopus suis plebibus nota facere non omittat. Debet etiam unusquisque Episcopus subditis suis notificare, (*e*) quæ in Concilio Provinciali acta sunt. *c.decernimus*, *dist.*18.

a *Vel Sede vacante Capitulum Cathedralis Ecclesiæ*, *Vallens. in Proœm.Decret.*§.10.*num.*10.

b *Conc.Trid.sess.*24.*de refor. cap.*2.

c *An talia Statuta sint perpetua*, *etiam post obitum*, *vel recessum Episcopi*, *vide hic in gl.*

d *Quæ est si quis dicat: se ignorare*, *quod est notum omnibus*, *gl. hic*.

e *Postquam redierit à Concilio intra sex menses*. *d. c. decernimus*.

Ad §. Decreta quoque.

DEcreta quoque Pontificum Romanorum Canonibus Conciliorum universalium pari potestate exæquantur. Immo omnes Constitutiones Ecclesiasticæ vim habent à potestate Summi Pontificis. *c.cuncta per mundum* 9.*qu.*3.

Ad §. Alia sanè.

DIcta verò Sanctorum Virorum, vel sacræ paginæ Interpretum, quæ Sacris Canonibus intersersta sunt, (*a*) parem quidem cum eis obtinent firmitatem. Tunc enim censentur emanare à Pontifice, cum nostra faciamus, quibus auctoritatem nostram impertimur. *cap. Si Apostolicæ* 22. *de præbend.& dignit. in* 6. *l.*1. §.*Sed neque*, *C.de vet. jur.enuc.* Cœtera

verò

verò, quæ Sacris Canonibus interſerta non ſunt, poſt Decreta Pontificum auctoritatem tenent. Nàm ſtatuendi, & definiendi poteſtas, non Interpretibus, ſed Summis Pontificibus data eſt.

a *Ut in cap. 2. 3. 4. & 5. de Conſtit. & alibi ſæpè.*

Ad §. Verſatur autem.

VErſatur autem Jus Canonicum circa tria, circa perſonas, res, (*a*) & judicia. Et quia res, & judicia ad perſonas referuntur, videamus prius de perſonis.

a *Non dicit Actiones: quia de Jure Canonico ſolemnitas exquiſita actionum, & rigor ſunt ſublati.*

De Jure perſonarum.

TITULUS QUARTUS.

PErſonarum genera duo (*a*) ſunt, unum Laicorum, alterum verò Clericorum. Laici ſunt, quibus licet temporalia poſſidere, uxorem ducere, cauſas agere, inter virum, & virum judicare. Et Laici dicti ſunt à verbo græco LAOS, quod ſignificat populum. *c. duo ſunt* 12. *qu.* 1. Unde etiam populares dici poſſunt.

a *Converſi, regulares, Eremitæ non conſtituunt diverſas ſpecies, ſed reſoluuntur, vel rediguntur ad iſtas duas. Vide gl. hic.*

Ad §. Clerici.

CLerici ſunt, qui divinis officiis mancipati ſunt: & quos ab omni (*a*) ſtrepitu ceſſare convenit. Unde, licet & Clericis pleraque ſint licita, quæ permittuntur Laicis: magis tamen convenit ab omni ſtrepitu ceſſare, ne talibus curis avocentur à divinis. *c. duo ſunt* 12. *quæſt.* 1. Et Clerici dicti ſunt à CLIROS, quod eſt ſors, vel hæreditas, quia in ſua ordinatione,

tione, vel assumuntur in hæreditatem domini, vel assequuntur hæreditatem in ipso. *cap. Cum secundum Apostolorum 16. de præb. & dig.* Videamus igitur de Clericis. Nam si cognoverimus qui sint Clerici, simul etiam, & qui Laici sint intelligemus.

a *Unde Clericus non potest esse Procurator judicialis Laici, neque Advocatus coram Judice sæculari, neque Judex inter Laicos. ex Ricc. hic in addit.*

Ad §. Horum autem.

CLericorum autem quidam sunt in Sacerdotio, ut Episcopi, (*a*) & Presbyteri, & Episcopi sunt in altiore gradu, vel ordine positi, Presbyteri verò in inferiore: quidam sunt in sacris, ut Diaconi, & Subdiaconi: quidam nec in Sacerdotio, nec in sacris, ut constituti in minoribus ordinibus. De quibus omnibus videbimus in sequentibus Titulis, servato ordine, quo positi sunt hoc loco.

a *Cardinales autem sunt in ordine Episcoporum, Presbyterorum, vel Diaconorum.*

De Episcopis, & Summo Pontifice.

TITULUS QUINTUS.

IN fine Tituli pręcedentis proposuimus tractare primùm de Sacerdotibus in altiore gradu positis. Rectè igitur nunc proponitur Titulus de Episcopis, & Summo Pontifice: ipsi enim snnt Sacerdotes, qui in altiore gradu positi sunt.

Episcoporum autem alii sunt Patriarchæ, sivè Primates, alii Archiepiscopi, alii simpliciter Episcopi.

Ad §. Patriarchæ.

PAtriarchæ sunt, qui primum post Romanum Pontificem tenent locum, quales (*a*) Constantinopolitanus, Alexandrinus, Hierosolymitanus, Antiochenus. Unde secundum

dum quoſdam, quando ſunt coram Papa, vel in Conſiſtorio publico Patriarchæ hic nominati prçcedunt Cardinales. Hodie tamen abſque ulla contradictione ſervatur, quod omnes Cardinales, tàm qui ſunt Epiſcopi, quàm presbyteri, & Diaconi præcedant omnes Patriarchas. Appellantur autem Patriarchæ, (*b*) quia ſummo honore fruguntur quaſi Patrum Principes. Unde ob dignitatis excellentiam, poſſunt crucem ante ſe ubique (*c*) deferre, niſi in Urbe Romana, & ubicumque Summus Pontifex prçſens extiterit: aùt eius legatus utens Inſigniis Apoſtolicæ dignitatis: Et ſi Epiſcopi exiſtentes in Prorovinciis Jurifdictioni Patriarcharum ſubiectis, graventur ab Archiepiſcopis, poſſunt Patriarchæ appellationes (*d*) eorundem Epiſcoporum recipere. *tex. hic, juncto cap. antiqua 23.§. dominicæ verò, de privilegiis*. Cauſæ tamen criminales majores contra Epiſcopos, à ſolo Summo Pontifice cognoſcuntur & terminantur, minores verò à Concilio tantùm Provinciali, vel à deputatis per Concilium provinciale. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 5. de reform.*

a *Alii Patriarchæ, præter hos quatuor, potiùs dicuntur Primates, & impropriè nuncupantur Patriarchæ.*

b *Patriarcha dicitur ab archos, nomine græco, quod eſt Princeps: Ideſt, Princeps patrum.*

c *Archiepiſcopus ſolùm in ſua Provincia, non in aliena poteſt Crucem ante ſe defferre, niſi muniretur privilegio, conſuetudine, vel præſcriptione gl. hic.*

d *Vide in ſeq. §. Verſ. Eſt tamen notandum.*

Ad §. Archiepicopi.

ARchiepiſcopi ſunt unius Provinciæ Epiſcoporum Principes, & Præſules. Et ſecundum aliquos, Decem, vel undecim Epiſcopos ſuffraganeos (*a*) habere debet quis, ut Jure appellari poſſit Archiepiſcopus. Obſervantia tamen habet, ut Archiepiſcopus appelletur etiam is, qui longè pauciores habet ſuffraganeos, quàm decem, cui eſt ſtandum. *gl. hic. Eſt tamen not.* quod licèt Patriarchæ, *ut ſuprà diximus ad §. præced.* ſint quaſi Patrum Princeps, & Archiepiſcopi ſint

 unius

unius Provinciæ Episcoporum Principes, & Præsules, *ut in hoc* §. Tamen Archiepiscopus regulariter non habet Jurisdictionem in subditos suffraganeorum, nisi per devolutionem, & appellationem; & sic etiam Patriarcha non habet Jurisdictionem in Subditos, & Suffraganeos Archiepiscoporum sibi subiectorum. *gl.ultima, in §.prox.praced.* Ad Metropolitanos (*b*) seù Archiepiscopos igitur inter suos Suffraganeos cognoscere pertinet. Si tamen suffraganei à Metropolitanis, seù Archiepiscopis graventur; ad Primates, aùt Sedem Apostolicam appellare possunt. Est ergo Metropolitanus seù Archiepiscopus ordinarius suorum Suffraganeorum, ut hic. Circa tamen criminales causas contra Episcopos, *vide suprà in fine praced.§.*

a *Suffraganei dicuntur, ideft, auxiliares: suffragari enim est auxiliari. In add.ad gl.hic.*

b *Excommunicare, & interdicere suos suffraganeos nonsolùm potest Archiepiscopus: verum etiam eius Vicarius.gl.hic.*

Ad §. Simpliciter autem.

Simpliciter autem Episcopi sunt, qui maioribus populis, & frequentioribus Civitatibus præsunt. Superintendentes latinè dici possunt. Nàm Episcopus, eis, quibus preficitur, superintendit, curam eorum scilicèt gerens. *c. qui Episcopatum* 8.*q.*1. Vel etiam Speculatores dici possunt. Episcopus enim quasi Speculator in Ecclesia præpositus est. Mores enim & vitam subditorum speculatur, & perspicit. *c. cleros §.Episcopatus distinc.*21. Episcoporum autem non modica in Ecclesia est auctoritas: Nàm præter ligandi solvendique potestatem, & visitandi diligentiam, soli sacrum (*a*) Chrisma conficiunt, soli Dei altaria, & Ecclesias (*b*) consecrant, & pollutas repurgant, clericos ordinant, suspendunt, & deponunt: ad hos pertinet delinquentes excommunicare, purgationes indicere, dispensare, solemnes pœnitentias imponere. Quod autem diximus, prædicta solis Episcopis competere, non sic debet intelligi quasi Archiepiscopis, & Primatibus non competant. Sed quod presbyteris, & ceteris infe-

inferioribus illa non conceduntur. Et si quis dixerit, Episcopos non esse presbyteris Superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi, vel eam, quam habent, illis esse cum Ptesbyteris communem, anathema sit. *Concil. Trident. sess. 23. can. 7.*

a *Et chrismate baptizatorum frontes signant c. quamvis dist. 68.*

b *Et virgines dicto c. quamvis.*

Ad §. Sicut autem.

SUmmus Pontifex autem est omnium Ordinariorum Ordinarius, & Romana Ecclesia, cui ille præest, omnium Ecclesiarum est caput, mater, & magistra: Idcòque omnes iudicat, à nemine iudicatur, atque extrà eam nemo potest saluari.

De Electione.

TITULUS SEXTUS.

POst cognitionem sacerdotum existentium in altiori gradu, conveniens est pertractare de promotione eorumdem. Promoventur autem, tàm Episcopi quàm Prælati cæteri, aùt per Electionem, aùt per Postulationem: Et quia Electio est remedium ordinarium, quia nititur Iustitiæ, postulatio verò extraordinarium, quia innititur gratiæ, ideò prius de electione dicendum est. Sed hodie propter reservationes Extravagantis ad regimen, *de præb. & dignit.* & propter Regulas Cancellariȩ redactum est Jus eligendi ad nihilum in Italia; Sed in Gallia conservatur: Et etiam conservatur quibusdam aliis in locis ex speciali privilegio. Si quis autem dixerit, Episcopos, qui auctoritate Romani Pontificis assumuntur, non esse legitimos, & veros Episcopos, sed figmentum humanum; anathema sit. *Concil. Trident. sess. 23. can. 8.*

a *In hoc Tit. specialiter tractatur de formis eligendi.*

Ad §. Cæterum.

ELectio autem nihil aliud est, quàm hominis alicuius ad dignitatem, vel fraternam societatem, canonicè facta vocatio. Dicitur ad dignitatem, vel fraternam Societatem. Nàm quamvis videatur hic Titulus principaliter pertinere ad Electionem Episcoporum, & aliorum Prælatorum, qui habent generalem Jurisdictionem in Ecclesiis, non autem, ad electionem ad beneficia, quælibet, *ut not. gl. p. in* §. *Nàm cum viduatæ h. t.* Fieri tamen non potuit, quin multa etiam sint, quæ pertinent ad quascunque electiones. Dicitur, canonicè facta vocatio. Ut intelligamus ad validitatem electionis requiri, quod facta sit secundum præcepta Juris Canonici, veluti, quod sit electa persona idonea, & quod electio sit facta seruata forma, de qua infrà suo loco videbimus.

Ad §. Nàm cum viduatæ.

CUm igitur viduatæ providendum est Ecclesiæ, debent cuncti, qui eligendi (*a*) Ius habent, legitimè citari, ut electioni (*b*) intersint. Quod si vel in unius persona id fuerit omissum, talis omissio irritam reddit electionem. In effectu tamen, non ipso Jure: quia venit irritanda per sententiam; cum de contemptu non possit opponere nisi is, qui contemptus fuit. *Abb. in cap. in Genesi, sub num.* 10. *de elect.* Ità autem facienda est citatio ut possit probari; nàm citatio, tamquam in facto consistens, non præsumitur. Si tamen periculum, vel in mora, vel in vocando fuerit, poterunt presentes, etiam aliis non vocatis, procedere ad electionem, *cap. quod sicut, & ibi gl. in verbo sine periculo de elect.* Planè si is qui citatus non fuerit ratam adveniens habere velit electionem: confirmanda (*c*) erit electio. Quia quod debeant omnes citari, non est de forma substantiali, sed de Iustitia. *Abb. in cap. Ecclesia il* 2. *de elect. sub num.* 4.

a *Hic illi dicuntur habere Jus eligendi qui sunt in quasi possessione eligendi, gl. hic.*

b *Nemo*

b *Nemo tamen invitus electioni interesse cogitur, potest enim quis juri suo cedere. Vallens. in tit. decret. de elect.* §. 2. n. 4.

c *Dummodò tamen facta fuerit præsentibus duabus partibus Collegii, & à majori parte. Vide gl. hic.*

Ad §. Sed & si quis.

SEd & si absens justo (*a*) impedimento detentus ad electionem accedere non possit, votum suum (*b*) uni, vel pluribus de Capitulo demandare poterit, dum tamen eorum cuilibet det in solidum (*c*) potestatem. *cap. quia propter* 42. §. *Illud de elect. & cap. Si quis justo* 46. *in princ. eod. tit. in* 6. Extraneo verò vices suas, Capitulo (*d*(reclamante, committere non poterit, *dict. cap. Si quis justo* §. *Ult.* Procurator autem ad (*e*)eligendum constitutus, debet nomine mandantis eundem eligere, quem nomine suo eligit: quia qua conscientia tenetur meliorem eligere nomine suo, eadem tenetur ad idem nomine domini sui, *gl. hic.* Si tamen de certa eligenda persona mandatum acceperit: Tunc in illam mandantis, & in aliam suo nomine licitè poterit consentire. Quod si plures procuratores in solidum quis ad eligendum constituerit, non quidem omnes eligere poterunt, sed erit occupantis melior conditio. Et si ità concurrant, ut inter eos prior non appareat, is præponitur, quem vel Capitulum, vel pars major elegerit, vel si nolint eligere, vel pari numero discordant, is admittitur, qui primus in Instrumento, vel literis procurationis nominatus fuerit. Si autem plures procuratores non in solidum constituti fuerint ad eligendum, nullus eorum admittendus erit. Sed cum absens, reclamante Capitulo, extraneum procuratorem ad eligendum constituere nequeat: Quæritur, An si nullus de Collegio velit esse procurator absentis, saltem per literas possit absens in electione votum suum reddere? & ℞ negativè, quia secretè (*f*) & sigillatim duntaxat singulorum vota sunt in Scrutinio exprimenda. *cap. si quis justo* §. *ult. de elect. in* 6. Si quis tamen sit intra Claustra, & septa Ecclesiæ seù loci electionis, qui non possit ob infir-

infirmitatem intereſſe in Eccleſia ſeù loco electionis, poterunt mitti ſcrutatores ad recipiandum eius votum.

a *Super quo, ſi opus fuerit, fidem faciat Juramento, cap. quia propter 42. §. Illud, de elect. Quod ſi non habeat juſtum impedimentum, poterit tamen volente Capitulo, votum ſuum alteri demandare.*

b *Debet talis procurator ſaltem eſſe Subdiaconus Vallenſ. in Tit. Dec. de elect. §. 2. num. 4. in fin.*

c *Et erit tunc melior conditio occupantis cap. ſi quis juſto 46. in fine, de elect. in 6.*

d *Sed benè poterit volente Capitulo, etiam quod non habeat juſtam impedimenti cauſam. gl. hic.*

e *An autem procurator conſtitutus ad eligendum poſſit alium ſubſtituere, vel compromittere, dic ut notatur in cap. Si quis Juſto §. porro, de elect. in 6.*

f *Patet ergo per hoc, quod neque in litera aperta poſſet mitti ſchedula incluſa aperienda in Scrutinio, contin ns nomen eius, in quem mittens conſenſit gl. hic Poteſt tamen dari mandatum procuratori de certa perſona eligenda: quia tunc non exprimitur votum; ſed mandatum datur de voto exprimendo vide gl. ult. hic.*

Ad §. Sed hæc quidem.

SEd hæc, que dicta ſunt, in aliorum quidem Epiſcoporum, non in Romani Pontificis electione locum habent. In electione enim Romani Pontificis, nec ulla neceſſaria eſt Citatio, nec abſentes votum ſuum alii demandare poſſunt. Alia quoque in Electione Papæ ſpecialiter conſtituta ſunt, veluti, quod duæ ſaltem partes Cardinalium debeant in Electione, ad hoc ut ſit valida, concordare, & quod accedentes ex poſt facto computentur in numero, ità quod augeant numerum eligentium, *cap. licet 6. de electione*. Alia ſpecialia colligi poſſunt (*a*) *ex cap. 3. eod. tit. in 6.*

a *In hoc cap. 3. agitur de modo eligendi Pontificem.*

Ad §. Celebratur autem.

CElebratur autem electio tribus modis, per inspirationem, per scrutinium, & per compromissum. Per inspirationem ut cùm electores, nullo præcedente tractatu, quasi (a) divini spiritus impulsu, simul omnes in unum repentè consentiunt, & simul unum nominant. Et quod hic dicitur: Nullo tractatu præcedente, debet intelligi de Tractatu speciali, puta pro Petro, vel Joanne, generalis autem Tractatus præcedere posset. *Abb. in cap. quia propter § nisi, sub num. 3. de elect.* Quod si in electione unus etiam tantùm contradicat, vel non concurrat, non potest dici electio celebrata per inspirationem. *Abb. in d. cap. nisi, sub nu. 1.* Nec mirum, cum vno discrepante, nec concorditer quidem facta dici possit. *gl. hic.* Quod si fortè ad concordem (b) clamorem laicorum prece, uel pretio corruptorum aliquis sit electus, electio non tam per Inspirationem, quam per nefariam conspirationem dicitur facta, & consequenter nulla est

a *Cur dicat, quasi, vide in gl. hic.*

b *Not. quod non est aliquid faciendum ad clamorem populi, docendus est enim non sequendus populus c. docendus dist. 62.*

Ad §. Per scrutinium.

PEr Scrutinium fieri dicitur electio, cùm præsentibus omnibus, qui (a) debent, & (b) volunt, & possunt commodè interesse, assumuntur tres de Collegio fide digni, qui secretè, & sigillatim (c) vota cunctorum diligenter exquirant, & demum in scriptis redacta publicent in communi: quo facto, collatione habita, is demum censetur electus, in quem, vel omnes, vel major, & sanior pars capituli statim (d) consenserit, *Cap quia propter 42. §. Statuimus, de elect.* Et signanter dicitur major & sanior pars: quia non sufficit major nisi etiam sit sanior, ut mox videbimus. In electione autem Superiorum quorumcunque, Abbatum temporalium, & aliorum officialium, ac Generalium, & Abbatissarum, atque

alia-

aliarum Prepositarum specialiter observanda. *Vide in Concil. Trid. sess. 25. de regul. & monial. cap. 6.* Quod si eligentium vota ita se diviserint, vt pars vna electorum sit quidem numerosior, sed altera sanior (*e*) appareat, poterit pars minor ad infringendam partis numerosioris electionem, & de propria (*f*) auctoritate, & de (*g*) meritis electi opponere, (*h*) nisi tamen electores partis numerosioris essent duæ partes de tribus: Tunc enim pauciores, vel electus ab eis, contra electores alterius partis ad extenuationem meriti, vel auctoritatis ipsorum electorum, opponendi facultatem non habent. Siquid autem opponere voluerint, quod votum illius, cui opponitur; nullum ipso Jure redderet, id eis non intelligitur interdictum. *cap. Si quando, de elect. in 6.* Veluti, si opponere voluerint, quod aliquis ex eligentibus erat excommunicatus excommunicatione majori, quo casu, neque valet electio, si scienter excommunicato communicaverunt alii electores, *gl. in dict. cap. si quando*. Vocantur autem supradicti tres viri de Collegio sumpti Scrutatores, eo quod singulorum vota diligenter scrutentur. Et secundum communem opinionem, tales scrutatores non possunt esse pauciores, quàm Tres.

a *Excludit illos, qui Jure non debent interesse electioni, licèt sint de Collegio, vel Canonici Ecclesiæ, ut sunt excommunicati, suspensi, impuberes, & non constituti in sacris.*

b *Non enim debet quis compelli, ut intersit electioni, si nolit interesse: Nisi tamen, vt quis intersit, expediat Ecclesiæ.*

c *Sed quis scrutabitur Vota scrutatorum?* ℞. *duo ex ipsis scrutabuntur tertium à principio gl. hic.*

d *Idest, nullo actu contrario intermedio post vota quæsita.*

e *Non minus ex auctoritate eligentium, quam ex meritis electi.*

f *Colligitur hæc auctoritas ex eligentium dignitate, ætate, tempore receptionis, generis nobilitate, literatura. Apud religiosos tamen non attenditur nobilitas gl. hic.*

g *Est bona coniectura ad probandum zelum eligentium, quæ ducitur ex meritis electi gl. hic.*

h Cum

h *Cum quæritur quæ electio prævaleat, An facta à maiori parte, an à minori, & saniori, distingue ut hic in gl.*

Ad §. Per compromissum.

PEr compromissum celebratur electio, cùm potestas eligendi (*a*) certo modo vice omnium uni, vel pluribus viris (*b*) idoneis, sivè de Capitulo, sivè extra Capitulum, ab (*c*) omnibus, qui Jus eligendi habent, committitur, *ut in hoc §. juncto cap. causam 8. de elect.* Qui arbitri, Compromissi fines diligenter custodire debent, nàm alioquin nulliter eligunt. Quòd si compromissi fines servaverint, quod ab eis gestum fuerit, usque adeò ratum habendum erit, vt etiam non sequuta electione, re tamen non (*d*) integra, demandata sibi potestas revocari non possit. Et dicitur res non integra, cum attinguntur substantialia ipsius negotii, puta cum inceperunt arbitri tractare de persona eligenda *gl. hic.*

a *Si verò iàm elegerunt, dubitetur tamen de validitate, ac viribus electionis, non possunt Canonici de, & superdicta validitate facere compromissum in præiudicium electi.*

b *Ut quia non sint laici, & quod sint bonæ conditionis.*

c *Ad impediendum enim compromissum sufficit vnius contradictio, cùm nemo invitus privari debeat Jure suo.*

d *Videtur ergo quod re integra, hæc potestas revocari possit. De hac re vide gl. hic in verbo, non possit.*

Qui eligere, eligive possint.

TITULUS SEPTIMUS.

HActenus dictum fuit quibus modis electio celebretur, sequitur nunc ut videamus, Qui eligere, eligive possint. Jus eligendi Prælatum ad Canonicos (*a*) hodie, & ad viduatæ Ecclesiæ pertinet (*b*) Collegium. Et etiam Canonici supranumerarii habent Jus eligendi: Immo etiam hi, qui in veritate fortè non sunt Canonici, sunt tamen in quasi

possessione Canonicatus pacifica. Sed & si qui consuetudine (c) præscripta, (d) pacto, vel privilegio (e) fuerint muniti, ab electione minimè sunt excludendi. Quod tamen dicitur hic, debet intelligi inspecta dispositione Juris communis: Nàm nostris temporibus, Pontifices Romani ad tollendas magnas discordias, quæ oriri solent in electionibus, consueverunt sibi reservare prouisiones omnium Ecclesiarum Patriarcalium, Archiepiscopalium, & Episcopalium: vt apparet in secunda Regula Cancellariæ Apostolicæ, quæ ab omnibus Pontificibus confirmatur, & renovatur. Unde fit, ut hæc materia electionis parum nostris temporibus practicetur, maximè in Italia. *gl. hic.* In Verbo, hodie. *Videte, quæ diximus suprà in Tit. de elect. in princ.*

a *Ideò dicit hodie, quia aliter erat olim. Vide gl. hic.*

b *Beneficiati, etiam si sint in Ecclesia perpetuò beneficiati, non habent Jus eligendi, quia solùm Canonici faciunt Collegium.*

c *Laicus tamen ex consuetudine non posset interesse electioni.*

d *Quadraginta annorum spacio.*

e *Ex priuilegio, etiam Laicus posset interesse electioni. gl. hic. Intellige ex privilegio Apostolico.*

Ad §. Sed neque, cum pluribus seq.

SUnt tamen multi, qui eligere non possunt. Et primò non possunt eligere (a) impuberes. Secundò ji, qui Sacris Ordinibus non (b) sunt decorati. Tertiò Excommunicati, excommunicatione tamen majori, non etiam minori. Quartò ad eligendum admitti non possunt suspensi per Judicis Sententiam, qui verò per solam Canonis dispositionem suspensi sunt, electioni interesse (c) minimè prohibentur. Quintò eligere non possunt illi, quibus à Superiore, nè eligant interdictum est. Sextò absentes, qui tamen si justo impedimento detenti, ad electionem accedere non possint, aliis de Capitulo votum suum demandare poterunt, secundum ea, quæ exposuimus in Titulo proximo præcedenti. Septimò hæreticis, vel non catholicis indistinctè Jus eligendi adimitur. Octavò qui contra præscriptas (d) formas eli-

eligere tentaverint, eligendi ea vice potestate privantur. §. *Interdum h.t. juncto cap. quia propter* 42. §. *qui verò, de elect.* Non tamen privantur ipso Jure, sed per sententiam. *cap. Cuma na Ecclesia* 50. *in fin. de elect.* Nonò qui per tempus Constitutiotibus definitum, in eligendo negligentes (*e*) fuerint, eligendi potestate carent ea vice, *dict.* §. *Interdum, juncto cap. ne pro defectu* 41. *de elect.* Et differt superior casus ab hoc, quia in superiore casu requiritur sententia, ut ibi diximus, sed hic ipso jure ad proximum (*f*) Superiorem eligendi potestas devoluitur (*g*). Et tempus definitum ad faciendam electionem Prælati Chathedralis, uel Regulatis Ecclesiæ, est trium mensium, *dict. cap. ne pro defectu* 41. *de elect.* In aliis Ecclesiis, ad providendum statutum est tempus sex mensium, *cap.* 2. §. *Cum verò, de concess. præb.* Decimò qui scienter indignum (*h*) eligunt, aùt postulant, eligendi Jure una vice privantur (*i*) ipso jure, & Jus eligendi immediatè ad Summum Pontificem devoluitur. §. *Alia sanè h. t. juncto cap. cum Vuintonien.* 25. §. *Nos igitur, de Elect. & cap. quanquam* 18. *de elect. in* 6. Hoc tamen intelligendum est, si omnes scienter indignum eligunt, aùt postulant, siuè simul, & semel, sivè separatim: Nàm aliàs si pars tantùm peccavit, remanet Jus eligendi (*k*) in aliis. *gl. in dict.* §. *Alia sanè*. Laicis (*l*) quoque, etiam si Princeps sint, nullo neque (*m*) consuetudinis, neque præscriptionis, neque conventionis Jure ad electionem aspirare permittitur. Immo si Princeps eligendo, vel investiendo se intromittat, excommunicationem incurit, & taliter electus debet deponi, *c. si quis deinceps, cum tribus seq.* 16. *q.* 7. Possunt tamen Laici intervenire ad coadiuvandam electionem, vel intervenire electioni ex permissione Papæ. Et etiam Patroni circa iàm factam electionem, non indecenter postulatur assensus.

a *Si fortè per dispensationem essent Canonici. Nàm ad Canonicatum requiritur ætas* 14. *annorum completorum.*

b *Neque potest huic juris ordinationi derogari per Coelectores. Clem. ut si, de ætate, & qualit.*

c *Mitius enim agitur cum lege, quàm cum ministro legis.* Unde *versus, Supplitium leuius dat jus, quam jura ministrans.*

d *In §.Celebratur autem , de elect.*

e *Aliud si legitimè impediti , cap. ne pro defectu* 41.*de elect.*

f *Qui debet pariter intra tres menses eligere , dict. cap. ne pro defectu* 41.

g *Et electio facta post talem devolutionem est ipso jure nulla. gl.hic.*

h *Quod hic dicitur de electo indigno , solùm obtinet in Ecclesiis Cathedralibus. gl.hic , in verbo devoluitur.*

i *Qui tamen nominant indignum in scrutinio , si electio non habeat effectum , non privantur potestate eligendi , cap. 7. de elect.in 6.*

k *Et si illi non eligunt intra debitum tempus , devolutio fiet ad proxum Superiorem , ead.gl.*

l *Neque etiam possunt Laici admitti ad coeligendum cum Clericis. Neque possunt esse compromissarii. ex gl.*

m *Etiamsi esset tanti temporis , cujus initii memoria non extaret.*

Ad §. Oportet autem.

OPortet autem eum , qui in Episcopum eligendus sit , ætate maturum esse, natalibus (*a*) illesum , corpore integrum , fama candidum , literis instructum,religiosum, prudentem , temperatum , castum, hospitalem , mansuetum , irreprehensibilem secundum ea , quæ latiùs infrà dicturi sumus. *Vide Concil. Trid. Sess.22. cap.2. de reform.* Ubi præsertim disponitur, quod quicunque ad Ecclesias Cathedrales sit assumendus anteà in Universitate studiorum Magister , sive Doctor , aût licentiatus in Sacra Theologia , vel Jure Canonico , meritò sit promotus, aût publico alicuius Academiæ testimonio idoneus ad alios docendos ostendatur.

a *Sufficit tamen , quod sit legitimatus à Papa. gl.hic.*

Ad §. Igitur, cum §. seq.

PRimò igitur ad Episcopalem dignitatem eligi non potest , nisi qui 30.Annum (*a*) ætatis exegerit. Secundo eligi non potest excommunicatus , (*b*) sivè maioris , sive minoris

noris

noris, excommunicationis vinculo sit innodatus. §. *Idem juris h. t. juncto cap. si celebrat* 10. *de cler. excom. deposito &c.* Tertiò eligi non potest suspensus: sivè sit suspensus à beneficio, sivè ab officio, *d. §. idem iuris, & ibi gl.* Quartò eligi non possunt ii, qui in (c) sacris ordinibus non sunt constituti, saltem subdiaconatu. *Et Concil. Trid. sess.* 22. *cap.* 2. *de reform.* disposuit, quod quicunque ad Ecclesias Cathedrales, sit assumendus, in sacro ordine anteà, saltem sex mensium spacio, sit constitutus. Quintò eligi non debent (d) schismatici. Sextò qui scienter indignum eligunt, per Triennium eligi (e) non possunt. Septimò in Episcopos ordinari prohibentur Neophyti. Appellantur autem Neophyti; qui propositum sacræ religionis noviter assumpserunt.

a *Ille verò, cui confertur dignitas alia inferior, ut puta, Decanatus, Archidiaconatus, debet* 25. *annum ætatis attigisse, cap.* 7. *§. inferiora, de elect. vide in Decret. in princ. tit. de ætat. & qualit.*

b *Excommunicatio impedit promotionem etiam quoad sæculares dignitates. ex gl.*

c *Abbates verò, Decani, Præpositi, & Archipresbyteri, qui Sacerdotes non sunt, Sacerdotes debent fieri, Archidiaconi verò, Diaconi. cap.* 1. *de ætat. & qualit. &c.*

d *Vide infrà in Tit. de confir. elect. ad §. de illo.*

e *Et eligendi potestate priuantur. Vide suprà, ad §. sed neque, vers.* 10. *qui scienter.*

De Postulatione.

TITULUS OCTAVUS.

TAm Episcopi, quàm Prælati cæteri promoventur, aùt per electionem, quæ est remedium ordinarium, quia innititur juri, aùt per postulationem, quæ est remedium extraordinarium, quia innititur gratiæ. Cùm igitur hactenus dictum sit de remedio ordinario, sequitur ut de extraordinario videamus.

Postu-

Postulatio est eius, qui elegi non potest, in Prælatum concors Capituli facta (*a*) petitio. Dicitur, eius, qui eligi non potest: Quia qui de jure potest eligi, non debet postulari, quia Postulatio soli gratiæ innititur, electio autem juri communi, *cap. Unico, & ibi gl. de postul. prælat. in 6.* Dicitur, concors Capituli facta petitio. Quia Postulatio debet à Capitulo concorditer fieri, *cap. bonæ memoriæ il 2. §. Cæterùm de postul. prælat.* Idest, vel ab omnibus, vel saltem à maiori, & saniori parte Capituli, *arg. tex. in cap. 1. & ult.* de his, quæ fiunt à majori parte Capituli. Si tamen postulatus (*b*) concurrat cum electo, non obtinet postulatus, nisi habeat duas partes Capituli, *cap. scriptum est 40. de Electione, & Abbas ibidem sub num. 7.*

a *Postulantes possunt à postulatione recedere, antequam Papæ præsentent: secus in electoribus. Et Curia Romana observat, quod admissa postulatione à Papa, postulatus consequatur jus ac si fuisset electus, & confirmatus, unde non indiget alia confirmatione, vel electione.*

b *Quando postulatus concurrit cum electo: quis eorum sit præferendus, vide infrà in Tit. de confir. elect. ad §. Et si vacante.*

Ad §. Sciendum, cum §. seq.

QUidam igitur sunt, qui quamvis eligi non possint, postulari (*a*) tamen minimè prohibentur, qualis est. Primò is, qui 30. (*b*) annum nondum complevit. Secundò in minoribus ordinibus constitutus. Tertiò Laicus. Quartò Illegitimè natus. Episcopus (*c*) quoque, cùm propriæ sit alligatus Ecclesiæ, ad aliam Ecclesiam non est eligendus, sed postulandus. Episcopus ergo, qui renunciavit Episcopatui, cùm non sit Ecclesiæ alligatus, poterit eligi, *Abb. in cap. ult. sub num. 7. de postul. prælat.* Neque etiam sunt propriæ Ecclesiæ alligati (*d*) Abbates, & cæteri Prælati, infra Episcopalem Dignitatem constitui. Ideòque eligi possunt: proprium tamen Monasterium deserere non debent, nisi licentia legitimè impetrata. Quod si Superior nolit ta-

lem

lem licentiam concedere, poterit compelli ob bonum publicum. *gl. hic.*

a *Sed an postulantes adstringantur ad servandas formas cap. quia propter de elect. Videtur respondendum affirmativè.*

b *Iste numerus annorum locum habet in Episcopo, sed non in omnibus alijs dignitatibus Ecclesiasticis gl. hic.*

c *Intellige etiam de non consecrato, dum tamen sit confirmatus.*

d *Quia propriè matrimonium contrahitur solùm inter Episcopum, & Ecclesiam.*

De Confirmatione electionis.

TITULUS NONUS.

SPirituale (*a*) matrimonium inter electum, & Ecclesiam, electione, de qua supra diximus, initiatum, per confirmationem electionis ratificatur. Meritò igitur sequitur ut hic de confirmatione electionis videamus.

Est igitur confirmatio juris prius habiti corroboratio. Et circa confirmationem electionis in primis sciendum est, quod Gregoriana (*b*) Constitutione cautum fuit, ut si quando fuerit electio in aliqua Ecclesia celebrata, electores electionem ipsam quam primum (*c*) commodè poterunt, electo (*d*) præsentare, ac petere consensum ipsius procurent, quem si infrà mensem à tempore præsentationis hujusmodi, sinè causa legibus cognita, electus accomodare distulerit, jure, si quod ei fuerat ex tali electione quæsitum, ex tunc sit (*e*) eo ipso privatus, electoresque ad aliam electionem procedendi liberam habeant facultatem. *cap. quam sit Ecclesiis 6. de electione in 6.*

a *Vide S. ult. de corepisc. usu sublato.*

b *In Lugdunensi Concilio.*

c *Hoc tempus relinquitur arbitrio Judicis, & boni viri: cum jure non reperiatur expressè determinatum gl. hic.*

d *Ante præsentationem, eligentes possunt jure proprio recedere ab*

re ab electione, cùm regulariter absenti non quæratur jus. ex gl. ult.

f *Ipso jure privatur, & non requiritur sententia privationis, licèt ad tollendum dubium posset ferri sententia.*

Ad §. Eadem constitutione.

EAdem Constitutione, de qua diximus in §. proximè precedenti, cauetur electum, infra tres menses post consensum electioni præstitum, si nullum justum (a) impedimentum obsistat, confirmationem (b) à superiore Prelato petere (c) debere: alioquin trimestri spatio elapso, electionem esse penitus irritandam. Quod, secundum quosdam, debet intelligi ipso jure. Alii dicunt electum privandum sententia. Primam opinionem sequitur, *gl. ult. in dict. cap.* Quam sit Ecclesijs. Et quod dicitur electum à Superiore Prælato confirmationem petere debere: sic debet intelligi, ut scilicèt petenda sit confirmatio ab eo Prælato, cui dignitas, ad quam quis electus est, immediatè subest. Hinc Episcopum confirmabit Metropolitanus, Metropolitanum Patriarcha, Patriarcham Summus Pontifex. *Abbas in cap. Cum Ecclesia, num. 8. de electione.*

a *Justum impedimentum esse potest infirmitas, Viarum discrimen, Superioris impedimentum, longa distantia.*

b *Quæ dicuntur hic de confirmatione non habent locum in electione facta per inspirationem. Nàm quæ spiritu Dei aguntur, non sunt sub lege. Sed in dubio melius erit confirmare.*

c *Et potest electus electionem suam defendere sine nota ambitionis.*

Ad §. Sed cum interdum.

ELecti (a) tamen, quorum electionum confirmationes à Summo Pontifice sunt petendæ, post consensum electioni præstitum, vel habitam de ipsorum electione notitiam, (b) debent infra mensem ad Sedem Apostolicam iter arripere

ripere, & quanto citius commodè (c) poterunt cum omnibus juribus coram Sede Apostolica personaliter comparere, suarum electionum confirmationes petituri. Et hoc procedit, sivè ad Sedis Apostolicæ examen deducat confirmationes immediata subiectio, vel appellatio interiecta devoluat. *Vide tex.in cap. cupientes 16. de elect.in 6.*

a *Idem in postulatis.*

b *Certam, & indubitatam. Post quam debet etiam dari tempus ad deliberandum.*

c *Arbitrio Judicis.*

Ad §. Quandiu autem.

ELectus autem nondum confirmatus, non potest res Ecclesiæ administrare. Quod si contra fecerit, omni Jure, quod ei per electionem quæsitum fuerr, statim privandus erit: nullo neque Occonomatus, nec procurationis prætextu excusandus. *cap.Auaritiæ 5.de elect. in 6.* Huius tamen textus dispositio non habet locum quando confirmatio est petenda à Papa, & electus (*a*) est valdè remotus, videlicèt ultra Italiam constitutus, *cap.nihil est 44.§.ult.de elect.* An autem privatio electi administrantis ante confirmationem fiat ipso Jure, vel per sententiam, potest in dubium revocari. Videtur dicendum, quod administrantes ut electi nullo colore quæsito privandi sint per sententiam, administrantes verò quæsito (*b*) colore privati sint ipso Jure. *Vide gl. in d. cap. Avaritiæ §. ult. in Verbo, Privatos, & ibi in addit. de elect. in 6.*

a *Talis enim electus potest etiam ante confirmationem, in temporalibus, & spiritualibus administrare, sic tamen, ut de rebus Ecclesiæ nihil penitùs alienet, d. cap. nihil est §. ult. de elect.*

b *Nàm simulata æquitas, duplex est iniquitas.*

Ad §. Petet igitur.

COnfirmatus igitur literas confirmationis suæ tenorem continentes ab Apostolica Sede petere debet, easque

 osten-

ostendere illis àd quos ea res pertinet: alioquin non est recipiendus, *cap. Iniuncta nobis §. præsenti, de elect. in extravag. commun.* Sed an, quod hic dicitur, habebit locum in inferioribus à Papa confirmantibus? Respondetur negativè, quia, cùm hæc constitutio sit pœnalis, & contra (a) Jus commune, non est extendenda. Locum tamen sibi vindicat in illis, qui apud Sedem Apostolicam promoventur, aùt consecrationis, (b) vel benedictionis munus recipiunt, *d. cap. iniuncta nobis §. præsenti*.

a *Regulariter enim non requiritur probatio in scriptis*.

b *Verbum Consecrationis pertinet ad Episcopos: Verbum benedicttonis ad abbates pertinet*.

Ad §. Is autem.

IS autem, ad quem (a) confirmatio pertinet, diligenter (b) examinare debet, & electionis processum, & personam electi, maximè in scientia, honestate vitæ, & ætate, *cap. nihil est* 44. §. 1. *de electione*. Et talis examinatio debet ex officio fieri, etiamsi nihil obiiciatur contra electum, *cap. cum nobis* 19. §. *Is igitur*, *de elect.* Et tunc demum is, ad quem Jus confirmandi spectat, confirmare debet electum, cum omnia ritè concurrunt. Quod si secus factum fuerit, non solùm deiiciendus (c) erit indignè promotus, verùm etiam indignè promovens puniendus. Qui enim per negligentiam confirmat indignum, nonsolùm confirmandi primum successorem illius caret (d) potestate, verum etiam à perceptione fructuum proprii beneficii suspenditur, (e) quousque indulgentiam valeat promereri. Si verò convictus fuerit in hoc per malitiam excessisse, graviori ad arbitrium Judicis subiacebit ultioni, *dicto cap. nihil est* 44. §. 1. *& ibi gl. in Verbo graviori*, *de elect.*

a *Is est immediatè superior eius, qui confirmandus est. Vide suprà ad §. eadem Constitutione h. t. Qui superior nonsolùm per se, sed etiam per delegatum poterit hanc confirmationem explicare*.

b *Adhi-*

b *Adhibito etiam consilio Capituli, licèt consensus eius non sit necessarius.*

c *Immo hodie confirmatio facta sine causæ cognitione est ipso jure nulla, de quo dic ut habetur in cap. fin. de ele-ctione in 6.*

d *Ipso jure. gl. in cap. nihil est* 44. §. 1. *In Verbo potestate, de electione.*

e *Per sententiam. gl. in d. cap.* 44. §. 1. *in Verbo, suspendatur.*

Ad §. Quod si fortè.

QUòd si fortè eligentium vota in duas se diviserint partes, is confirmatoris judicio alteri præferendus erit, qui majoribus juvatur studiis, (*a*) & meritis, *c. si fortè dist.* 63. Quòd si uterque electus æqualibus juvetur studiis, & meritis erit locus gratificationi.

a *Eligentium: quia magis appetitur iste, quàm ille. gl. in dict. c. si fortè.*

Ad §. Et si vacante:

ET si vacante Ecclesia, alius quidem electus fuerit, alius verò postulatus, & tam postulatus, quàm electus sint idonei: Si postulantium numerus sit eligentium duplo major, postulatio est (*a*) admittenda, aliàs electio est confirmanda. Et postulantium numerus dicitur eligentium duplo major, quando postulatio est facta à duobus partibus Capituli. *Abb. in cap. scriptum est* 40. *sub num.* 7. *de elect. ubi etiam sub num.* 13. subjungit, quod Regula, qua cavetur non valere electionem, nisi fuerit facta à majori parte Capituli, non procedit, quando electio concurrit cum postulatione. Sed si persona postulata reperta fuerit indigna, & postulantes indignum nescii postulaverunt; nec postulatio, nec electio rata habenda erit, si scientes, & prudentes, erit electio confirmanda.

a *Postulatio non dicitur confirmari, sed admitti, & hæc ad-*

 missio

missio habet vim electionis, & confirmationis: sed electio dicitur confirmari.

Ad §. Illud etiam.

UBi autem est coelectus, vel apparet contradictor, ante confirmationem nominatim citandus est: aliàs in foribus Ecclesiæ, in qua electio facta est, generaliter (*a*) edicendum erit, ut si qui sint, qui confirmationi futuræ se velint opponere, compareant in assignato peremptorio termino competenti. Et hæc sunt observanda etiam si electio in (*b*) concordia celebrata fuerit, *cap. ult. de elect. in 6.* Sed nunquid post hunc terminum veniens audiretur? ℞. negativè. Officium tamen Judicis in his non conquiescit. Qui autem plenè non probaverit, quod in formam electionis opponit: ad expensas, quas propter hoc pars altera se fecisse docuerit, condemnandus erit. Qui verò in (*c*) probatione defecerit ejus, quod obiicit (*d*) in personam, à beneficiis (*e*) Ecclesiasticis per triennium erit suspensus: ad quæ si infrà illud tempus propria temeritate se ingesserit, eis ipso jure perpetuò erit privatus, nullam super hoc de misericordia spem, aùt fiduciam habiturus: nisi manifestissimis constiterit documentis, quòd ipsum à calumniæ vitio causa probabilis & sufficiens excusaret, *cap. 1. §. ult. de elect. in 6.*

a *Et publicè.*

b *Idest, nemine discrepante.*

c *Videtur dicendum plena, ut in litera præcedenti. Alii dicunt saltem semiplena, gl. in cap. 1. de elect. in 6. §. ult.*

d *Sinè crimen aliquod obiectum fuerit, sinè defectus. Et si plura quis obiecit, evitat hanc pœnam, si unum solum probat, quod ad cassationem sufficiat. gl. ubi suprà.*

e *Quæ in illa Ecclesia obtinet. Ex ead. gl.*

Ad §. De illo.

ELectio autem illius, qui, abjurato (*a*) schismate, ad unitatem Ecclesiæ rediit, si a schismaticis nullum susceperit

perit ordinem, & electio canonicè fuerit celebrata, potest dispensativè (*b*) confirmari, *cap. quia diligenti 5. de election.* Idem si à schismaticis ordinem susceperit, sed ignoranter, *c. ordinationes 9. q. 1.*

a *Abjurare est cum juramento renunciare.*

b *Sed à quo obtinenda erit dispensatio? ℞. à Papa tantum. Imò non videtur necessaria dispensatio, c. ferrum dist. 50. Sol. quod ibi dicitur habet locum quoad Deum, secus est quoad homines, ut hic.*

Ad §. Igitur confirmationē.

IGitur confirmatione secuta, inter electum, & Ecclesiam spirituale coniugium contrahitur. Qua propter confirmatus ea omnia nanciscitur, quæ (*a*) Jurisdictionis sunt. Ea verò, quæ ordinis sunt post consecrationem demum peragere potest.

a *Quæ dicātur esse Juridictionis, & quæ ordinis vide hic in tex.*

De Consecratione.

TITULUS DECIMUS.

POstquā de electione, & de confirmatione electionis dictum est, congruo ordine sequitur, vt de Consecratione videamus. Debet enim is, qui canonicè electus, & confirmatus est, novissimè, præmisso examine, consecrari. Et scrutinium, sivè examen hoc, quod fit in consecrando, nunquam est omittendum, etiam circa notum. Debet autem Consecratio expediri intra tres menses post electionem, nisi legitimum subsit impedimentum. Et Concilium Tridentinum *sess. 23. de reform. cap. 2.* definivit, ut Ecclesiis Cathedralibus, seù superioribus, quocunque nomine ac Titulo Præfecti, etiam si Cardinales sint, si munus Consecrationis intrà tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restitutionem teneantur, & si intra totidem menses posteà id facere neglexerint; Ecclesiis ipso Jure sint privati.

Ad §.

Ad §. Ordinationi.

Consecrationi autem Episcopi interesse debet nonsolùm Metropolitanus, verùm etiam ad minus duo comprovinciales Episcopi, cæteris quoque assensum præbentibus. Quod si ab uno, (*a*) vel duobus Episcopis ordinatio expedita fuerit,taliter ordinatus, Episcopi nomen non habebit, & consequenter neque officium. Ad consecrationem igitur faciendam evocandi sunt à Metropolitano Suffraganei, & si aliqui convenire non possunt, sui præsentiam per Epistolam facere debent. Quod si Metropolitanus, vel infirmitate,vel alia justa causa, ità impediatur, vt suorum suffraganeorum aliquem consecrare non valeat, alicui coepiscoporum (*b*) vices suas demandare poterit,*cap.quod sedem* 10.*de offic.Jud.ord.* Immo poterit metropolitanus hoc facere etiam ex sola voluntate, quod enim in dicto capitulo quod sedem,dicitur de impedimento, habet locum de honestate. *Abb. in eod. cap. sub num.3*. Quod si fortè in Provincia vnum tantùm contigerit remanere Episcopum: Superstes Episcopus convocare debet Episcopos (*c*) vicinæ Provinciæ, & cum eis comprovinciales sibi met Episcopos ordinare. *c.si fortè, dist.65*.

a *Ternarium tamen numerum non esse de substantia Consecrationis notatur hic in addit. ad gl.*

b *Suffraganeus, hoc onus detrectare non potest: secus si sit non subditus.*

c *Et tenentur isti convenire ad convocationem istius, & si non venirent, ab eo possunt compelli, gl.hic.*

Ad §.Congregatis igitur.

Congregatis igitur Episcopis celebratur Episcopi consecratio die (*a*) Dominica hora (*b*) tertia lucis, & præmisso examine cum præcibus, duo Episcopi ponunt & tenent Codicem Evangeliorum supra caput ordinandi,& tertioEpiscopo super eodem benedictionem fundente, cæteri omnes Episcopi, qui adsunt,manibus suis caput eius tangunt,atque illud

illud unà cum manibus, sacro chrismate deliniunt. Quo demum peracto, Ecclesiæ Romanæ, atque eis Pontificibus fidelitas juranda est secundum formam Gregoriani rescripti, quod habemus *in cap.4.de Jure jurando*.

Cæterùm non est hic omittendum, quod Episcopus comprovincialis ibi consecrandus est, ubi Metropolitatus elegerit. Metropolitanus autem nonnisi in Civitate Metropoli, comprovincialibus ibidem concurrentibus. *c. qui in aliquo* §.1.*dist*.51. Et quamvis comprovinciales Episcopi, cæteris consentientibus, à tribus jussu Archiepiscopi possint ordinari, ut suprà diximus, Archiepiscopus tamen ab omnibus Episcopis eiusdem Provinciæ est ordinandus, *cap.si Archiepiscopus 6.de temp.ordin,& ex decreto Concil.Trid. sess.23.cap.2. de reform.* Consecratio, si extra Curiam Romanam fiat, in Ecclesia, ad quam ii, qui consecrandi sunt, promoti fuerint, aùt in Provincia si commodè fieri poterit, celebranda est.

a *Quare die Dominica? Vide in c.quod die dist.*75.

c *Multiplex est ratio de hora tertia, ut notatur hic in gl.*

De Receptione, & auctoritate Pallii.(a)

TITULUS XI.

METropolitanus nedum consecrandus est, verum hoc amplius Pallii petitionem, & receptionem differe (*b*) non debet. Cùm sine Pallio plenitudinem Pastoralis officii non habeat. Meritò igitur post Titulum præcedentem, in quo dictum fuit de consecratione, ponitur presens titulus.

Est autem Pallium Metropolitanorum insigne ornamentum, quod de Corpore Beati Petri sumitur, Pastoralis officii plenitudinem designans.

Dicitur Metropolitanorum insigne ornamentum, non autem generalitèr Episcoporum, quia de Jure communi Episcopis Pallium non competit, sed ex speciali privilegio tantùm propter eorum merita quandoque Episcopi Pallio decorantur, *cap. cum in juventute 15.de præsumpt.Abbas in rub.de auct.*

auct. & usu pall. sub. n. 1. Dicitur, quod de Corpore Beati Petri sumitur: Vel quia Pallium benedicitur, & consecratur à Papa super altare ubi est situm corpus Beati Petri, & ibi ponitur, & ille, qui debet uti Pallio, recipit ipsum de altari, si est præsens, vel alius pro ipso, si est absens. *gl. in cap. significasti 4. in fine; in Verbo corpore assumuntur, de elect.* Vel quia Pallium à Romana Sede proficiscitur. Nàm licèt quatuor Patriarchæ, nempè Constantinopolitanus, Alexandrinus, Antiochenus, & Hierosolymitanus, postquam à Romano Pontifice recéperunt Pallium, suis Suffraganeis Pallium largiantur, tamen id faciunt, ex privilegio, quod à Romano Pontifice habent. *cap. antiqua 23. de privileg.* Dicitur Pastoralis officij plenitudinem designans: Quia is, cui Pallium debetur, antè eius receptionem, plenum Jus non habet in sua Provincia, adeò ut Metropolitanus, ante Pallii receptionem, non debeat se Archiepiscopum appellare, *cap. 3. de auct. & usu pall.* Nec ei liceat sine Pallio convocare Conciliũ, conficere chrisma, dedicare basilicas, ordinare clericos, Episcopos (*c*) consecrare, *cap. quod sicut 28. §. super eo, de elect.*

Ponitur autem Pallium super Planetam, & eius forma est quædam albi, seù palidi coloris rotunda, quæ clauditur ad modum circuli, vel collaris ex parte posteriori humeros, pectusque circundans, & se extendens circa bracchia, non tamen descendens in bracchiis, habensque quatuor cruces (*d*) nigras intextas. *Abbas in rub. de auct. & usu pall. sub num. 4. & 5.* Ubi etiam de hac re pleniùs.

a *Abbas in Rub. de auct. & usu pal. dicit, quod nomen istud Palleum debet scribi per e. & non per i.*

b *Immò si Pallei petitio intra tres menses à die consecrationis, vel confirmationis, si confirmatus consecratione non egeat, ut quia antea erat Episcopus, non sit facta, nec fides exposita, amittitur dignitas commissa c. 1. dist. 100. & ibi gl. In Uerbo consecrationis.*

c *Potest tamen Metropolitanus post confirmationem electionis suæ, etiam si palleum non receperit, consecrationem suffraganei sui demandare, cap. suffraganeis 11. de elect.*

d *Quid significent dict. quatuor Cruces, vide in Decretal. Tit. de auct. & usu pal. in princ.*

Ad §.

Ad §. Cuius receptio.

UT autem Pallii receptio citius explicetur Joannes 22. *in cap. unico de auct. & usu Pal. in Extravag. commun.* constituit, ne per obiectionem cujusvis criminis seù defectus traditio Pallii retardetur: nisi obiicientes juramento firment se id malitiosè non agere, ac de obiectis promptam fidem, hoc est, intra duos menses, offerant, & ad pœnam Talionis, seù extraordinariam se obligent arbitrio Præsidentis, si obiecta minimè probaverint. Quod si contradictores ista facere recusavernit eorum obiectionibus nequaquam obstantibus, ad ipsius traditionem Palii procedendum erit, *dicto cap. unico*, ubi etiam additur, quod per tradi tionem hujusmodi, viæ accusationis, denunciationis, vel Inquisitionis, nullum præjudicium generatur.

Ad §. Sed eo.

PAllio tamen Metropolitanus solùm intra (*a*) Ecclesias (*b*) suæ ( ) Provinciæ, ac certis duntaxat diebus uti potest: Solus enim Romanus Pontifex, dum missarum celebrat solemnia, Pallio semper utitur, & vbique *cap. 1. de auct. & usu pall.* Dies autem, in quibus, inferiores à Papa uti possunt Pallio, referuntur. *per gl. 1. in cap. 4. de auct. & usu pall.* Et quia Pallium personam non transit, alteri commodari (*d*) non potest, & quisque, cui pallium concessum est, cum eo debet sepeliri, *cap. 2. de auct. & usu pall.* Quod si Archiepiscopus fuit translatus ad alium Archiepiscopatum, & consequenter novum Pallium habuit, debet cum ambobus sepeliri, *gl. ult. hic*.

a *Si verò Metropolitanum sacris indutum vestibus Ecclesiam processionaliter, vel alio modo exire contigerit: Tunc Pallio minimè uti debet, cap. 1. de auct. & usu pall.*

b *Etiam exemptas. Clem. 2. & ibi gl. de Privil.*

c *Quandoque tamen Sum. Pontifex alicui ex gratia speciali concedit, ut Pallio utatur in alena Ecclesia, dummodo is, ad quem Ecclesia pertinet, id permittat. Consuetudo tamen,*

etiam generalis, id non posset inducere, cap. ex tuarum 5. de auct. & usu pall.

d *Pro utendo. Potest tamen commodari pro videndo puta, ut sartor possit videre, ut aliud faciat.*

Ad §. Ultimum.

HÆc de creandis Episcopis dixisse sufficiat; nunc de illorum vita, & honestate videamus, pleraque, & de cęteris Sacerdotibus intellecturi.

De Vita, & honestate Prælatorum.

TITULUS XII.

IGitur Episcopus, & etiam Presbyteri, & Diaconi, & omnes omninò, qui domui Dei deserviunt, debent esse sine crimine, & Laicos præcellere conversatione & innocentia. Crimen autem est peccatum grave accusatione, & damnatione dignissimum, sicut est homicidium, adulterium, fornicatio, furtum, fraus, sacrilegium, & cætera huiusmodi. *c. 1. dist. 81.*

Ab improborum (*a*) quoque commerciis debet Episcopus abstinere, & Clericos, sivè etiam Laicos, si quando inter se diffidere contigerit, ad pacem magis, quàm ad Judicium cohortari, & curare, quod in illis corrigendis plus agat benevolentia, quàm severitas plus charitas, quàm potestas. *Vide Concil. Trident. sess. 13. cap. 1. de reform.*

Debet tamen Prælatus in corrigendo miscere severitatem (*b*) cũ lenitate faciendo quoddã ex utraque temperamentũ: & quod in peccatis severius castigari necesse est, non sævientis plectatur animo, sed medentis: Odio enim habenda sunt peccata, non homines. *c. odio; dist. 86. Vide Conc. Trid. ubi suprà, vers. Sin autem.*

Prætereà cauere debet Prælatus, ne perversos toleret dissimulando. Culpam enim facientis habet, qui quod potest (*c*) corrigere, negligit emendare, *c. 1. & 3. dist. 86.*

In primis autem Episcopus orationi, & prædicationi debet

bet

bet insistere. Nàm præconis officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit. *c. sit rector*, *vers. Praconis dist.* 43. Hoc tamen non est indistinctè verum nisi habitu: nàm actu nemo, etiam sacerdos, habet officium (*d*) prædicandi, nisi qui habet curam, vel populum, puta Episcopus, & Rector Parochialis Ecclesiæ. Et si quis dixerit eos, qui non prædicant, prorsus non esse Sacerdotes; anathema sit. *Concil. Trid. sess.* 23. *de sacram. ord. can.* 1. Quod si Episcopi, vel alii, qui ad prædicationis munus obeundum tenentur, legitimè impediti fuerint, viros idoneos assumere debent ad huiusmodi prædicationis officium salubriter exequendum, *cap. Inter catera* 15. *de offic. Jud. ord. juncto Concil. Trid. sess.* 5. *cap.* 2. *de reform. & sess.* 24. *cap.* 4. *de reform. ubi plenè de hac re*.

Largam quoque manum habere debet Episcopus, & necessitatem (*e*) patientibus subvenire. Aurum enim Ecclesia habet, non ut servet, sed ut eroget, & subveniat in necessitatibus. *c. aurum* 12. *q.* 2.

Non debet Episcopus res suas inter histriones, venatores, aut aucupes dispensare, sed pauperes potius in hospicio recipere, & facilius exemplo suo (*f*) ad hospitalitatem subditos attrahere *dist.* 42. *in princ.* Validiora enim sunt exempla, quàm verba, & plenius operatione docetur, quàm voce.

a *Malorum enim consortia bonos corrumpunt. c. sapè* 28. *q.* 1.

b *Ut neque multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Hinc David Psal.* 22. *ait: Virga tua, & baculus tuus ipsa me consolata sunt: Virga etenim percutimur, & baculo sustentamur. Si ergo est districtio virga, qua feriat, sit & consolatio baculi, qua sustentet. can. disciplina, dist.* 45.

c *Ex officio.*

d *Qua autem requirantur ad hoc ut regulares cuiuscunque ordinis prædicare possint in Ecclesiis suorum ordinum, aliisve, Vid. in Conc. Trid. sess.* 5. *cap.* 2. *vers. Si qua vero, de reform.*

e *An, & quando eleemosyna sit de pracepto, vel de consilio. Vide per gl. hic.*

f *Nàm, ut inquit Claud. in Panagir. de quarto Consul. Honorii: Componitur orbis Regis ad exemplum &c.*

Episcopus debet sobrius esse, non vinolentus. *dist.35. in princ. Vers. Sequitur*. Ventris namque ingluvies ad luxuriam provocat facilè, & omne opus bonum dissolvit. *dist. 44. in princ*. Et ebrietas omnium vitiorum fomes, ac nutrix est *c. ult. dist. 35*.

Non debet esse (*g*) percussor, & ad vindictam facilis immò in omni genere rerum agendarum prudentiam secum habere debet. Percussores autem, non quilibet corporaliter flagelantes; sed prætermissa mansuetudine ad verbera semper parati intelligendi sunt: qui per flagella non vitia corrigere, sed timeri appetunt. *dist*.45.§.3. Faciles verò ad vindictam dicuntur, qui facilè credunt, quæ referuntur, & ad puniendum accedunt, veritate diligenter non perscrutata. *c. Si quid verò, dist*.86.

Sicut autem Episcopum nullo errore convenit involui: ità nulla debet cupiditate violari. Mens enim potentiæ, (*h*) seù (*i*) pecuniæ avida, nec abstinere novit à vetitis, nec gaudere concessis, nec pietati adhibere consensum, omniumque malorum radix est cupiditas. *c. Virum &c. bonorum, dist*. 47. Episcopus igitur lucri cupidus esse prohibetur, & alicui etiam honesto negotio, ut sibi victum, & necessaria quærat, operam dare. Nàm, Apostolo teste, nemo militans Deo implicat se negotijs sæcularibus. *c. consequens est, dist*. 88.

Pudicus quoque debet esse Episcopus, & moribus, & verbis pudorem præseferre. Immo nullus sacerdos fœminas, de quibus suspicio potest esse, domi habere potest: Sed neque matrem, aùt amitam, aùt sororem (*k*) retinebit, *cap*. 1. *de cohabit. cler. & mul*. Quod tamen intelligendum est, si istæ quoque personæ, aùt ipsi clerici sint suscepti, quia fortè sint juvenes, *gl. in d. cap*. 1. In Verbo, canones.

Opportet item Episcopum, cæterosque Ecclesiasticis officiis mancipatos, honestum (*l*) habitum, illorum ordini, & dignitati congruentem defere. *Clem. 2. de Vita, & honest. cler. Et novissimè Concil.* (*m*) *Trid. sess*. 14. *cap. 6. de reform. d. Clement*. 2. innovando, & ampliando, constituit, ut omnes Ecclesiasticæ personæ quantumcunque exemptæ, quæ aùt in

sacris

ſacris fuerint, aùt dignitates perſonatus, officia, aùt beneficia qualiacunque Eccleſiaſtica obtinuerint, ſi, poſtquam ab Epiſcopo ſuo etiam per Edictum publicum, moniti fuerint, honeſtum habitum clericalem, illorum ordini, & dignitati congruentem, & iuxta ipſius Epiſcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per ſuſpenſionem ab ordinibus, ac officio, & beneficio, ac fructibus, reditibus, & proventibus ipſorum beneficiorum, nec non, ſi ſemel correpti, denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum, & beneficiorum huiuſmodi coerceri poſſint, & debeant.

In ſumma cum pro Populo Epiſcopi ſuffragatores ad Deũ parentur, neceſſe eſt, ut omni genere virtutum eius gratiam habere nitantur, quia cum is, qui diſplicet, ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora (n) provocatur. *diſt. 49. in princ.*

g *In diſt. 86. §. 6. & 7, Oportet Epiſcopum non eſſe percuſſorem, ideſt, non ad vindictam facilem. Vel percuſſor eſſe prohibetur, ne videlicet propriis manibus aliquem cadat. Hoc enim alienum à Sacerdote eſſe debet c. non liceat dict. diſt. 86. Quod ſi Clericus fuerit verberandus, per clericum verberabit Epiſcopus, non per Laicum. Vide gl. in princ. diſt. 45.*

h *Ideſt, humanæ dignitatis gl. in c. Virum, diſt. 47.*

i *Hæc verba non ſunt in dict. c. Virum. In quibuſdam tamen exemplaribus loco verbi, potentia, habetur pecunia, ut not. in marg. in d. c. virum.*

k *Nàm & Thamar à fratre ſuo oppreſſa, & corrupta fuit. 2. Reg. 13.*

l *Honeſtas veſtium clericalium ponderanda eſt ex conſuetudine, & vſu cuiuſque regionis. Vallens in Tit. Decret. de Vita, & hon. cler. ſub num. 15.*

m *Extat etiam Conſtitutio Sixti V. quæ incipit, cum Sacroſanctam, contra non utentes, aùt abutentes habitu clericali. Circa quam vide quæ notat Vallens in Tit. Decretal. de Vita, & hon. cler. ſub num. 15. in fin.*

n *Videtur hic, quod orationes factæ à Sacerdotibus malis, noceant ſubditis. Quod intellige cum ipſi ex certa ſcientia eligunt*

gunt malum, & conformem suis moribus: aliàs secus. gl. in principio dist. 49. In verbo, Intercessores.

De Officio Archidiaconi. (a)

TITULUS XIII.

POstquam dictum fuit de Episcopis, congruo ordine sequitur ut de de illis, qui Pastoralis officii unà cum Episcopo onus ferunt, videamus. Et quia inter istos primum tenet locum Archidiaconus, meritò de illo videndum est primo loco.

Archidiaconus igitur maior post Episcopum, & eius Vicarius (b) reperitur, *cap. ad hæc* §. 2. *de offic. Archid.* Major inquam reperitur Archidiaconus post Episcopum dignitate, atque etiam potestate, cùm secundum *Card. in Clement.* 2. *de præbend.* plura ex Jurisdictione, seù foro contentioso competant Archidiacono, quàm Archipresbytero, cui cura exercitiumq; fori pœnitentialis potissimùm incumbit. *Vallens* (c) *in Tit. Decret. de offic. Archid. in princ.* Et usque adeo in Domo Dei Archidiaconi vigilantia, & solertia excubare debet, ut oculus Episcopi non immeritò meruerit appellari. Debet itaq; Archidiaconus audire jurgia singulorum, & quæ corrigenda, & emendanda viderit, corrigere, (d) & emendare. *cap. ad hæc* 7. §. 1. & 3. *de offic. Archidiac.* Quod si qua fuerint ità ardua, quæ per eum commodè non possint terminari, ad Episcopum suum defert. *d. cap. ad hæc* 7. §. *Item in Epist. de offic. Archid.* Unde non potest (e) Archidiaconus, sinè licentia, & mandato Episcopi, Curam animarum (f) committere, nec aliquem (g) excommunicare, nec litteras, seù dimissorias ad ordines suscipiendos concedere, neque monasteria visitare, nisi consuetudo pacifica hoc ei concesserit, *cap.* 4. 5. 8. & *ult. de offic. Archid.* Dispicet quoque Archidiaconus vt Primicerius, Sacrista, & Custos iniuncti sui muneris solicitudinem diligenter exequantur, & ut omnia Ecclesiastica officia ritè expediantur, *cap.* 2. *eod. tit.* Debet quoque Archidiaconus de Tertio (h) in tertium annum, si Episcopus

pus non poterit, universam diœcesim circum ire, & hujus vice corrigere, & emendare ea, quæ indigent emendatione, & si Episcopi auctoritas accesserit, excommunicationis etiam sententiam feret.

Pro complemento hujus Tituli notate, quod circa officium Archidiaconi prævalent Constitutiones, & consuetudines Ecclesiarum sicut & in aliis officiis, *cap. cum olim 6. de consuetudine.*

a *Archidiaconus dicitur quasi Princeps; seù primus Diaconorum. Vallen. in Tit. decret. de offic. Archid. sub. num. 2.*

b *Ideò Vicarius Episcopi dicitur, quia omnia, quæ exercet, ad Episcopum pertinent. Non tamen facit idem Tribunal cum Episcopo, ut facit Vicarius generalis Episcopi.*

c *Et gl. ad Rub. prox. seq.*

d *Et quidam admittunt quòd possit modicam pœnam imponere & ad modicum tempus suspendere.*

e *Nec enim potest Archidiaconus causas matrimoniales, & criminales cognoscere, Episcopi enim examini, & Jurisdictioni relinquuntur Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 20. Alia exempla eorum, quæ dicuntur ardua habes hic in gl. In Verbo, Ardua.*

f *Neque obtentu alicuius consuetudinis. cap. 4. de offic. Archid.*

g *De consuetudine tamen aliquando potest. gl. in c. 5. de offic. Archid.*

h *Si nulla necessitas subsit; sed si res exigat, visitabit etiam frequentius. gl. hic.*

De Officio Archipresbyteri. (*a*)

TITULUS XIV.

NOn absimiles Archidiaconis Archipresbyteri habentur, nàm & ii Prælati sui circa spiritualia curam sublevant: proptereà meritò post Titulum præcedentem ponitur iste.

Igitur tam Archidiaconus, quàm Archipresbyter (*b*) est Episcopi Juris Vicarius, ille in his, quæ concernunt Jurisdictionem,

ctionem, & forum contentiosum, istæ in his, quæ concernunt ordinem, & forum pœnitentiarium *gl. hic in Verbo, non absimilis*. Archipresbyterorum autem duplex est species alii enim Urbani sunt, alij exteri.

a *Dicitur Archipresbyter quasi primus, seu princeps presbyterorum. Præest enim cæteris presbyteris cap. 1. h. t.*

b *Archipresbyter tamen Archidiacono subest, & eius præceptis sicut Episcopi debet obedire. cap. 1. de offic. Archip. Vide princ. Tit. præced.*

Ad §. Vrbani.

URbani Archipresbyteri sunt, qui Præsulis sui absentis circa divina in Urbe vicem sustinent, aut præsentis curam minuunt, ut officium solemne incohando, missarum solemnia celebrando, benedictiones (*a*) presbyterales conferendo, fontes benedicendo, infantes baptizando, infirmum oleo perungendo, pœnitentem infirmum, consulto Episcopo, reconciliando, pœnitentiam cunctis alijs Sacerdotibus injungendo, curando ut nondesit Eucharistia pro infirmis, neque desint confessarij pro eis, & pro aliis diœcesanis, & cunctis providendo, quæ Sacerdotum ministerio perfici debent, *ut hic, & in cap. 1. 2. & 3. de offic. Archip.* Vbi etiam plenius de istis, & similibus.

a *In matutinis, quando legi debent lectiones, gl. in cap. 3. de offic. Archipres.*

Ad §. Exteri.

EXteri (*a*) Archipresbyteri sunt, qui circa singulas plebes constituti, nonsolùm Laicorum, sed etiam presbyterorum, qui per minores Ecclesias habitant, curam gerunt, & licèt tales Archipresbyteri suis præsint plebibus, ut Episcopus Matrici (*b*) præest Ecclesiæ, nihil tamen contra sui Præsulis decretum ordinare possunt, sed cuncta ad Episcopum referre debent, præter minora, quæ & ipsi determinare possunt, cum habeant ordinariam Jurisdictionem,

cap.

cap. ult. & ibi gl. In Verbo, referant, de offic. Archipresbyt.

a *Aliàs appellantur Archipresbyteri rurales, Decani, vel Plebani.*

b *Idest, cathedrali, & baptismali. Et dicitur matrix, quia sicuti mater carnalis generat per conceptionem, sic ista regenerat per baptismum, vel fortè quia aliæ Ecclesiæ ità se habent ad hanc, ut filiæ ad matrem. gl. hic.*

Ad §. Admonendi.

Debent autem ii, qui Archidiaconatum tenent, Diaconi, aùt qui Archipresbyteratum, Præsbyteri infrà annum fieri, alioquin amittunt honorem, etiamsi, justa caussa prohibente, presbyteri, aùt Diaconi esse non potuerint. *cap. 1. de ætate, qualitate &c.* Hoc tamen intelligendum est, quando culpa sua ad talem casum devenit, qui promoveri non potest, *gl. ult. hic, & in d. cap. 1. In Verbo amittant.*

De Officio Vicarii. (a)

TITULUS XV.

Diximus suprà de Vicariis (*b*) à Jure constitutis: nunc sequitur ut de constitutis ab homine videamus.

Cum igitur Episcopus per se ipsum deservire, & residere, rationabili causa prohibetur, veluti, ob justam absentiam, ægritudinem, cum similibus, aùt præsens omnibus commodè par esse non potest, per Vicarium (*c*) quoque Episcopalis repræsentatur auctoritas, *ut in princ. h. t.* Ex quo colligi posse videtur, quod Episcopus, si dum est præsens, potest omnia Episcopalia munera obire, non teneatur constituere Vicarium. Et circa constitutionem Vicarii illud advertendum est, quòd licèt per generalem officii commissionem Vicario factam, causarum cognitio transferatur: potestas tamen inquirendi, corrigendi, aùt puniendi aliquorum excessus, seù aliquos à suis beneficiis, vel administrationibus amovendi, vel beneficia conferendi (nisi specialiter con-

cessa sit) non transfertur, *cap. 2. & 3. de offic. vic. in 6.* Nec pariter potest Vicarius, sinè speciali mandato, dimissorias ad ordines suscipiendos, præsente Episcopo, concedere, *cap. 3 §. Episcopo autem de temp. ord. in 6.* Et generaliter ea omnia facere non potest, quæ exigunt speciale mandatum, veluti, ultra prædicta, Visitare, vel dispensare in casibus Episcopo de Jure communi reservatis, cum similibus. Verum tamen est, quod si Episcopus constituenbo Vicarium, expressit in mandato vnum ex illis casibus, in quibus requiritur speciale mandatum, & posteà adiecit generalem clausulam: Et omnia alia, quæ per nos possumus, etiamsi mandatum exigant speciale: omnia speciale mandatum exigentia in Vicarium transferuntur, *gl. in d. cap. 2. in Verbo, Committatur, de offic. Vic. in 6.*

a *Qui alieno nomine servit, Vicaris dicitur, quia vices alienas gerit.*

b *De Archidiacono scilicèt, & de Archipresbytero.*

c *Et aliàs Vicarius iste, si generalis sit, Officialis Episcopi appellatur cap. 1. 2. & 3. de offic. Vic. in 6. habetque Jurisdictionem ordinariam sicut habet Episcopus, cujus vices gerit, gl. in cap. 2. de offic. Vic. in 6. in verbo, officialem. Vide Vall. in Tit. Decret. de offic. Vic. §. 5. Et not. quod potest Episcopus constituere Vicarium absque consensu Capituli. Vallens ubi supra §. 6.*

Ad §. Debet autem.

Debet autem Episcopus circumspectus esse, ne Laicum Vicarium sibi constituat. Indecorum est enim Laicum hominem viros Ecclesiasticos Judicare. *c. In nona actione 16. q. 7.* Vicarius igitur eligi, & constitui depet Clericus, saltem primæ tonsuræ, & aliàs etiam idoneus, præditus scilicèt moribus probatis, & scientia, & experientia rerum, & caussarum forensium. Debetque Episcopus circumspectus esse in electione Vicarii, quoniam ex facto Vicarii tenetur Episcopus, sibique imputare debet, si malum elegerit.

Ad

Ad §. Inde, & Honoriana.

ET quia in officiis exercendis est summopere congruentia personarum observanda: *Honoriana* (a) *Constit. in cap. ult. de offic. Vic.* cavetur, ut Episcopus eum, qui perpetuam Vicariam obtinet, per subtractionem proventuum, vel ipsius Vicariæ ablationem compellat, ut se in presbyterum promoveri faciat. Sed & Clemen V. constituit, ut in hujusmodi Vicarijs perpetuis ea, quæ de Rectoribus Parochialium Ecclesiarum promovendis ad sacerdotium à Jure statuta noscuntur, observentur, *Clement. Unica, de offic. Vic.* Videlicèt, ut infrà annum, à tempore adeptæ pacificæ possessionis numerandum, se faciant ad sacerdotium promoveri. Quòd si infrà id tempus, iusta causa eos non excusante, promoti non fuerint: Ecclesia sibi commissa, nulla etiam præmissa monitione, sint ipso Jure privati, *cap. licèt canon.* 14. §. *Is etiam de elect. in 6. juncta ibi gl. In Verbo, annum.* Perpetuus autem (b) Vicarius, de quo hic agitur, est ille, qui à persona, seù Rectore Ecclesiæ Parrochialis, cum Superioris auctoritate, & congruæ portionis assignatione, constituitur, ut perpetuò inserviat dictæ Parochiali, quæ v. g. dignitati, (c) vel præbendæ est annexa, *cap. extirpandæ* 30. §. *Qui verò, de preb. & dig.* Et Vicarius iste, postquam semel canonicè institutus est, non potest, neque per successorem ipsius Rectoris Ecclesiæ, removeri, vel portione sibi assignata defraudari, quamvis aliquid committat, propter quod sit Vicaria privandus, tunc enim, per Judicem legitimum removendus est, *cap. 3. de offic. Vic.*

a *Transitum facit ad Vicarium in divinis.*

b *Non potest autem quis plures Vicarias habere, cap. 2. de offic. Vic. Sed nec Vicariam cum beneficio curato retinere. cap. 1. eod. tit. Nec alium Vicarium perpetuum sibi substituere. cap. 4. eod. tit. Imò in sua Ecclesia debet residere. cap. ult. eod. tit. Potest tamen, ex justa causa, ad tempus aliquod aliū sibi substituere. Vallen. in Tit. Decret. de offic. Vic. §. 1. n. 2. in fin.*

c *Vide Concil. Trid. sess. 7. cap. 7. de reform.*

Ad §. Inter Vicarium.

INter Vicarium autem, & Archidiaconum illud intereſt, quòd à Vicario (*a*) ad Archiepiſcopum, non (*b*) ad Epiſcopum eſt appellandum, ne ab eodem ad ſe ipſum (cum ſit idem auditorium utriuſque) appellatio interpoſita videatur, *cap. 2. de conſuetud. in 6.* Ab Archidiacono (*c*) verò, niſi aliud Eccleſiarum inducat conſuetudo, ad ipſum, cui immediatè ſubiacet, Epiſcopum (*d*) eſt appellandum, *cap. 3. §. ab Archidiaconis, de appellat. in 6.* Archidiaconus enim facit diverſum Tribunal ab Epiſcopo. Et quia, ut diximus, auditorium Epiſcopi, & Vicarii idem prorſus eſt, ideò per mortem Epiſcopi, vel eius Juriſdictionis ſuſpenſionem, finitur, vel ſuſpenditur Juriſdictio (*e*) Vicarii, *cap. 1. de offic. Vic. in 6. gl. in Clement. ult. de procurat. In verbo, conteſtata.*

a *Scilicèt generali, qui eſt ordinarius. Secus ſi quis delegatus eſſet ab Epiſcopo ad cauſam ſpecialem. Quia tunc ad ipſum Epiſcopum appellari deberet gl. hic.*

b *Nec valet conſuetudo in contrarium. cap. 2. de conſuet. Si tamen Vicarius recuſetur tanquam ſuſpectus, ſuſpenſionis cauſa coram Epiſcopo eſt probanda gl. hic.*

c *Aliiſque inferioribus prælatis Epiſcopo ſubiectis, & eorum officialibus. cap. 3. §. ab Archidiaconis de appell. in 6.*

d *Vel ad Papam, ad quem omiſſo etiam medio appellatur.*

e *Ità ut ne quidem cauſas anteà captas perficere valeat.*

De Coadiutore.

TITULUS XVI.

ACcidit etiam interdum, vt Paſtor ſenio, aùt corporis valetudine (*a*) impeditus, aùt ſanæ mentis conſilio deſtitutus, aliave (*b*) ſimili ex cauſa, officium ſuum nequeat exercere, ac propterea illi coadiutor ſit adjungendus: per quem tàm Epiſcopo, quàm populo utiliter conſulatur, *cap. unico, de clerico egrot. vel debilit. in 6.* Ideò meritò poſt

Titu-

Titulos præcedentes, in quibus diximus de quibuſdam perſonis, quæ adiuvant Epiſcopum in ſua cura paſtorali, ponitur præſens Titulus de Coadiutore.

Datio autem Coadiutoris, cùm de cauſis majoribus eſſe conſtet, ad Sedem Apoſtolicam, nulla obſtante conſuetudine, referenda eſt. Quod tamen illigendum eſt, ſi dandus ſit Coadiutor Epiſcopo, ſuperiorive Prælato, ſecus ſi inferioribus, *ut in dict. cap. unico in princ.* Nonſolùm enim Epiſcopis Superioribuſve Prælatis, ſed etiam inferioribus, datur Coadiutor, ut videbimus *ad* §. *ult. h. t.* Et eſt animadvertendum, quod Coadiutor debet habere omnes qualitates, quas Jus requirit in Epiſcopo, vel alio quolibet, cui datur Coadiutor, ut ætas, idoneitas, & ſufficientia. Et ſi res exigat, nonſolùm unus in Coadiutorem, ſed etiam duo dari poſſunt, *d. cap. unico* §. 1. *&* 2.

a *Scilicet incurabili ſecundum pleroſque. Sed idem fortè ſi morbus curari non poſſet, niſi per longa tempora. gl. hic.*

b *Plures caſus, in quibus datur Coadiutor, numerat Ricc. hic in addit.*

Ad §. Quod tamen.

QUod tamen datio Coadiutoris ad Apoſtolicam Sedem referenda ſit, vt ſuprà diximus, ſic intelligi opportet, ſi non in remotis partibus explicanda ſit. Cæterum, ſi procul ab Apoſtolica Sede Epiſcopus impeditus deget, tunc ſecundum Bonifacianæ Conſtitutionis tenorem, *in cap. unico, de cler. ægrot. vel debit. in 6. providendum erit.* Poterit igitur Epiſcopus in hoc caſu de ſui conſilio, & aſſenſu Capituli, vel majoris partis ipſius, vnum, vel duos auctoritate Apoſtolica Coadiutores aſſumere, & ſi demens fuerit, & quid velit, aùt nolit exprimere neſciat, vel non poſſit, Capitulũ, aùt duæ partes ipſius hoc facient. Sed ſi Epiſcopus renuat Coadiutores, Capitulum nil innovabit, ſed Epiſcopi, & Eccleſiæ conditionem, quam cito poterit, notificabit Papæ.

Ad §. Nonſolùm.

NOnſolùm autem Epiſcopis dandus erit Coadiutor, ſed etiam, ſi res exigat, inferioribus, veluti, Eccleſiæ Rectori, (*a*) vel Archidiacono. Et ſivè detur Coadiutor Epiſcopo, Superiorive Prælato, ſivè inferioribus, ità res temperanda eſt, ut coadiuto, (*b*) & Coadiutori juxta facultates Eccleſiæ, vitæ neceſſaria miniſtrentur *cap. 3. & ult. de cler. ægrot. vel delibato, juncto cap. unico §. ultimo, eod. tit. in 6.*

Pro complemento huius tituli notate, *quod Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 7. de reform.* conſtituit, ut Coadiutoriæ cum futura ſucceſceſione, nemini in quibuſcunque beneficiis Eccleſiaſticis permittantur. Quod ſi quando Eccleſiæ Cathedralis, aùt Monaſterii urgens neceſſitas, aùt evidens utilitas poſtulet Prælato dari coadiutorem; is non aliàs cum futura ſucceſſione detur, quam hæc cauſa prius diligenter à Summo Romano Pontifice ſit cognita; & qualitates omnes in illo concurrere certum ſit, quæ à Jure, & decretis ejuſdem Concilii in Epiſcopis, & Prælatis requiruntur, aliàs conceſſiones ſuper his factæ, ſurreptitiæ eſſe cenſeantur.

a *De Coadiutore dando illiteratis, & imperitis Rectoribus, vide Concil. Tridént. ſeſſ. 21. cap. 6. de reform.*

b *Sed quid ſi facultates Eccleſiæ ſunt adeò tenues, ut non poſſint ſufficere coadiuto, & coadiutori?* ℞. *Coadiutor habebit redditus, & coadiuto providendū erit ex eleemoſinis, vel aliomodo. Vide gl. in cap. 3. in verbo, Portionem, & ibi in margine de cler. ægrot. vel debil. Item dato, quod iſti redditus ſufficiant, & ſuperſint etiam, quis habere debet diſpoſitionem redditunm, Prælatus ne, an coadiutor?* ℞. *aùt infirmitas impedit adminiſtrationem in temporalibus, & ſpiritualibus: & tunc coadiutor habebit adminiſtrationem in utriſque: aùt infirmitas reddit ſolùm impotentē in ſpiritualibus, & tunc dic contra. Ex gl. hic.*

De Corepiſcoporum Vſu ſublato.

TITULUS XVII.

ETiam Corepiſcopi erant olim inter Officiales Epiſcopi, & eis circa plurima cum Epiſcopis miniſteriorum cõmunis erat diſpenſatio(*a*),ut conſtat *ex* §.2.*& ex c.quãvis, diſt.68.* Corepiſcoporum tamen inſtitutio eſt penitùs interdicta;quia ut hi de Summo Sacerdotis miniſterio aliquid præſumant, omni auctoritate caret. *c.Corepiſcopi, diſt.68.*

Vidimus hucuſque de fœdere ſpiritualis conjugii, quod inter Epiſcopum, & Eccleſiam contrahitur. Et etiam de moribus, & Vicarijs, & Coadiutoribus Epiſcoporum: Tractemus nunc, quibus modis Epiſcopus ab Eccleſia removetur, & ſic quomodo tale coniugum præter (*b*) mortem diſſolvitur. Contingit autem id tribus modis, Translatione, Renunciatione, & depoſitione, ſeù degradatione, de quibus ſingulis videamus, ac primùm de Translatione.

a *Vt quia, & ipſi conferebant ordines minores, & commendatitias, & pacificas literas dabant.* §.2.*diſt.68. Commendatitiæ ſivè pacificæ dicuntur, quæ dantur clerico viatori, quibus commendatur, ut pacificè poſſit exequi officium ſuum. gl.in dicto* §.2.*diſt.68.in Verbo, formatas.*

b *De quo modo mortis non intendimus dicere tanquam de notorio gl. hic.*

De Translatione.

TITULUS XVIII.

TRanſlatio eſt ab vna Eccleſia ad aliam Eccleſiam canonicè facta mutatio. Unde Translationes etiam mutationes nuncupari poſſunt, & inſtitutæ ſunt vtilitatis, & neceſſitatis gratia. Utilitatis, cùm Epiſcopus, vel alius Prælatus, à ſua Eccleſia in aliam transfertur,in qua magis proficere poſſe veriſimiliter exiſtimatur, *c. Mutationes 7. q. 1.*

q. 1. Necessitate verò nonnunquam Translationes fieri solent, hostium urgente metu. Sed hoc casu, ea necessitate cessante, ad priorem Ecclesiam debet translatus redire. *can. pastoralis 7. q. 1.*

Ad §. Sciendum.

TRanslationes autem Episcoporum, ad solum Romanũ Pontificem pertinent, sivè Episcopus sit consecratus, sivè tantùm sit electus (*a*) & confirmatus. Quod si quis propria auctoritate, de sua Ecclesia ad aliam se transferat, à Cathedra repelli debet aliena, & carere propria, *cap. 3. de Translat. Episc.* Sed an transferens se sinè licentia, erit privatus ipso Jure, vel potius privari debeat per sententiam? Videtur verius, quod requiratur (*b*) sententia. *gl. hic, In Verbo, Carere.*

a *Intellige copulativè quia secus est in electo tantùm, gl. hic.*

b *Et ideò antè sententiam remanet Episcopus prioris Ecclesiæ, & eius clerici illi obedire tenentur, gl. hic in Verbo, carere Abbas in cap. 3. sub num. 13. de Transl. Episcopi.*

Ad §. Non absimilis.

PResbyteri quoque, & cæteri infra Episcopalem dignitatem constituti, si propria auctoritate, etiam ex causa honesta, sua beneficia per mutare voluerunt, illa amittunt. Generaliter enim beneficiorum, & præbendarum commutationes de Jure (*a*) fieri non possunt. Potest tamen Episcopus si causam inspexerit (*c*) necessariam, de uno loco ad alium transferre personas: ut quæ uni loco minus sunt vtiles, alibi se valeant utilius exercere. *cap. 5. 7. & 8. de rerum permut.* Quod si beneficia existerent in diversis diœcesibus, permutatio fieri debet auctoritate utriusque Episcopi, vel utroque præsente, vel ut vnus post alium licentium impertiatur, vel ut unus committat potestatem suam alteri. *Riccius in Addit. ad §. Subventum tamen est h. t.* Et est notandum, quod licèt beneficiati propria auctoritate non possint sua beneficia permuta-

muta-

mutare, ut suprà diximus, attamen possunt liberè, & licitè sub conditione inter se conventionem facere de permutandis suis beneficiis, si Superior consenserit. *Idem Riccius ubi sup. in fin. Additionis.*

a *Præsertim pactione præmissa, quæ circa spiritualia, vel spiritualibus annexa, labem semper continet simoniæ cap. 5. de rerum permut.*

b *Idem etiam intelligas de inferiori, habente Jus Episcopale in beneficiis, quæ sunt permutanda. gl. hic. An autem Capitulum Sede Vacante possit auctoritatem permutationi præstare, vide per gl. in Clem. unica, de rer. permut. in Verbo, Conferantur.*

c *Non tamen sufficit utilitas personarum permutantium, sed necessaria est utilitas Ecclesiæ principaliter, vel reductivè. Vide Ricc. in add. ad §. Subventum tamen est h. t. in vers. sexto denique, & in vers. seq.*

Ad §. Subventum tamen est.

LIcet autem Clerici per se de Jure non possint Ecclesiastica beneficia permutare subventum tamen est ei, qui de permutatione cum alio habitu tractatu, cum præbendam suam resignasset, ab alio, qui posteà suam præbendam, sicut promiserat, noluit resignare, deceptus est, constitutumq; remisso rigorè Juris, ut ad resignatum beneficium reverti (*a*) possit, *cap. Cum universorum* 8. *de rerum permut.*

a *Amoto quolibet illicito detentore d. cap. 8. de rerum permut.*

Ad §. Et generaliter.

QUod si qua beneficia ex causa permutationis ab aliquibus resignata, aliis, quàm ipsis permutare volentibus, conferantur per illos, in quorum manibus fiebat resignatio, vel per alios collatores, nullius firmitatis erit ipsa collatio. *Clem unica, & ibi gl. de rer. permut.* Et ad hoc ut beneficia ex causa permutationis dicantur resignata, non est necessarium, quod in actu renunciationis exprimatur resi-

gnationẽ fieri permutationis causa,sed satis est,quod hoc cõstet ex conjecturis, *gl. in dicta Clement. Unica, In Verbo, ex causa*. Et licet in aliqua diœcesi quidam fortè auctoritate Apostolica, aùt reservationis legatorum,vel receptionis Capituli, beneficia proximè vacatura expectent: illi tamen,qui secundum formam Juris sua beneficia in eadem diœcesi ad Ordinarii collationem spectantia permutare volentes, liberè, ac sinè fraude in manibus Episcopi ipsa resignant, circa faciendam permutationèm dictorum beneficiorum, quæ aliàs minimè resignassent, ab huiusmodi expectantibus nullatenus impediuntur, *cap.Unico, & ibi gl.de rer.permut.in 6.* Contingit autem, quod in fraudem expectantium fiat beneficiorum permutatio, & consequenter per eam ipsis expectantibus præjudicium fieri non possit, cum permutatur pingue beneficium, quod per mortem alicuius vel aliàs creditur verisimiliter in proximo vacaturum, cum beneficio tenui, ut præcludatur via expectanti ad dictum beneficium pingue obtinendum, ut colligitur *ex cap.ult.de renunc.in 6.* Ex iàm dictis igitur apparet, quod permutationes beneficiorum, sinè resignatione in manibus Superioris facta non permittitur, cum non possim ego propria auctoritate meum tibi beneficium confere, nec tu mihi tuum, sed uterque nostrum in manibus Superioris debet prius proprium beneficium resignare, qui deinde meum beneficium conferet tibi, & tuum mihi, hocque modo permutatio fiet.

De Renunciatione.

TITULUS XIX.

SEcundus modus, quo quis ab Ecclesia sua removetur, est Renunciatio. Est autem Renunciatio Juris proprii spontanea (*a*) refutatio. Causæ autem, propter quas Episcopus potest cedendi licentiam postulare plures sunt.

Prima est propter conscientiam criminis. Hoc tamen intelligendum est, non de conscientia cuiuslibet criminis, sed duntaxat illius, propter quod ipsius officij executio post peractam

ractam pęnitentiam impeditur, *cap.* 10. §. *propter conſcientiam, de renunc.* Crimina autem, quæ poſt peractam pœnitentiam impediunt officii executionem ſunt v. g. Simonia, homicidium, & ſecundum aliquos, omne peccatum, quod ipſo Jure irrogat infamiem, *gl. in d.* §. *propter coſcientiam, In Verbo, ſed duntaxat.*

Secũdo legitimã renunciandi pręſtat causã debilitas corporis, quæ vel ex infirmitate, vel ex ſenectute procedit. Hoc pariter intelligendum eſt, non de qualibet corporis debilitate, ſed de illa ſolummodò, per quam quis impotens redditur ad exequendum officium Paſtorale. Non datur igitur licentia cedendi Epiſcopo, qui propter ſenectutem vult cedere, ſi neceſſarius, vel utilis ſit Eccleſiæ ſuæ, *cap.* 1. *de renunciatione.*

Tertio plerumque poteſt quis petere ceſſionem propter defectum ſcientiæ. Circa hoc ſciendum eſt quod quamquam deſideranda ſit eminens ſcientia in paſtore: in eo tamen mediocris tolerari poteſt, quia imperfectum ſcientiæ poteſt ſupplere perfectio charitatis, *d. cap.* 10. §. *pro defectu, de renunc. Videte quæ diximus ſuprà in Tit. Qui eligere, eligive poſſint, ad* §. *Oportet autem.*

Quartò propter malitiam plebis cogitur interdum Prælatus ab ipſius regimine declinare, veluti quando plebs adeo duræ cervicis exiſtit, ut apud ipſam amplius proficere non poſſit, *d. cap.* 10. §. *propter malitiam, de renunc.*

Quinto pro gravi (*a*) ſcandalo evitando, cum aliter ſedari non poteſt licèt Epiſcopo petere ceſſiooem, *dict. cap.* 10. §. *pro gravi quoque, de renunc.*

Sextò petere poteſt Prælatus licentiam reſignandi ob irregularitatem, ut ſi fortè ſit bigamus. Non tamen propter quamlibet irregularitatem perſonæ, debet ei, qui laudabiliter, & utiliter miniſtravit, cedendi licentia indulgeri: ut pote ſi de legitimo matrimonio non ſit natus: quia cum ipſo, licèt irregularitatem hujuſmodi ſubticere non debuerit, ſi tamen & eius culpa, & irregularitas latet, injuncta ſibi pœnitentia competenti, poterit diſpenſari, *d. cap.* 10. §. *perſonæ verò, de renunc.*

Concedit etiam Summus Pontifex licentiam renunciandi Episcopo, qui sine mortis periculo in Ecclesia sua morari non potest, forsitam propter intemperiem aeris, vel propter capitales inimicitias, *cap. ad supplicationem 9. juncta ibi gl. In Verbo morari, de renunc.*

a *Nàm in quantum possumus sine peccato scandala vitare debemus: alioquin utilius scandalum nasci permittitur, quàm ut veritas relinquatur c. Qui scandalizaverit, de reg. jur.*

Ad §. Accidit autem.

Cum autem Episcopus humilitatis, & pœnitentiæ causa, quam peragere non valebat retento Episcopatu, Apostolica concessione ab Episcopali Sede ad monacalem descendit subiectionem, alius loco ejus subrogari poterit: ille verò ad Pontificatum resurgere nequaquam (*a*) valebit, *cap. post translationem* 11. §. *quamquam autem, de renunciatione.* Monachus tamen, qui nunquam fuit Episcopus, benè potest esse Episcopus, *c. unico* 18. *q.* 1.

Si verò Episcopus Superioris auctoritate ad monasticam vitam descendat quia propter persecutionem, vel infirmitatem proficere nequeat in regimine pastorali: persecutionis, vel ægritudinis impedimento cessante, ad Episcopalem poterit resurgere dignitatem, *d. cap. post translationem* 11. §. *caterùm de renuntiat.*

Item si quis propter doctrinæ defectum, Episcopatum auctoritate Apostolica deserendo, elegerit vitam monachalem, ac per exercitium lectionis, scientiam fuerit adeptus, proculdubio denuò vocatus ad Cathedram pastoralem, poterit illam reascendere, *d cap. post translationem* 11. §. *Item si quis, de renunciatione.*

Rursus si quis per cupiditatem parentum, data pecunia, vel promissa (eo tamen penitus ignorante) fuerit Episcopatum adeptus, & hoc comperto, de licentia Superioris Episcopatum ipsum, quem retinere non poterat, dimittens, (*b*) observantiam elegerit regularem: etsi ad Episcopatum eundem redire postmodum nequeat, ad alium tamen poterit li-

citè

citè reassumi, *cap. post translationem* 11. §. *Rursus, de renunciatione*.

a *Constantinopolitano Concilio vetante, quod in eo loquitur casu, cum propter aliquod crimen Episcopatum quis deserens, ad vitam monasticam, pœnitentiæ causa descendit, d. cap. post translationem* 11. §. *quamquam autem, de renunciat. Qui verò humilitatis causa transivit, & de licentia Papæ, licèt per se ad Episcopatum redire non possit, poterit tamen de licentia Papæ. ex gl. hic.*

b *Statim atque de simonia resciuit, licentia obtenta à Papa, aliàs nisi vel statim, vel infrà breve tempus hoc agat, rati habitio sibi præjudicat, quamvis tacita. gl. hic, & in dict. cap.* 11. §. *rursus, In verbo dimittens, de renunc.*

Ad §. Abbas quoque:

ABbas quoque immediatè subiectus Ecclesiæ Romanæ, sine licentia Papæ renunciare non potest, *cap. dilecti filii* 15. *de renunc.* Quod si Episcopo subjectus sit, cum ejusdem permissione poterit renunciare. *c. Abbas, il* 2. 18. *q.* 2. Et hoc generale est in præbendis, & cæteris minoribus beneficiis, ut apud eum fieri debeat renunciatio, ad quem (*a*) spectat confirmatio.

a *Nisi essemus in simplici electo, & non confirmato, qui si juri suo renunciare velit, potest resignare in manibus eligentium gl. hic.*

Ad §. De Romano.

DE Romano Pontifice quæsitum est: An renunciare valeat Papatui, eiusque oneri, & honori, maximè cum se insufficientem agnoscit ad regendam vniversalem Ecclesiam, & Summi Pontificatus onera sopportanda. Et Celestinus V. statuit, & decrevit Romanum Pontificem posse liberè resignare, *cap.* 1. *de renunc. in* 6.

Ad §.

Ad §. Poteſt autem.

Poteſt autem quis, nonſolùm per ſe met ipſum Pontificali, aùt alii cuilibet dignitati, vel beneficio renunciare, verùm etiam per (*a*) procuratorem, ad hoc ſpontè, ac liberè conſtitutum. Tenetque renunciatio per talem procuratorem facta, etiamſi ante renunciationem procurator fuerit revocatus, ipſo tamen, (*b*) & ſuperiore, in cuius manibus ceſſio fiebat, ignorante: Niſi fortè per malitiam Superioris, procuratoris, vel alterius, factum fuerit, quominus ad eos, vel eorum alterum ante ceſſionem revocatio perveniret. *Clem. Unica de renunciat.*

a *Nec intereſt clericus conſtituatur, an laicus, tutius tamen erit clericum conſtituere gl. hic, & in Clem. unica de renunc.*

b *Satis eſt, quod revocatio pervenerit ad procuratorem.*

Ad §. Aliud Iuris.

Illi verò, qui cedendi licentiam impetrarunt, cedere compelluntur, *cap. quidam* 12. *de renunciat.*

Pro complemento huius Tituli notate, quod facta ſemel renunciatione, renunciantem pœnitere ampliùs non poteſt, *cap. ſuper hoc* 5. *de renunc.* Poteſt tamen renuncians, renunciatione non obſtante, denuo eligi, *cap.* 2. *de renunciat.*

De depoſitione, ſeù degradatione.

TITULUS XX.

Tertius modus, quo quis ab Eccleſia ſua removetur, eſt depoſitio, ſeù degradatio. Igitur ſpirituale coniugium, quod inter Epiſcopum, & Eccleſiam fuerat contractum, per degradationem quoque diſſolvitur. Nihil enim eſt aliud degradare, quàm de gradu deicere. Per degra-

degradationem tamen non tollitur character ordinis, nec degradatus rursus fit laicus, & si quis contrarium dixerit, est hæreticus. *Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. & can. 4. de ordine.*

Ad §. Est autem degradatio: usque ad §. Clericus igitur.

EST autem degradatio duplex, Verbalis scilicèt, & Actualis. Verbalis degradatio, quæ propriè dicitur (*a*) depositio, est, cùm ab eo, qui auctoritatem habet, assistente certo Episcoporum numero, depositionis fertur sententia. Hanc autem auctoritatem olim habebat Metropolitanus cũ numero duodecim Episcoporum adsistente, si agebatur de degradando Episcopo, ut tradunt quidam *per tex. in c. Si quis Episcopus criminaliter 6. q. 4. juncto c. Si quis tumidus, & c. felix 15. q. 7.* Hodie verò isti possunt cognoscere usque ad conclusionem dumtaxat: & definitio reservatur Papæ, *c. accusatus, c. quamvis, & c. multum stupeo 3. q. 6. Sed ex Concil. Trid. sess. 24. de reform. cap. 5.* Causæ criminales graviores contra Episcopos, etiam hæresis, quæ depositione, aùt privatione dignæ sunt; ab ipso tantùm Summo Romano Pontifice cognoscuntnr, & terminantar. Si verò degradandus sit clericus in sacris constitutus ordinibus, auctoritatem habet proprius Episcopus, cum numero tamen sex Episcoporum adsistente, si degradandus sit presbyter, vel cum numero trium Episcoporum adsistente, si degradandus sit Diaconus, vel Subdiaconus, ut DD. tradunt *ex c. felix, & ex c. si autem 15. q. 7. juncto cap. miramur 7. de seru. non ordin.* Cęterùm, si de iis degradandis agatur, qui minoribus ordinibus tantùm insigniti sint, proprii Episcopi sententia absque ullorum (*b*) Episcoporum interventu satis erit, *cap. 2. in fine princ. de pœnis in 6.* Quinimò, si pro hæresi sæculari Curiæ tradendi, vel perpetuò immutandi sint presbyteri, vel in sacris constituti, solus Episcopus (*c*) convocatis Abbatibus, & aliis Prælatis, virisque suæ diœcesis pietate, ac bonis artibus instructis, degradare poterit, *cap. 1. de haret. in 6. Et novissimè Concil. Trid. sess. 13. cap. 4. de reform.*

reform. Statuit, & decrevit ut Episcopo per se, seù illius Vicarium in spiritualibus generalem, contra clericum, in sacris etiam presbyteratus ordinibus constitutum, ad illius verbalem depositionem, & per se ipsum etiam ad actualem, atque solemnem degradationem ab ipsis ordinibus, & gradibus Ecclesiasticis, in casibus in quibus aliorum Episcoporum præsentia, in numero à Canonibus definito requiritur, etiam absque illis procedere liceat: adhibitis tamen, & in hoc sibi adsistentibus totidem Abbatibus usum mitræ, & baculi ex privilegio Apostolico habentibus, si in Civitate, aùt diœcesi reperiri, & commodè interesse possint, alioquin aliis personis in Ecclesiastica dignitate constitutis, quæ ætate graves, ac Juris scientia cummendabiles existant. Actualis verò, sivè solemnis degradatio est, cum nonsolùm fertur sententia: verum etiam ab eo, qui degradandus est, vestes, & singula insignia sui ordinis gradatim auferuntur. Cuius ordo, ac series latissimè Bonifaciana Constitutione *in cap. 2. de pænis in 6. demonstratur*.

a *Depositio propiè est verbalis: degradatio autem est Actualis. sæpè tamen promiscuè utimur his vocibus. Vide gl. ad hanc rubric.*

b *Requiritur tamen interventus Capituli, nisi de consuetudine sine Capitulo hoc facere posset Episcopus gl. hic.*

c *Excludit Episcopos, non capitulum suum Vide gl. in cap. 1. de herat. in 6. in verbo, solus possit, & ibi in add.*

Ad §. Clericus igitur.

Clericus igitur ob grave (*a*) flagitium degradatus, sæculari Curiæ traditur puniendus. Pro quo tamen debet Ecclesia efficaciter intercedere, ut citra mortis periculum in eum sententia moderetur, *cap. novimus 27. de verb. sig.* Et si hoc impetraverit Ecclesia, non poterit degradatus in suo ordine ministrare. Quod si ausus fuerit attractare ministerium sibi dudum commissum, majori excommunicatione feriendus (*c*) erit, *cap. 1. de Clerio excommunicato, deposito &c.*

a *Puta*

a *Puta, hæresim, vel falsum.*
b *Percutiens degradatum non incidit in pœnam c. si quis suadente* 17. *q.* 4. *Sed benè percutiens depositum. Vide gl. ult. in cap.* 2. *de pœnis in* 6.
c *Prævia monitione. gl. hic.*

De Sacerdotibus in inferiori gradu constitutis.

TITULUS XXI.

HActenus dictum est de his Sacerdotibus, qui in altiori gradu positi sunt: Nunc descēdamus ad Sacerdotes in inferiore gradu constitutos. Inferiores igitur Sacerdotes sunt presbyteri. Presbyterum autem, & Episcopum sunt qui eundem olim extitisse affirment: Quod tamen intelligendum est fuisse verum quoad nomen : non quoad rem. ex quo in primitiva illa Ecclesia promiscuè Apostoli appellarent presbyteros Episcopos, & Episcopos præsbyteros. Non quod inter eos non fuerit semper realis differentia. Ita docet *S. Thom.* 2. 2. *q.* 184. *Art.* 6. *ad prim.* Presbyteri (*a*) verò nomen, quamquam à senectute sit sumptum, magis tamen sapientiæ indicat maturitatem, quàm corporis canitiem. *dist.* 84. §. 4. *& c. porro Moyses.*

a *Presbyter enim græcè; senior latinè interpretatur.*

Ad §. Episcopi igitur, cum duobus §. seq.

EXplicatur hic quænam sit præsbyterorum potestas, & auctoritas, & dicitur quod illorum, quæ gerere potest Episcopus, quædam Presbyter suo jure, quædam Episcopi permissione exequitur, quædam verò nullo pacto potest attingere. Proprio jure potest presbyter, Dominici corporis, ac sanguinis consecrationem, etiam Episcopo præsente, celebeare; infantes baptizare, (*a*) sanctificato (*b*) oleo inungere, benedicere, (*c*) & de occultis peccatis pœniten-

nitentes, vel in extremis agentes absolvere. Novissimè tamen *Concil. Trid. sess. 23. cap. 15. de reformat.* statuit nullum etiam Regularem posse confessiones sæcularium, etiam sacerdotum, audire, nisi aùt parochiale beneficium, aùt ab Episcopis approbationem obtineat.

Episcopo permittente, aùt ultima cogente necessitate, & baptizatos sacro linire (*d*) chrismate, & virgines Deo dicare presbyteris conceditur. Animadvertite; quod chrismate baptizatorum frontes signare, & virgines Deo dicare, solis Episcopis reseruatur. *c. quamvis dist. 68. c. manus, de consecr. dist. 5.* Fuerunt tamen hæc aliquando ex necessitate, ac dispensativè presbyteris concessa. *c. 1. dist. 95. c. præsbyter 26. q. 6.*

Nullo verò pacto possunt presbyteri Ecclesias erigere, consecrare, reconciliare, sacrum chrisma conficere, clericos ordinare, excommunicare, pœnitentes publicè reconciliare. Hæc enim omnia solis Episcopis reservantur. Diversimodè tamen: Nàm potestas excommunicandi ità reservatur Episcopis, ut possit etiam transire in non Episcopos: Alia verò, quæ hic dicuntur reservata, non possunt per non Episcoporum exerceri. Et si quis dixerit, Episcopos non esse Presbyteris Superiores, vel non habere potestatem confirmandi, & ordinandi; vel eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit. *Concil. Trid. sess. 23. can. 7.*

a *Vide infrà ad §. Baptizandi, de Bapt.*

b *Ab Episcopo consecrato. Quod dicitur catechumenorum, vel infirmorum, cap. unico §. ad exhibendum, de sacra unct.*

c *Non tamen benedictione solemni.*

d *Vide Concil. Trid. sess. 7. c. 3. de confir.*

De iis, qui sunt in sacris constituti.

TITULUS XXI.

DIximus suprà de Sacerdotibus, nunc meritò sequitur ut videamus de Diaconis, & Subdiaconis.

Sicut autem Episcopis præsbyteri debent obedire: ità etiam Episcopis, & Presbyteris debent obedientiam Diaconi,

coni, (*a*) ad quos pertinet Episcopum prædicantem custodire, sacerdotibus celebrantibus in omnibus adsistere, & Evangelium legere in Ecclesia. *c.1.§.ad Diaconum dist.25.c. Diaconi 11.dist.93.* Non tamen debent Diaconi præsente Episcopo, aut Presbytero baptizare, (*b*) nec Eucharistiam erogare, immo nec illis absentibus, nisi ex necessitate. *c. Diaconos, c. præsente distinc.93.*

a *Diaconus græcè, minister dicitur latinè, quia est Sacerdotis immediatus minister. Tim.hic in add.ad gl.*

b *Diaconus præsente Presbytero in Ecclesia non potest baptizare, nec Eucharistiam erogare, etiam si subsit necessitas, nisi presbyter jusserit. gl. hic, & in c. Diaconos dist.93.*

Ad §. Subdiaconos.

Subdiaconatus (*a*) ordo apud antiquos intes sacros non annumerabatur, sed posteà cœptus est & Subdiaconatus intes sacros ordines reponi, & Subdiaconis ad similitudinem tam Presbyterorum, quàm Diaconorum continentia fuit imperata. Unde etiam Subdiaconus in Episcopum potest liberè eligi, *cap.à multis 9.de ætate, & qualit. &c. Sed ex Trident.sess.22. cap.2. de reform.* Quicunque ad Ecclesias cathedrales sit assumendus, in Sacro ordine anteà, saltem sex mensium spacio, debet esse constitutus. Diaconum igitur Subdiaconus subsequitur, inde, & Subdiaconus dicitur, & ad eum pertinet calicem, & patenam ad altare deferre, & Diaconis tradere, eisque ministrare. Urceolum quoque, & aquam, & manutergium tenere; Episcopo, Presbyteris, & Diaconis prolavandis ante altare manibus aquam præbere, *c.1.§.ad Subdiaconum, dist.25.*

a *Fuit institutus hic ordo quando Christus linteo se præcinxit, & pedes discipulorum lavit. Io.13.*

Ad §. Sicut autem.

Poterit autem hòdie quis, alio non obstante impedimento canonico, in decimo octavo (*a*) ad Subdiaconatus, in vi-

in vigesimo ad Diaconatus, & in vigesimo quinto ætatis suæ anno ad præsbyteratus ordines promoveri. *Clement.ult. de ætate, & qualitate &c.* Sed novissimè hæc materia fuit reformata per Concilium Tridentinum *sess. 23. cap. 12. de reform.* Ubi disponitur, quod nullus ad Subdiaconatus ordinem ante 22. ad Diaconatus ante 23. ad presbyteratus ante 25. ætatis suæ annum promoveatur, etiam si quis sit regularis. Et idem Concilium Tridentinum *in cap. 11. d. sess. 23. de reformat.* statuit, & decrevit, ut nemo; nisi post annum à susceptione postremi gradus minorum (*b*) ordinum ad sacros ordines promoveatur, nisi necessitas, aùt Ecclesiæ utilitas, judicio Episcopi, aliud exposcat.

a *Inchoato: Satis est ergo, quod attigerit. Et idem de sequentibus, gl. in Clem. ult. de ætate, & qualit. &c*

b *Sed quæ est ætas minorum ordinum?* ℟. *major infantia c. de his, dist. 28. & cap. nullus de temp. ord. in 6.*

De his, qui sunt in minoribus ordinibus constituti.

TITULUS XXIII.

Vidimus hactenus de iis, qui in majoribus sunt ordinibus constituti: nunc videamus de iis, qui in minoribus ordinibus constituti reperiuntur: ut sunt Acolytus, Exorcista, Lector, Ostiarius. Acolitus autem Subdiacono subest, Acolito Exorcista, Exorcistæ lector, Lectori Ostiarius *c. à Subdiacono distinct. 93.*

Acolitus est is, ad quem præparatio luminum spectat, & qui cereum, à quo nomen quoque ducit, deferre debet, quique vasa cum vino, & aqua pro eucharistia Subdiaconis præparat, *c. 1. §. ad acolytum dist. 25.* Acoliti igitur græcè, latinè Ceroferarii dicuntur, à deportandis (*a*) cereis, quando legendum est Evangelium, aùt sacrificium offerendum *c. 1. §. Acoliti dist. 21.*

Exorcista is est, qui exorcismos memoriter retinere debet

bet, munusque super (*b*) energumenos, & cathechumenos in exorcizando imponere, *d.c.*1.§.*ad exorcistam dist.*25. Exorcistæ ex greco in latinum adjurantes, sivè increpantes vocantur; invocat enim super cathechumenos, & super eos, qui habent spiritum immundum, nomen Domini Iesu, adjurantes per eum, vt ægrediantur ab eis *c.*1.§.*Exorcistæ*, *dist.*21.

Lector autem his appellatur, qui lectiones (*c*) & prophetias debet populis [illegible]ere, *c.*1.§.*ad Lectorem dist.*25. Et dicitur Lector à legendo, *c.*1.§.*Presbyter*, *vers.Lectores*, *dist.*21.

Ad Ostiarium pertinent claves Ecclesiæ, ut claudat, & aperiat Templum Dei, & omnia, quæ sunt intus, extraque custodiat, fideles recipiat, excomunicatos, & infideles provido judicio repellat, *c.* 1.*in fin.dist.*21.*&* *c.* 1.§.*ad Ostiarium*, *dist.* 25. Et dicitur Ostiarius, quod præsit ostiis templi, vt suprà, *d.c.*1.*in fin. dist.*21.

a *Principalis tamen potestas Acolyti est præparare vasa cum vino, & aqua. quia hæc propriùs accedunt ad materiam necessariam in sacrificio missæ.*

b *Energumeni dicuntur lunatici, & obsessi à dæmonibus.*

c *In Ecclesia præsertim legendas in matutinis.*

Ad §. Est & Psalmista.

INter eos, qui sunt in minoribus ordinibus constituti annumeratur etiam Psalmista, (*a*) & Psalmista, idest, Cantor, absque scientia Episcopi, Presbytero solùm jubente, officium suscipit cantandi, *c.Psalmista dist.*23. Et vocatur Psalmista à psalmis canendis, & Cantor, quia vocem modulatur in cantu, *c.*1.§.*Presbyter.vers.Lectores*, *dist.*21. Non tamen ad Psalmistam pertinet tantùm cantare psalmos, sed etiam dicere benedictiones, (*b*) laudes, sacrificium, responsoria, & quid quid pertinet ad canendi peritiam *c.*1.§.*ad psalmistā*, *dist.*25. Et animadvertite, quod Psalmistatus à Canonistis quidem reponitur inter ordines, non tamen à Theologis.

a *Et hic ordo Psalmistatus videtur confundi cum prima Tonsura, ut not.gl.hic.*

b *Dicere benedictiones, idest benedicamus, laudes, idest, alle-*

luia

luia, vel illud Christus vincit &c. Sacrificium, idest, offertorium, gl. in d. c. 1. §. ad psalmistam, dist. 25.

Ad §. Horum autem.

IN majoribus autem ordinibus constituti, nunquam ad matrimonium aspirare (*a*) valent: constituti verò in minoribus ordinibus, matrimonium contrahere minimè prohibentur: Sed eo casu, non solùm ad sacros ordines, & Ecclesiasticas dignitates, & administrationes admittendi non sunt, sed etiam beneficijs, quæcumque fortè habuerint, privandi erunt, *cap. 1. & tot. tit. de clericis coniugatis.*

Hucusque singulariter tam de majoribus ordinibus, quàm de minoribus brevitèr tractatum fuit: Exponamus nunc aliqua, tam majorum ordinum, quàm minorum communia.

a *Nisi Papa dispensaret, gl. hic.*

Communia tam majorum, quàm minorum ordinum.

TITULUS XXIV.

EX *princ. h. t.* notate, quod qui minori sub ordine constituti sunt, & officio: iis, qui aùt ordine præcellunt, aùt officio reverentiam, & obedientiam exhibere debent. Et è contra majores inferioribus non debent tamquam subditis dominari, sed illos honorare, & diligere. Debēt etiam Episcopi promovēdos in Sacerdotes per se ipsos, vel per alios idoneos viros super divinis officiis, & Ecclesiasticis Sacramentis diligenter instruere, & informare, *cap. cum sit 14. de ætate, & qualitate &c.*

Ad §. Præcedet autem.

DEbet autem ordinationem prædicare diligens scrutinium, & Scrutinium, prout hic accipitur, est inquisitio

sitio Vitæ, generis, patriæ, ætatis ordinandorum, loci ubi ordinati sunt, si sint benè literati, si instructi in lege Dei, & ante omnia, si fidem catholicam firmiter teneant. *Et concil.Trid.sess.23.cap.5.& 7.de reformat.* nonsolùm confirmat suprà dicta, sed etiam mandat, quod ad minores ordines promovendi, bonum à Parocho, & à magistro scolæ,in qua educantur, testimonium habeant. Hi verò, qui ad singulos majores erunt assumendi, per mensem ante ordinationem Episcopum adeant, qui Parocho, aùt alteri, cui magis expedire videbitur, committat, ut nominibus,ac desiderio eorum, qui volunt promoveri, publicè in Ecclesia propositis, de ipsorum ordinandorum natalibus, ætate, moribus, & vita à fide dignis diligenter inquirat: & literas testimoniales, ipsam inquisitionem factam continentes, ad ipsum Episcopū quamprimum transmittat. *Videte Concil.Trid.ubi sup.cap.*11. *cum trib.seq.*

Ad §. Quod & in beneficiorum.

ET nonsolùm ordinationem præcedere debet diligens scrutinium, vt in §.proximè præcedenti, sed etiam beneficiorum collationes, qui enim beneficiis Ecclesiasticis præficiendi fuerint, à suo prius archidiacono examinari debent, & postmodum Episcopo præsentari, *Cap.ad hæc* 7. §. *in quadam verò, de offic. Archid.*

Ad §. Ipsi verò.

SI verò hi, quibus talis examinandi cura committitur, aùt favoris gratia, aùt cujuscumque muneris cupiditate illecti, indignum, & minus idoneum, aùt non examinatum ad ordines suscipiendos Episcopo præsentent, ab altari removebitur indignè ordinatus, & ipsi Ecclesiastica dignitate (*a*) carebunt, *c.quando juncto c.ult.dist.*24.

a *Tales ipso jure sunt suspensi, glos.in d.c. quando dist.*24.

Ad

Ad §. Igitur.

IGitur per tres continuos (*a*) dies præcedentes Sabbato, in quo fieri debet ordinatio, qui ad ordines promoveri desiderant, diligenter sunt examinandi, & demum Sabbato, qui probati fuerint, Episcopo præsentari debent, ut ordinentur, *c. quando in fine dist. 24*. Non tamen omnes ordines, quolibet tempore conferri possunt. Nàm licitum quidem est Episcopis, dominicis, & aliis festivis diebus unum, aùt duos, ad minores ordines promovere, vel etiam plures, dummodò non videatur generalis ordinatio: sed ad majores ordines, nisi in quatuor temporibus, aùt Sabbato Sancto, vel in Sabbato ante dominicam de passione, nulli Episcoporum, præterquam Romano Pontifici, licet aliquos ordinare: nec valet contraria consuetudo (*b*), *cap. 2. & 3. & ibi gl. de temp. ordin*: Si tamen de facto extra tempora statuta aliquis ordinetur, recipit characterem, sed ordinans potestate ordinandi privandus est: Conferendi scilicèt ordines, quos illicitè contulit, *gl. 1. in cap. 8. de temp. ordin.* Ordinatus verò, prævia (*c*) pœnitentia, in susceptis ordinibus ministrare sustineri (*d*) poterit, *cap. 2. & 16. de Temp. ordin.*

a *Intellige continuationem esse debere de die ad diem, non de momento ad momentum.*

b *Indulgeretur tamen, quando consuetudo esset antiqua, & multi essent ordinati extra tempora, ut in cap. 2. de temp. ord. ubi not.*

c *Scilicet arbitraria, cum non sit à Jure determinata. gl. hic.*

d *An autem Episcopi cum talibus possint dispensare, vide per gl. in cap. 16. in verbo, poteris, de temp. ord.*

Ad §. Sed nec uno.

NOn possunt pariter duo sacri ordines conferri eidem uno die, vel duobus diebus continuato jejunio. Tales enim dies fictione canonica propter continuationem jejunii pro uno (*a*) habentur. Quod si de facto quis ità ordinetur

netur, arbitrariè suspenditur ordinans (*b*) à collatione ordinum, quos contulit, & ordinatus ab executione ordinis ei illicitè collati, *cap. literas 13. de Temp. ord.* Minores autem ordines possunt omnes vel unica die conferri: Nisi in contrarium extaret (*c*) consuetudo, *gl. in cap. 3. de Temp. ordin. Novissimè verò Concilium Trident. sess. 23. cap. 11. de reform.* Statuit, quod minores ordines per temporum interstitia, (*d*) nisi aliud Episcopo expedire magis videretur, conferantur

a *Sic cum bissextus occurrit, duo dies pro uno computantur.*

b *v.g. si Episcopus ordinavit aliquem in Diaconum, & Presbyterum duobus diebus continuato jejunio: suspenditur ordinans à collatione Diaconatus, & Presbyteratus: ordinatus verò suspenditur ab executione officii sacerdotalis, cap. 13. de temp. ord. Et ideò plus punitur ordinans, quàm ordinatus, quia debuit esse prudentiór, gl. in d. cap. 13. in fine.*

c *Consuetudo enim ea, quæ de se sunt licita, reddit illicita, gl. hic.*

d *Interstitia sunt illud spacium temporis, quod debet elabi inter unum, & alium ordinem. vide c. in singulis, dist. 77.*

Ad §. Per saltum.

SI quis verò ad ordines promotus fuerit per saltum, veluti, ad Diaconatum ante Subdiaconatum, vel ad presbyteratum ante Diaconatum: ordine prætermisso ritè repetito, ex misericordia ministrare permittendus erit, *cap. unico de cler. per salt. prom. c. sollicitudo dist. 52.* Et in casu isto Episcopus suo jure dispensare poterit, *gl. in d. cap. unico. Quod tamen, secundum Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. de reform.* debet intelligi, si promotus per saltum non ministraverit.

Ad §. Quod si furtivè.

QUod si (*a*) furtivè ad sacros ordines quis irrepserit contra prohibitionem factam à Prælato sub pœna excommunicationis, nulla ratione ad sacerdotium poterit promoveri: nisi, monasterium ingressus, laudadilem ali-

quandiù duxerit vitam, quo casu secum misericorditer dispensari poterit, etiam per Abbatem *cap. 2. de eo, qui furtivè &c.* Si verò nulla præcedente prohibitione sacros ordines furtivè susceperit, condigna satisfactione imposita, pro suo arbitrio cum illo poterit Episcopus dispensare, *cap. 1. de eo, qui furtive &c.* Immo indistinctè potest hodie Episcopus cum furtivè promoto dispensare, si crimen sit occultum, & non deductum ad forum contentiosum, *ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de reform.*

a *Furtivè promovetur, qui citra conscientiam sui Episcopi, & sine examinatione promovetur. gl. hic.*

Ad §. Quod si.

QUod si non ordinatus divinum aliquod officium exercuerit, & ab Ecclesia erit abiiciendus, & nunquam (*a*) ordinandus. Verbum autem hoc, Abiiciendus, designat tria, videlicèt excommunicationem, privationem beneficii, & depositionem. *gl. hic.*

a *Puta quando in solemni apparatu non Subdiaconus dicit Epistolam.*

Ad §. De eo.

SI verò non baptizatus ordines susceperit, debet baptizari, atque iterum (*a*) ordinari, *cap. ult. de presbyt. non baptiz.* Sed quid si iste nollet de novo ordinari? Dicit Jo: And. quod remaneret Laicus, & licèt non deberet contrahere matrimonium, quia tacitè videtur vovisse continentiam, tamen, si contraheret, teneret matrimonium, cum illud votum non fuerit solemne, ex quo verè non receperit sacrum ordinem. *Videte Abb. in cap. 1. de presb. non baptiz.*

a *Ex hoc apparet, quod nullum ordinem recepit, & quod dicit, iterum, ad factum refertur. Nàm si primò ordinem suscepisset, iterum non ordinaretur gl.*

Ad

Ad §. Illud postremò.

MAjores autem ordines à solis Episcopis: minores verò etiam ab aliis, veluti ab Abbatibus, (*a*) quandoque conferuntur, *cap. 1. de ordin. ab Epis. qui renunc. Epis.* Episcopus verò, qui loco tantùm, non etiam dignitati renunciavit, sacros quoque ordines, ad invitationem, & requisitionem alterius Episcopi conferre potest. Quòd si non solùm loco, verùm etiam dignitati renunciavit, minores tantùm ordines potest conferre, & si ab eodem sacros ordines scienter quis receperit, officii non habebit executionem, si verò ignoranter, Episcopus suus dispensare (*b*) poterit, nisi (*c*) crassa, & supina fuerit ignorantia, *d.cap.1.de ordinatis ab Epis.qui renunc Epis.*

a *Abbas si sit Sacerdos, & jus habeat deferendi mitram, potest conferre primam tonsuram, & ordines minores, suis subditis regularibus tantum, ut certi juris est ex Trid.sess.23.cap. 10. de refor. Ad effectum autem prædictum is dicitur subditus regularis Abbatis ordinantis, qui est de regula eiusdem Abbatis, & professus. vide Ricc.hic in addit.*

b *Est necessaria dispensatio, quia cum talis ordinator non habeat executionem sui officii, eam alii conferre non potuit gl.*

c *Vt quando quid publicè notum est.*

Qui promoveri non possunt.

TITULUS XXV.

TAm majorum, quàm minorum ordinum est etiam commune quosdam esse, qui non sunt ad Ecclesiasticos ordines admittendi, ideò post præcedentem Titulum ponitur iste.

Quatuor autem ex causis contingit quosdam non esse ad ordines admittendos, aùt enim quis promoveri impeditur ratione subiectionis, aùt ratione delicti iàm patrati, aùt suspicicione futuri lapsus, aùt ob corporis læsionem.

Ad §. Ratione ſubiectionis.

RAtione ſubiectionis promoveri impediuntur ſervi, (*a*) & qui retento (*b*) obſequio manumiſſi ſunt, *cap.* 1. 2. & 5. *de ſeru. non ord. c. quicunque, diſt.* 54. Si tamen ſervus ſciente domino fuerit ordinatus, ex hoc erit plenè liber, adeò ut dominus nullum ſibi obſequium deberi poſſit prætendere, *c. ſi ſervus, diſt.* 54. *juncta gl. hic.* Quod ſi Eccleſia ſervum ſuum manumittat eo tenore ut ordinatus, ipſi Eccleſiæ, dum vixerit, ſerviat (*c*) in divinis, manumiſſus, & ordinatus, ad aliam Eccleſiam ſe transferre non poterit: ſed ſi abſolutè manumiſſus fuerit, ad aliam tranſeundi non erit ei licentia deneganda, *cap. eo libentius* 6. *de ſeru. non ord.*

Monachi quoque, niſi de ſui Abbatis licentia, ordinari (*d*) non debent, (*e*) *cap. ad aures* 5. *de temp. ord.* Monachus tamen, qui ab vna Religione ad aliam tranſivit, ſi ad primam revertatur, poteſt libere miniſtrare in ordine ſuſcepto in ſecunda religione, *cap. ex parte* 10. *de temp. ord.* Non poteſt pariter quis ab extraneo Epiſcopo (*f*) ordinari, ſine licentia proprij Superioris *cap.* 3. *de temp. ord. in* 6. Et ſuperior intelligitur in hoc caſu Epiſcopus, de cujus diœceſi eſt is, qui ad ordines promoveri deſiderat, oriundus, ſivè in cujus diœceſi beneficium obtinet Eccleſiaſticum, ſeù habet domicilium in eadem, licèt alibi natus fuerit, *d. cap.* 3. Dictam tamen licentiam, Epiſcopo in remotis (*g*) agente, dare poterit ipſius in ſpirtualibus Vicarius generalis: vel, Sede vacante, Capitulum, ſeù is, ad quem tunc temporis adminiſtratio ſpiritualium noſcitur pertinere, *d. cap.* 3. §. *Epiſcopo autem*. Hodie tamen non licet Capitulis Eccleſiarum, Sede vacante, infrà annum à die vacationis, ordinandi licentiam alicui, qui beneficii Eccleſiaſtici recepti, ſive recipiendi occaſione arctatus non fuerit, concedere. Si ſecus fiat, Capitulum contraveniens Eccleſiaſtico ſubiacet interdicto, & ſic ordinati, ſi in minoribus ordinibus conſtituti fuerint, nullo privilegio clericali præſertim in criminalibus, gaudent, in majoribus verò, ab executione ordinum, ad beneplacitum futuri Prælati, ſunt ipſo Jure ſuſpenſi. *Concil. Trid. ſeſſ.* 7. *cap.* 10. *de refor.*

Et

Et Clemens IV. ſua Conſtitutione ſtatuit, ut nullus (*h*) Epiſcoporum Italiæ, aliquem Ultramontanum ordinare præſumat: niſi vel à Summo Pontifice ſpecialem licentiam habeat, vel ab Epiſcopo, de cujus diœceſi traxit originem ordinandus, vel in cujus diœceſi beneficiatus exiſtit: per eius patentes literas, cauſam (*i*) rationabilem continentes, quare ipſum nolit, aùt nequeat ordinare, & ſi de facto quis contra diſpoſitionem hujus Conſtitutionis ordinetur, manet ordinatus abſque ſpe diſpenſationis, ſuper hoc à Sede Apoſtolica obtinendæ, ſuſpenſus, Nec poſſunt pęnitentiarii Papæ, ſinè ipſius licentia ſpeciali, cum taliter ordinato diſpenſare. Ordinans verò pœna condigna punitur, *cap.* 1. *de temp. ord. in 6.* Si verò è contra Epiſcopus Ultramontanus ordinet aliquem Italicum, diſpoſitio dectæ Conſtitutionis locum non habet, quia pœnalis eſt, & ideò ſuum ſcriptum Caſum non debet excedere: habebunt tamen locum Jura, (*k*) quibus punitur ordinans alienos ſubditos, & quibus punitur ordinatus ab Epiſcopo non ſuo, *gl. in d. cap.* 1. *In verbo Italiæ. Circa hoc videatur etiam Conſt. Urbani VIII. ſecretis.*

a *Liber eſſe debet, qui divinæ aggregandus eſt militiæ, c.* 1. *diſt.* 54.

b *Operas tamen ſpirituales poteſt dominus in ſervo ad ordinandum manumiſſo retinere, cap. nullus, de ſeru. non ord.*

c *Vide Decret. in tit. de ſeru. non ord. ult. med.*

d *Poteſt autem Monachus ordinari, non ſolùm à Prætato, in cuius diœceſi conſtitutum eſt monaſterium, verùm etiam eius diœceſis, in qua natus eſt. gl. hic.*

e *Quoniam eſſe poteſt, quod Abbas eorum commiſſa ſecreta noverit, ex quibus conſtet ei, quod ſalva conſcientia nequeat ſublimari, cap.* 5. *§. ult. de temp. ord.*

f *Et qui præſumpſerit ordinare, per annum à collatione ordinum omnium eſt ſuſpenſus, & ordinatus à ſuſceptorum ordinum executione, quandiu proprio ordinario videbitur expedire. Conc. Trid. ſeſſ.* 23. *cap.* 8. *de reform. Vide idem Conc. ſeſſ.* 6. *cap.* 5. *de refor.*

g *Erit autem arbitrarium Judici, quis locus dicatur remotus, gl. in d. cap.* 3.

h *Vel*

h *Vel alius, qui habeat potestatem conferendi ordines.*

i *Concil. Trid. sess. 7. cap. 11. de reform. generaliter statuit, quod facultates de promovendo à quocunque, non suffragentur, nisi habentibus legitimam causam, ob quam à propriis Episc. ordinari non possint in literis exprimendam, & tunc non ordinentur, nisi ab Episcopo in sua diœcesi residente, aùt pro eo pontificalia exercente, & diligenti prævio examine.*

k *Vide in præced. pag. in not. incipien. Et qui præsumpserit.*

Ad §. Patrati delicti.

PAtrati delicti ratione quis ordinari prohibetur: ut cum homicidium, aùt aliud (*a*) capitale crimen facto, (*b*) aùt præcepto, aùt consilio perpetraverit: & per surreptionem promotus, deiiciendus erit, *c. si Episcopus, & c. si quis viduam dist.* 50. Quod si qui necessitate maxima arctati effugere (*c*) nullo pacto valentes, homicidium admiserint, nullam ex hoc irregularitatem incurrunt, *Clement. unica, in fine de homic volunt, vel cas.* Vim enim vi defendere, omnes leges omniaque Jura permittunt, *l. scientiam 46. §. Qui cum aliter ff. ad legem Aquiliam*. Cum moderamine tamen inculpatę tutelæ.

Quòd si homicidium fuerit fortuitum, distinguendum est, an fuerit commissum dum dabatur opera rei illicitæ, an licitæ. Si illicitæ rei (*d*) dans operam quis casu homicidium commiserit, ad sacros ordines non est promovendus, & iàm promotus, prohibendus est ministrare. Ex dispensatione tamen in inferiore sacro ministrare sustinendus erit, *cap. 8. & 24. de homic. volun. vel cas.* Et circa hoc ordinarius dispensat tamquam Papæ commisarius. Sed circa minores ordines dispensat proptio jure, *gl. hic*. Si quis verò dans operam licitæ rei homicidium commiserit: videndum est an debitam operi suo adhibuerit diligentiam, nec ne. Si enim debitam operi suo non adhibuit diligentiam, ab omni ministerio alteris excludendus erit *cap. 7. de homic. volunt vel cas*. Est enim Irregularis excludendus (*e*) ab omni officio cujuscun-

cunque ordinis: poteſt tamen per Epiſcopum diſpenſari in minoribus, *cap. ad audientiam* 12. *de homic. volunt vel caſ.* Quod ſi dans operam licitæ rei, debitã (*f*) operi ſuo adhibuit diligentiam, non imputatur ei homicidium mero caſu, & citra aliquam culpam ſequutum, & conſequenter nullam incurriſſe noſcitur irregularitatem, *cap. Ioannes* 23. *de homic. vol. vel. caſ.* Abſit enim quod ea, quæ propter bonum, ac licitum facimus, nobis imputentur, ſi per hæc præter noſtram voluntatem quid mali cuiquam acciderit, *c. de occidendis* 23. *quæſt.* 5.

Pariter ſi infantes, (*g*) furioſi, & dormientes hominem mutilent, vel occidant, nullam ex hoc irregularitatem incurrunt, *Clement. unica, de homic. volunt. vel caſual.*

Similiter Clerici, qui de laicis ſuis malefactoribus apud Judicem ſæcularem conqueruntur, proteſtando expreſsè, quod ad vindictam, seù pœnam ſanguinis non intendunt, irregulares non fiunt, quamvis aliàs in tali caſu de Jure debeat pœna ſanguinis irrogari: Ipſis enim imputari non debet ſi Judex, Juſtitia (*h*) exigente, mortem delinquentibus inferat, *cap.* 2. *de homicidio in* 6.

a *In c. ſi Epiſcopus diſt.* 50. *legitur: capitale crimen commiſerit, aùt chartam falſaverit, aùt falſum teſtimonium dixerit.*

b *Textum hunc intellige de facto, præcepto, vel conſilio criminoſi, ſive commiſerit crimen tamquam perſona publica, ſive tamquam privatus.*

c *Tenetur enim potiùs fugere, quam ſe ipſum defendere.*

d *Ut putà, vetito ludo incumbens.*

e *Ex Abb. in cap.* 12. *de homic. vol. &c. ſub num.* 2.

f *Ergo ſi medicus laicus, qui velit nunc clericus fieri, adhibuit ægrotantibus debitam diligentiam, licèt ad manus ſuas aliqui mortui ſint, non propterea efficitur irregularis gl.*

g *Ideſt, minores ſeptem annis, l. ſi infanti* 18. *C. de Jur. del. cap. unico, in princ. de deſp. impub. in* 6.

h *Idem ſi Judex contra Juſtitiam proceſſiſſet ad pęnam ſanguinis. gl. hic.*

Publi-

Publicè quoque, ac solemniter pœnitentes, tàm ad sacros ordines, quàm etiam infimos promoveri non debent §. *Sunt autem, de pœnit. & remiss.* Ubi de hac publica, & solemni pęnitentia plenius videbimus. Possunt tamen publicè, ac solemniter pœnitentes, si necessitas, aùt utilitas exegerit, inter Hostiarios, vel Lectores collocari, *c. placuit, & ibi gl. dist.* 50.

Similiter illi, qui negotiis, & officiis sæcularibus serviunt, ut sunt procuratores, (i) Actores, (k) Tutores, Curatores, & & similes, ordinari non possunt: nisi eorum vita post deposita onera, & reddita ratiocinia deprehensa fuerit inculpata, *cap. unico de obligat. ad ratioc. ordin. vel non. Videte Abbatem in d. cap. unico sub num.* 3. 7. 9. *&* 10.

Vsurarius verò, nonsolùm ordinandus non est, verùm etiam ordinatus deponendus, *c.* 1. *&* 4. *cum duob. seq. dist.* 47.

Item ordinandi non sunt, & ordinati sunt deponendi, Simonioci, Seditiosi, & injuriarum suarum pertinaces ultores. Si quis verò aliquando ultus fueris injuriam, & pœnituerit, non erit repellendus ab ordinatione. §. *Idem statuendum, & ibi gl. ult. h. t.*

Fur autem, si quidem spontè furtum confessus, damnum passo satisfecerit, & pœnitentiam peregerit, si alioquin idoneus fuerit, nec super furto manifesta respersus sit (*l*) infamia, ad sacros ordines promoveri poterit. §. *de fure h. t.*

i *Procurator est, qui aliena negotia mandato domini administrat, l. 1. ff. de procurat.*

k *Actor constituitur à corpore, vel Universitate, & aliàs etiam dicitur Syndicus, l. 1. §. 1. ff. quod. cujusque univers.*

l *Scilicet, facti, quæ gravat opinionem hominum.*

Ad §. Sed etsi.

RAtione suspicionis futuri lapsus ordinari non debet ille, de cuius fide, vel continentia suspicio sit. Ut ecce, si quis in ægritudine constitutus, baptizatus fuerit: presbyter ordinari non debet. Nisi fortè posteà ipsius studium, & fides emicuerit, aùt hominum raritas hoc exegerit, *c.* 1. *dist.* 57. Scienter autem (*a*) rebaptizati, ad clericatus gradum

non

non ſunt promovendi, *c. confirmandum diſt.* 50. Idem eſt dicendum de rebaptizatis ignoranter, ignorantia Juris, *c. qui bis, juncta gl. de conſecrat. diſt.* 4.

Filii quoque presbyterorum, Diaconorum, & Subdiaconorum ad ordines promoveri non poſſunt, niſi aùt monachi fiant, vel in Congregatione Canonica regulariter viventes, religioſè probati fuerint converſari, *c.* 1. *& ibi gl. diſt.* 56. Hoc tamen ad nepotes non extenditur: quia odia ſunt reſtringenda, *c. odia, de reg. jur. in* 6. Et quod dictum eſt de filijs, intelligendum eſt de iis, ad quos adulterio natos paterna flagitia hæreditaria ſucceſſione deſcendunt. Unde ſi vel ex legitimo nati ſunt matrimonio, vel morum honeſtas eos commendabiles fecerit, non ſolùm Sacerdotes fieri (*b*) poſſunt: ſed etiam Summi Sacerdotes, *diſt.* 56. §. 2. *& c.* 2. *juncto cap. ad hæc* 12. *de filiis presbyt.* Cum diſpenſatione tamen, ſi non ſint nati ex legitimo matrimonio: eſt enim regulare, quod illegitimè nati non poſſunt promoveri ſinè diſpenſatione: Et Epiſcopi poſſunt quidem diſpenſare cum illegitimè natis, ut promoveantur ad minores ordines, & ad beneficia ſimplicia, ſi eis aliud canonicum non obſiſtat, ſed ad majores ordines, ad dignitates, & perſonatus, & alia beneficia Curam animarum habentia, non legitimè nati, ſinè diſpenſatione Sedis Apoſtolicæ, piomoveri non poſſunt, & de facto aliter promoti, amovendi ſunt, *cap. ult. de filiis presbyt. ord. vel non, & cap.* 1. *de filiis presbyt. in* 6. Et notate, quod filii presbyterorum, & cæteri illegitimè nati, qui monachi fiunt, vel in Congregatione canonica regulariter vivunt, poſſunt quidem ſinè diſpenſatione (*c*) ad ordines promoveri, non tamen ad (*d*) Prelaturas *cap.* 1. *de filiis presbyt. ordin. vel non*.

Item ordinari non poſſunt (*e*) bigamus, & qui viduam, vel ejectam, meretricem, vel ancillam uxorem duxerit, *cap.* 1. *de bigam. non ord. c. Si quis viduam diſt.* 34. Eſt autem bigamus, qui duas habuit uxores, ſive baptizatus ambas, ſivè ambas ante baptiſmum, ſivè unam ante baptiſmum, & poſt baptiſmum alteram: quia in baptiſmo culpa quidem dimititur, ſed lex coniugii non aboletur, *c. acutius, cum duob. ſeq. diſt.* 26. Vidua eſt, cuius cognitæ maritus mortuus eſt. Unde is, qui

ab alio quidem ductam, sed minimè cognitam duxit uxorem, propter hoc impediri non debet, quin possit ad Sacerdotium promoveri, §. *Item repellendi h. t.* Ejecta est, quæ vivente marito, eiicitur. Meretrix, quæ multorum libidini patet, & cujus turpitudo publicè (*f*) venalis est. §. *Ejecta h. t.* Est igitur bigamus, ut dictum est suprà, qui duas habuit vxores, maritus viduæ, qui viduam habuit uxorem: Si quis tamen in sacris constitutus (*g*) de facto viduam in uxorem duxerit, & cognoverit, vel laicus primam uxorem duxerit, & cognoverit, (*h*) & in sacris constitutus alteram (*i*) de facto, licèt nec bigamus sit, nec maritus viduę, quia tamen quantum in ipso fuit secundas nuptias contraxit, & viduam duxit, tamquàm (*k*) de bigamo, & marito viduæ est (*l*) constituendum. §. *Si quis tamen h. t. juncto cap. 4. & vlt. de bigam. non ordin.* Aliud juris est de concubinis, quas si plures quis habuerit, irregularitatem bigamiæ non (*m*) incurrit, *cap. quia circa 6. de bigam non ordin.*

a *Idem de scienter rebaptizantibus. Ricc. hic in add. Jure verò Civili, tàm rebaptizanti, quàm rebaptizato scienter, pœna capitis imponitur, l. 2. C. ne sanct. bapt. iter.*

b *Non tamen propterea possunt illegitimi deservire in Ecclesia paterna. Vide Concil. Trid. sess. 25. cap. 15. de reform.*

c *Abb. in cap. 1. de fil. presbyt. sub num. 2. Quidam tamen contrarium asserunt, tenentes, quod talis ingressus nihil aliud operetur, nisi quod cum talibus facilius dispensatur, ut refert gl. in cap. 1. dist. 56.*

d *Quod excludantur à Prælatione tam in eisdem, quàm in aliis monasteriis & etiam in Ecclesia sæculari, tenet Abb. in cap. 1. de fil. presbyt. sub. num. 6.*

e *Est autem quadruplex ratio, ob quam bigami prohibentur ordinari, ut per Abb. in rub. de bigam non ordin.*

f *Nàm si non questus gratia sui copiam faceret: sed amoris, vel libidinis, non esset propiè meretrix. gl. hic.*

g *Ex gl. ult. in cap. ult. de bigam. non ord.*

h *Ex gl. hic.*

i *Duxerit, & cognoverit. Est enim necessarium in omni bigamia, ut sequatur copula. Vallens in Tit. decret de bigam. non ord. sub num. 2.*

k Simi-

k *Similitudinarium est, non veritatis expressivum gl.hic.Unde etiam hæc dicitur bigamia similitudinaria.*

l *Idem esset si ex alio impedimento non tenuisset matrimoniū, propter affinitatem fortè, vel consanguinitatem. gl. hic.*

m *Sed cum eo, tamquam simpliciter fornicatus sit, quoad executionem Sacerdotalis officii, dispensari poterit, etiam ab inferioribur §.Aliud Juris, & ibi gl.h.t.*

Ad §. Cavenda, usque ad §. Ult.

NOnsolùm autem propter animi, sed etiam propter corporis vitia prohibetur quis promoveri. Non tamen omninò indistinctè procedit, quod propter corporis vitium impediatur quis ordinari: Unde pro præsentis materiæ intelligentia duo capita sunt constituenda.

Primum Caput est, quando corporis vitium procedit sinè culpa, & absque voluntate vitiati.

Secundum Caput est, quando quis culpa, aùt voluntate sua corpore vitiatus est.

Quoad Primum Caput, Tres Casus considerandi sunt.

Primus est, quando corporis vitium tale est, quod in exercitio ordinis impedimentum præstet: & tunc non potest quis ad ordines promoveri, veluti, si quis sit cæcus, vel surdus.

Secundus Casus est, quando vitium corporis est tale, quod insignem deformitatem inducat: Et tunc pariter non potest quis ordinari. veluti, si quis caret (*a*) oculo: Talis enim, non obstante, quod casu, & absque voluntate oculum amiserit, sacerdotium consequi non potest. §.*hæc autem*.

Tertius Casus est, quando vitium corporis est tale, quod in exercitio ordinis impedimendum non præstat, nec insignem deformitatem inducit; & tunc non prohibetur quis ad ordines promoveri. Si quis enim v.g.exiguam partem digiti vel unguem nolens amiserit: ità ut sine (*b*) scandalo possit celebrare, à Sacerdotio repellendus non erit §. *hoc tamen*. Idem juris est de eo, qui vel vi, vel in cunabulis, vel de medico-

dicorum consilio, metu imminentis periculi, fuit abscissus *§.Idem juris*.

Cæterùm, si Sacerdotali in ordine constituto, acciderit aliquod ex suprà dictis corporis vitiis, quæ impediunt susceptionem ordinum, quod olim integer acceperit, non amittet. *§.hæc autem*. Amittet tamen executionem ordinis in illo officio, quo nec securè, nec sinè scandalo fungi potest. *cap.2.& 3.de cler. egrot. vel debilit.*

Quoad Secundum Caput, quando scilicèt quis culpa, aùt voluntate sua corpore vitiatus est. Regula generalis est, quod corpore vitiatus prohibetur ad ordines promoveri, nec distinguitur, an vitium in executione ordinis impedimentum præstet, vel non, nec pariter distinguitur, an vitium insignem deformitatem inducat, vel non. Unde, qui volentes, & carnali vitio repugnare fortè cupientes, se ipsos absciderint, quia sui (c) homicidæ sunt, ad clerum pervenire non possunt. *§.Idem juris*. Et similiter ordinari prohibentur, qui ab aliis talem abscissionem passi sunt, culpa tamen sua, veluti, quia jusserint, aut rogaverint. *Vallens in Tit.Decretal. de corp.vit.ord.vel non, sub num.* 4.

a *Consuevit tamen Curia dispensare: præsertim quando quis amisit dexterum oculum, & sic non oculum Canonis, vel Evangelii.*

b *An sit scandalum, vel non, declarabit Episcopus, gl. hic, Vallens in Tit.Decr.de corp.vit.sub num.7.in fine.*

c *Dicuntur homicidæ, propter homicidii periculum, quod sectionem sequi poterat. gl.hic.*

Ad §. Ultimum.

IS quoque, qui in furorem aliquando versus insanuit, aùt quolibet modo vexationis incursibus effertur, aùt in scęna luserit, vel afflictione diabolica vexatus fuerit, ordinari non poterit. Quod tamen hic dicitur de eo, qui iu scęna luserit, debet intelligi de eo, qui hoc professus fuerit, ut hystriones, non de illo, qui semel luserit, *ut per DD. in cap. ad honorem, de auct. & usu pal.* Clerici etiam, qui in adolescen-

tia

tia à dęmonibus cognoſcuntur obſeſſi ad ſuperiorem gradum aſcendere non poſſunt, *c. clerici diſt. 33*.

De præbendis, & aliis beneficiis.

TITULUS XXVI.

Cum ſuprà de dignitatibus Eccleſiaſticis, quibus præbendæ videntur annexæ, locuti fuerimus, non ſinè cauſa poteſt ſequenti loco de præbendis tractari.

Præbenda nihil eſt aliud, quàm Jus percipiendi proventus Eccleſiaſticos, tamquam uni de collegio competens, & ex canonia procedens. Ex primis verbis hujus definitionis: Præbenda (*a*) eſt Jus. Notate, quod Præbenda, prout hic ſumitur, eſt nomen Juris. Et ex verbis illis: Tamquam uni de collegio competens, & ex canocica procedens. Notate, quod per iſta verba excluduntur præbendæ, quæ aſſignantur puris Laicis veluti, Advocatis, Procuratoribus, Muſicis, & ſimilibus pro ſuis ſalariis: Tales enim præbendæ ipſis Laicis non competunt tamquam perſonis de Collegio, nec deſcendunt ex Canonia, *gl. hic*. Dicitur autem præbenda ex Canonia procedare, quia præbenda naſcitur ex Canonia, ſicut filia (*b*) ex matre: ex quo enim quis habet Canoniam, per conſequens, & præbendam habere debet. *Hoſtien. in Sum. in Tit. de Præb. & dig. ſub num.* 1. Cùm enim, ut lex divina præcepit, qui altari ſervit, de altari debeat & vivere, dignum eſt, ut qui divinis adſcribitur obſequiis, Eccleſiæ ſuſtentetur ſtipendiis, *cap. cum ſecundum Apoſtolum* 16. *de præben. & dignit.* Et ideò conſtitutum fuit, ut ſi Epiſcopus aliquem ſine certo titulo, unde vitæ neceſſaria percipiat, ordinaverit, tandiu ipſe, aut eius ſucceſſor, ordinato neceſſaria (*c*) ſubminiſtret, donec ei in aliqua Eccleſia convenientia clericalis militiæ ſtipendia aſſignentur, niſi talis ordinatus de paterna (*d*) hereditate vitæ poſſit habere ſubſidium. §. *Et ideò, & §. eis autem h. t. cap. 2. 4. & 16. de præben. & dignit. Vide Concil. Trid. ſeſſ. 21. cap. 2. de reform.* Ob penuriam tamen Sacerdotum poteſt quis ſinè beneficio ordinari, & abſque patrimonio,

dum-

dummodò alius idoneus spondeat necessaria, vel si ipse ordinandus habeat duntaxat nomina debitorum, vel mobilia, curet quanto citius poterit, ut in immobilia convertantur. *Ricc.in Add.ad §.Cum enim, h.t.circa finem.*

Quod si Episcopus mandato alterius in aliena diœcesi ordines celebret, mandans tenebitur inopi ordinato vitæ necessaria ministrare si de (*e*) certis personis ordinandis commissionem dederit, ordinator verò tenebitur, si mandatum susceperit generale, & non expresso nomine ordinandorum, *cap.si Episcopus 37. de præb.& dignit.in 6.* Quod tamen hic dicitur non habet locum in ordinatis ad minores *gl.in d.c.si Episcopus.*

Si verò diœcesanus det licentiam alicui, ut possit à quo voluerit Episcopo, ad sacros ordines promoveri, non qui ordinat, sed qui tribuit (*f*) licentiam obligatur ad supradicta, *d.cap.si Episcopus §.ult.* Nisi tamen ordinatus de paterna (*g*) hereditate vitæ possit habere subsidium, *cap.4.de præb.& & dig.*

Conceduntur autem præbendæ, vel beneficia duobus modis, per collationem, & per Institutionem. Collatio est libera quædam præbendæ (*h*) concessio. Institutio est præbendalis Juris ad præsentationem patroni facta translatio. Et licèt etiam Institutio possit collatio (*i*) appellari, ut tamen faciliùs diversi modi, quibus præbendæ, vel beneficia conceduntur, possint distingui, commodius est in præsenti cuilibet modo proprium nomen assignare.

a *Præbendæ multipliciter sumuntur ut in add.Ricc.ad princ.h.t.*

b *Et sicut descendit Actio ex obligatione gl.hic.*

c *Secundum facultatem Ecclesiæ,& Clerici dignitatẽ gl.in c.4. de præb.& dignit. Ne ordinatus in Cleri opprobrium mendicare cagatur, gl.in cap.16.in verbo, successores, de præb.& dig.*

d *De suo. In cap.4.de præb.& dig.legitur de sua, vel paterna hereditate.*

e *Et expressis.*

f *Cum eam dare non debeat Titulum non habenti, cap.si Episcopus, in fine, de præb.& dig.in 6.*

g *In d. cap.4. de præb. & dig. legitur de sua vel paterna hereditate.*

h *In-*

h *Intellige, vel alterius beneficii, gl. hic. Vel dicas, quod præbenda hic ità generaliter accipitur, ut comprahendat etiam beneficia.*

i *Sed minus propriè.*

De Collationibus.

TITULUS XXVII.

DIctum fuit in fine Tituli præcedentis, quod conceduntur præbendæ, vel beneficia per collationem, & per Institutionem: Ideò sequitur ut de collationibus videamus in hoc Titulo, & de Institutionibus in Titulo proximè sequenti.

Conferuntur autem præbendæ, vel beneficia, aùt ab Ordinario, aùt ex mandato Legati Sedis Apostolicæ, aùt Pontificio rescripto.

Ad §. Ordinarius.

ORdinarius collator is est, quem aùt consuetudo approbavit, aùt Juris designavit auctoritas, ut Episcopus, Capitulum. Et est præposita in ordine hujus literę consuetudo auctoritati Juris fortè quia consuetudo in provisione beneficiorum præfertur Juri communi, *gl. hic*.

Ad §. Quam conferendi.

DIctam conferendi potestatem Episcopus, & Capitulum interdum habent communiter: interdum disiunctim. Si ad Episcopum, & Capitulum communiter conferendi potestas pertineat, alter sinè altero conferre non poterit, nisi impedimentum in altero adesse contigerit. Mortuo (*a*) igitur Episcopo, vel à beneficiorum collatione suspenso, vel majoris excommunicationis vinculo innodato, poterit Capitulum vacantes conferre præbendas, etiam si Episcopus interesse habeat in collatione hujusmodi, ut Prælatus. Idem pote-

poterit Episcopus, si Capitulum ab ipsa collatione suspendi contingat, vel singulariter omnes de Capitulo majoris excommunicationis vinculo innodari, *cap. unico, ne Sede vac. aliquid innou. in 6.*

a *Idem si quocunque alio modo vacet Sedes, ut renunciatione, depositione, vel alio quovis modo. gl. hic.*

Ad §. Cùm verò.

CUm verò ad solum Episcopum præbendarum spectat collatio, cum consilio sui Capituli, vel (*a*) assensu, defuncto Episcopo, vel suspenso, nisi Episcopus in petenda relaxatione suspensionis huiusmodi sit in mora, Capitulum conferre non potest, *cap. unico §. Cùm verò, ne Sede vac. aliquid innou. in 6.* Et Judex arbitrabitur, an Episcopus sit in mora, *gl. in d. cap. unico, in Verbo, in mora.*

a *Majoris partis.*

Ad §. Ubi verò.

UBi verò collatio ad aliquem cum consilio Episcopi pertinet, si moriatur Episcopus, cùm nequeat tunc consilium peti ad eo, non erit propterea vacantis beneficii collatio differenda. Nec etiam erit collatio differenda, si Episcopus adeò sit (*a*) in remotis ut non possit ipsius præsentia in brevi haberi: Quia in petendo, vel expectando eius consilio, posset vacanti beneficio periculum imminere, *cap. unico §. ult. ne Sede vac. aliquid innou. in 6.* Quid si collatio pertineret ad aliquem cum consensu Episcopi? Idem videtur, cum eadem sit ratio vacationis diutinæ in hoc casu. Contrarium tamen tenet *gl. in d. cap. unico §. ult.*

a *Hæc autem distantia erit metienda Judicis arbitrio. gl. in cap. unico §. ult. ne Sede vac. in 6.*

Ad §. Eadem ratione.

EAdem ratione, scilicèt quia propter moram vacanti beneficio posset imminere periculum, ubi ad solum Episco-

ſcopum ſpectat collatio, ſi Epiſcopus per ſex menſes conferre diſtulerit, ad Capitulum collatio devoluitur, *cap. 2. §. cum verò, & §. ult. de conceſſ. præb.* Hoc tamen intelligendum eſt ubi collatio ad Epiſcopum ſpectat Jure proprio; non autem ſi ad eum ſpectet ratione devolutionis, putà devoluto Jure conferendi ad Epiſcopum ob negligentiam, vel delictum inferioris collatoris: quia hoc caſu, etiam negligente Epiſcopo, non fit devolutio ad capitulum, ſed ad proximum Superiorem. Ratio diverſitatis: quia in his devolutis non eſt tanta communio inter Capitulum, & Epiſcopum, quanta in ſpectantibus Jure proprio *Abb. in d. cap. 2. ſub num. 8. de conceſſ. præben.* Ex contrario ſi ad ſolum Capitulum pertineat collatio, & infra ſex menſes Capitulum non (*a*) conferat, hoc Epiſcopus, cum religioſorum virorum conſilio exequetur. Quod ſi omnes fortè negligentes fuerint, ad metropolitanum devoluitur collatio, *d. cap. 2. §. ult. de conceſſ. præb.* Vel ad Papam ſi Epiſcopus ſit exemptus, *cap. 3. de ſupplenda neg. prælat.*

a *Sed quid ſi conferat poſt lapſum tempus ſex menſium, an tenebit collatio, & electio?* ℞. *negativè. Niſi de patientia tolleraretur. gl. hic, & in d. cap. 2. de conceſſ. præb. vide infrà, ad §. Is quoque.*

Ad §. Idem ſtatuitur.

Similiter ſi regulares Prælati quævis beneficia ad illorum diſpoſitionem (*a*) ſpectantia intra ſex menſes conferre negligant, locorum diœceſani in non exemptis propria, in exemptis verò Apoſtolica auctoritate eorumdem negligentiam ſupplebunt, juxta modum præſcriptum *in Clement. unica de ſupplen. neg. prælat.* Et dicta Clementina loquitur de Prioratibus, Eccleſiis, adminiſtrationibus, aut quibuſvis aliis beneficiis ad diſpoſitionem regularium Prælatorum ſpectantibus, quæ tamen non ſunt de menſa Prælatorũ ipſorum, ſed ſpeciales, licèt obedientiarios, priores, adminiſtratores, ſeù rectores conſueverunt habere. Et in eadem Clementina, inter alia, diſponitur, quod diœceſani locorum, prioratus, Eccleſias, adminiſtrationes, & beneficia hujuſmodi, quæ conſueverunt

per sæculares clericos gubernari, sæcularibus clericis, alia verò, quæ regularibus duntaxat committi sunt solita, vel conferri, religiosis monasteriorum, quorum Prælati negligentes fuerunt, conferri debeant.

a *Idest, collationem, vel provisionem, quia si ad solam præsentationem, vel electionem ipsorum spectarent, tunc ad confirmantem, vel instituentem devolveretur potestas; sivè sit diœcesanus, sivè alius. gl. hic, & in d. Clement. unica.*

Ad §. Tempus autem.

Tempus autem sex mensium, quod datur, ut suprà diximus, ad conferendum, non currit legitimè impeditis (*a*) nisi quis sit negligens in remondo impedimento: & à die notitiæ, non à tempore vacationis, debet computari, *cap. 5. & ibi gl. de concess. præb.*

a *Impedimenta tam Iuris, quàm facti. gl. hic.*

Ad §. Hæc autem.

Quod si in Ecclesia neque dictinctæ præbendæ, nec certus sit Canonicorum numerus, devolutioni collationis locus esse non potest, quia tunc vactio præbendarum non est possibilis. Statutum igitur Lateranensis Concilii de deuolutione collationis beneficiorum ultra sex menses vacantium, locum in hoc articulo nullatenus habere potest, *cap. ex parte 10. de concess. præb.*

Ad §. licèt autem.

Licèt autem ob negligentiam Episcopi diferentis ultra sex menses vacantia beneficia conferre, conferendi potestas ad Capitulum devoluatur: Sede tamen vacante Capitulū non (*a*) fungitur vice Episcopi in conferendo, cum eo casu nullius Superius possit argui negligentia, *cap. 2. ne sede vacante*. Ad Papam igitur recurrendum erit, ut provideatur vacanti Ecclesiæ, *Abb. in d. cap. 2. sub num. 3.* Ubi etiam addit

addit suprà dicta procedere in beneficiis ad Episcopum spectantibus proprio Jure. Secus in beneficiis devolutis ad Episcopum propter negligentiam, vel delictum inferioris, quia illa possunt conferri per Capitulum Sede vacante. Potest etiã Capitulum Sede vacante confirmare (*b*) electiones, *cap. Cum olim 14. de major. & obed.* Et præsentatos à patronis admittere, (*c*) & instituere, ut infrà, *de Institut. & Jur. pat. ad* §. *Dissimiles*.

a *Neque succedit in præsentatione, seu electione spectante ad Episcopum*.

b *Quia auctaritas confirmandi est Jurisdictionis necessaria*.

c *Est enim hoc Jurisdictionis necessaria*.

Ad §. Is quoque.

IS quoque, qui per lapsum dictorum sex mensium conferendi Jus amiserit, si nihilominus posteà personis idoneis beneficia assignaverit, quamquam collatio mero Jure non teneat: ex dispensatione (*a*) tamen, & benignitate tolerari poterit, *cap. literas 4. de supplen. neg. prælat.* Sola igitur patientia dat Jus talibus institutis, non institutio perperam facta. Et hoc intelligitur de patientia Papæ, non inferiorum, inferiores enim possunt quidem de novo (*b*) conferre, sed non ratificare, *gl. ult. hic*.

a *Ubi Papa ex certa scientia mandat aliquem patienter tolerari, talis patientia habetur pro dispensatione, Abb. in dict. cap. 4. sub num. 2.*

b *Dummodò tempus ipsorum non sit lapsum, Abb. ubi suprà*.

Ad §. Ex legationis.

EX legationis quoque munere conferendi competit facultas: quod tamen non indistinctè obtinet: Ideòque pro intelligentia eorum, quæ hic dicturi sumus, notate, quod legatorum tres sunt species: alii enim dicuntur legati, de latere, alii verò lagati missi, alii denique legati nati.

Legati de Latere, ex usu Romanæ curiæ, dicuntur soli

Cardinales, ab ipso Summo Pontifice, ex Urbe, & Curia Romana missi ad certam Provinciam administrandam, vel ad negotia cum Regibus, Principibus, aùt aliqua Republica tractanda; *Andreas Vallens.in Tit.Decretal.de offic. leg.* §. 1. *sub num.*2. Et ideò dicuntur legati de latere quia quasi de latere Summi Pontificis, cui assistunt in consiliis & arduis, mittuntur. *cap.*8. *& 9.de offic.leg. juncto c. Ecclesia* 16.*q.*1.

Legati missi dicuntur legati illi, qui non de latere Summi Pontificis, sed extra ordinem Cardinalium à Summo Pontifice mittuntur, ut sunt illi, qui dicuntur Nuncii Sedis Apostolicæ. Et quamquam mitti possint clerici quicunque: Solet tamen Summus Pontifex Prælatos tantùm huic muneri deputare. Et plerumque cum auctoritate legati de latere constituuntur.

Legati nati dicuntur illi, qui legationis dignitatem suis Ecclesiis annexam habent. Et ideò nati dicuntur quia simulatque ad tales Ecclesias eliguntur, eisque præficiuntur, unà etiam veluti nascuntur legati Papæ in sua Provincia, *Vallens ubi suprà sub num.*4.*& gl. hic in verbo Ecclesiarum.*

Legati igitur missi, & legati nati, ex ipsa legatione nullam habent conferendi potestatem, nisi hoc alicui specialiter indultum fuerit. Legatis autem de Latere, sine speciali concessione, etiam Ecclesiastico patrono invito, conferendi (*a*) facultas competit. (*b*) Sicut enim honoris prærogativa letantur: sic eos auctoritate fungi congruit ampliori, *cap.* 1. *de offic.leg. in 6.junc.cap.dilectus 6. de offic. leg.*

a *Ubi ergo est legatus delatere in provincia, vel alius habens speciale mandatum, possunt, tres concurrere in collatione beneficicij, Papa scilicèt, legatus, & ordinarius. Vide §.Item si à sede, infrà eod.Tit.*

b *Intra suæ legationis terminos §.est ergo, h. t. An autem legatus de latere conferre possit beneficia ob lapsum temporis Concilii Lateranensis ad Papam devoluta, Variæ sunt opiniones, ut not.gl.in cap.1.de offic. leg.in 6.*

Ad

Ad. §. Sed tamen.

NOn tamen legati de Latere Cathedrales, vel Regulares, aut collegiatas Ecclesias,(*a*)seù Ecclesiarum Cathedralium dignitates, ad quas per Electionem promoti, (*b*) primum post Episcopum obtinent locum, veluti, Archidiaconatum, suæ ordinationi, collationi, provisioni, electioni, aùt dispositioni, quomodocumque reservare possunt: nec de ipsis ordinandis, conferendis, vel disponendis, se aliquatenus intromitere; neque aliquod obstaculum iis interponere, ad quos pertinuerit eligere, aùt postulare cum vacabunt. Nec facere possunt plures beneficiorum reservationes eodem tempore in (*c*) eadem cathedrali, vel collegiata Ecclesia, vel ad eiusdem collationem pertinentium, *cap. 3. §.cæterum, & cap.4.de offic.legat.in 6.*

a *Id est, principales dignitates in Ecclesiis, puta Episcopatum, Plebaniam, Abbatiam, Prioratum, gl.hic, & in cap.4.de offic. leg.in 6.*

b *Not.duo debent concurrere, ut legato ligentur manus circa has dignitates. Primò quod debeant concedi per electionem. Secundo quod obtineant primum locum post Episcopum, gl.hic.*

c *Sivè spectent ad collationem unius, sivè diversorum, ex gl.hic.*

d *Licèt sit diversitas in Ecclesiis, gl.hic.*

Ad §.Ille quoque.

REservationes quoque, quas legati de latere jure fecerint, dummodò beneficia jàm vacantia collata non sint, finita (*a*) eorum legatione, expirant: nec executores dati amplius ea conferre poterunt, *cap. 3. de offic. leg. in 6.* Aliud est in Papa: potestas enim executorum datorum à Papa super gratia facta, etiam re integra: & super facienda, re non integra, benè durat post mortem Papæ, *cap. si super 9. de offic. deleg. in 6. & cap. si cui 36. de præben. & dig. eodem lib.* Et ratio est: quia Papa potest Jus ad

vaca-

vacatura dare: sed non sic legatus, *gl.Ult.hic, & in d. cap.3. In Verbo, finitur.*

a *Quod potest esse multis modis, ut in gl. hic, & in d. cap. 3. de offic.leg.in 6.*

Ad §.Sed nec aliter.

SEd nec aliter collatio beneficii per legatum de latere facta valebit, quàm si de beneficio, quod tunc provisus obtinet, facta sit mentio (*a*) specialis, licèt id in aliorum ordinariorum collationibus minimè requiratur *cap.finali, de offic. leg. in 6. Clement. ult. de offic.Iud.ord.* Et ratio diversitatis hujus Juris diversi legatorum ad alios ordinarios, est quia ordinarius præsumitur facere magis ex certa scientia, cum sit ordinarius, & perpetuus, & præsumatur cognoscere oves suas, quæ ratio non militat in legato, *gl. ult. hic.*

a *Idest expressa, ut not.in marg.ad gl.in Clem.2. de offic.ord.*

Ad §.Illud autem.

ILlud autem tam in ordinario, quàm etiam in legato statutum est, quod si cui (*a*) beneficium contulerint, de eo alteri, antè dissensum primi, providere non poterunt. Quod si fecerint, provisio facta non subsistet *cap.si tibi 17, de præb.& dig.in 6.* Planè si collatores, notificata collatione illi, cui beneficium contulerint, ad consentiendum terminum competentem eidem assignent, si non consenserit, poterunt, lapso termino, beneficium liberè conferre. Antequam tamen beneficium alteri conferatur, non obstante lapsu termini, ille, cui beneficium fuit collatum, poterit collationi consentire, *d.cap.si tibi 17.de præb.& dig.in 6.* Sed quid, si prius expresè dissenserit, an rursus mutato proposito possit consentire? Respondetur, poterit, manente conferente in eadem voluntate, *gl.hic, & in d.cap. si tibi 17.*

a *Absenti fortè, vel si præsenti, dicenti tamen se velle deliberare. gl.hic, & in cap.si tibi 17.de præb. & dig.in 6.*

Ad

Ad §. Per rescriptum.

PEr rescriptum Apostolicum mandatur fieri collatio, aùt purè, aùt adiecto die, aùt sub conditione. Et hæc triplex distinctio non fit suprà in aliis collatoribus: quia solus Papa potest beneficia, & Prælaturas sub conditione, & ad tempus, & sicut vult conferre, *gl. hic*.

Purè mandatur fieri collatio, ut cùm mandatur simpliciter, ut alicui de beneficio, aùt prebenda provideatur.

Ad §. Dies.

DIes adiicitur collationi; ut cùm præbenda confertur, quam quis intra mensem, ut est de stylo Curiæ, aùt intra aliud tempus à vacationis notitia duxerit acceptandam, (*a*) quo casu, si Decretum irritans fuerit appositum, (*b*) collatio per ordinarium alteri facta intra tempus præfixum, nulla erit, *Clement. unica §. secus autem, de concessione præb.* Et appellamus Decretum irritans, istam clausulam, quæ consuevit apponi in mandatis Apostolicis, scilicèt: Decernentes irritum, & inane quidquid in præjudicium mandati nostri attentatum fuerit. Vel Decretum irritans est, quando Papa mandat Episcopo, vel Archiepiscopo, conferas beneficium primò vacaturum tali, quòd si non feceris, & alteri feceris collationem, omnia sint irrita & vana, *gl. in princ. d. Clement. unic.* Et animadvertite, quod poterit talis impetrans obtinere, non solùm beneficium, quod vacabit post rescriptum, sed etiam illud, quod tempore rescripti depræhenditur vacans etiamsi in reservatione diceretur (Quod vacabit) nàm & illud vacabit, quod vacans reperitur, *gl. in dict. Clem. unica, in Verbo, Notitia*. Præsumitur autem impetrantem prædictæ vacationis habere notitiam, ex quo ipsa vacatio in loco, (*c*) vel Ecclesia hujusmodi beneficii publicè nota erit. Debet enim impetrans sibi imputare, si id, quod per se, vel per alium scire potuerit, ignoraverit, *dicta Clement. unica §. ult.*

a *Acceptare autem intelligitur, etiam petendo sibi conferri, d. Clem. Vnica, vers. quin etiam.*

b *Secus si non sit appositum, cap. 6. de concess. præb. in 6. & quando est appositum Decretum, etiam ante præsentationem literarum est affectum beneficium, gl. in d. cap. 6.*

c *Satis est, quod vacatio sit nota in Ecclesia, licèt in loco, vel opido sit occulta gl. hic.*

Ad §. Sub conditione.

SUb conditione mandatur fieri collatio, ut cùm Papa mandat provideri alicui de beneficio, si per executoris inquisitionem (*a*) repertus fuerit vitæ laudabilis: vel si (*b*) Capitulum consenserit, vel alia adiecta conditione. Quo casu, etiam apposito irritante Decreto, non impletis adhuc cōditionibus, vacans beneficium per ordinarium, aùt per alium executorem ad providendum de tali beneficio datum; liberè conferri poterit: quia Decretum huiusmodi in eventum duntaxat prædictarum conditionum suum sortitur effectum, *Clement. unica de concess. praben.*

a *Hac inquisitio fiet sine solemnitate Judiciali. In summa erit solùm informatio de ætate, legitimitate, de moribus, scientia, & similibus. gl. hic.*

b *Dicetur autem consentire Capitulum, si major pars consenserit.*

Ad §. Sed multum.

SEd multum interest motu ne proprio, an ad alterius petitionem de beneficio provideri mandetur. Si enim proprio motu, etiam si de beneficiis, quæ obtinet ille, cui de beneficio motu proprio provideri mandatur, mentio facta non fuerit, non ob hoc gratia hujusmodi erit invalida, qualiacunque fuerint beneficia, & in numero quantocunque. Non tamen per motum proprium intelligitur in retentione plurium beneficiorum dispensatum: sed hoc operatur motus proprius, quod facta gratia nequeat (*a*) subreptitia judicari.

Quod

Quòd si ad petitionem illius, cui beneficium debet conferri, vel ad petitionem alterius pro eodem oblatam, gratia hujusmodi facta sit, quantuncumque modicum beneficium scienter (*b*) taceatur, veluti surreptitia non valebit, *cap. si motu proprio 23. de præb. & dig. in 6. Clement. 4. de præb. & dignit.* Idem etiam si tacitum fuerit de pensione, *gl. hic*.

Item, si pluribus in aliqua Ecclesia vacantibus dignitatibus, vel præbendis, Romanus Pontifex dignitatem vel præbendam in ipsa Ecclesia motu proprio cuiquam in genere conferat: collatio intelligitur facta de dignitate, seù præbenda pinguiori: quod si forsan æquales sint, poterit is, cui gratia est concessa, infrà decem dies, post habitam de dicta vacatione notitiam, quam voluerit ex dictis dignitatibus, vel præbendis, eligere: eo tamen infrà tempus debitum eligere negligente, ad eum, ad quem dictarum dignitatum, vel præbendarum spectat collatio, ex tunc electio liberè devolvitur. Si vero ad petitionem illius (*c*) cui fit gratia, vel ad petitionem alterius pro eodem oblatam, gratia hujusmodi facta fuerit: collatio intelligitur facta de dignitate, seù præbenda tenujori: quod si forsam æquales sint, gratia referenda erit ad eam, quam is, ad quem ipsarum spectat collatio, infrà dictum tempus decem dierum elegerit, postquam sibi hujusmodi gratia erit nota. Collatore verò infrà tempus debitum eligere negligente, ad eum, cui gratia fuit facta, ex tunc electio liberè devolvitur, *cap. si pluribus 24. de præb. & dignit. in 6.* Motu autem proprio, tunc solùm gratia fieri censetur, cum hoc expresè cautum fuerit, *cap. si motu proprio 23. in fine, de præb. & digit. in 6.* Et hoc locum habet etiam si probaretur aliàs, quòd Papa motu proprio collationem fecit. Et è converso, si Papa exprimat, quod facit gratiam motu proprio, si adversarius velit probare, quod immo ad petitionem alterius pro eodem oblatam, hoc fecit Papa, non audietur, *gl. hic, & in dict. cap. si motu proprio, In Verbo, expresè.*

a *Aliam verò inhabilitatem illius, pro quo scribitur, non tollit motus proprius ubi aliud non additur, gl. hic, & in d. Clem. 4.*

b *Secus si ignoranter, ut in terminis c. si gratia, de rescrip. in 6.*

c *Cap. si motu proprio 23. de præb. & dig. in 6.*

Ad §. Sed sivè.

NOtate ex hoc §. quod Romanus Pontifex etiam in beneficiis vacaturis potest Jus tribuere, Novissimè tamen Concilium Tridentinum *sess. 24. cap. 19. de reform.* statuit, quod gratiæ ad vacatura nemini concedantur.

Ad §. Est ergo.

ESt ergo inter Episcopum, Legatum de Latere, ac Summum Pontificem circa collationis potestatem hæc diferentia: Episcopus omnes quidem Ecclesias in suo Territorio positas regulariter (*a*) conferre potest, non tamen vacaturam præbendam, suæ dispositioni reservare, neque in vacatura alicui Jus tribuere. Legatus autem de latere non solùm potest conferre Ecclesias vacantes intra suę legationis terminos, sed etiam reservare vacaturas, juxta ea, quæ supràdiximus *ad §. Ex legationis, cum seq. h. t.* licèt in vacaturis alicui Jus tribuere non possit. Papa verò, & ubique vacantes potest conferre, & vacaturas suæ provisioni reservare, & in vacaturis Jus (*b*) tribuere. Novissimè tamen *per Concil. Trid. sess. 24. cap. 19. de reform.* sublatæ sunt reservationes (*c*) mentales, nec aliæ quæcunque gratiæ ad vacatura alicui conceduntur. Si tamen Papa faciat Tales reservationes, vel gratias ad vacatura, validissimæ sunt, quia Papa est supra Concilium.

a *Aliquando enim non ad Episcopum ut in cap. cum olim, ubi not. Abb. de causa poss. & prop. collatio pertinet.*

b *Cap. 2. de præb. & dignit. in 6.*

c *Mentales reservationes sunt quando Papa reservat beneficium, vel in specie, vel in genere per Bullam, vel per Breve ad providendum personæ, quam non exprimit, sed in mente retinet. Vide Vallens in tit. decret. de concess. præb. §. 1. n. 4.*

Ad

Ad §. Quo tamen casu.

QUando tamen Papa de vacatura præbenda alicui provideri mandat, si is, ad cujus favorem concessum est mandatum, negligat petere præbendam quando vacat, non poterit posteà virtute dicti mandati, aliam in ipsa Ecclesia vacaturam petere, *Cap. si clericus* 11. *de præb. & dig. in 6.* Erit autem Judicis arbitrio statuendum, numquid possit dici negligens, *gl. in d. cap.* 11. *in Verbo*, *Negligenter*. Verùm si præfatus clericus fuisset auctoritate Apostolica effectus ab initio Canonicus in Ecclesia prædicta, Tunc (cum remanserit in ea Canonicus dicta negligentia non obstante) petere poterit præbendam aliam proximo vacaturam: dummodò non sint aliqui eadem auctoritate præbendas in ipsa Ecclesia expectantes. Et eidem de ipsa non per executorem suum, cum mandatum non susceperit super illa, sed per eum, adquem spectat in eadem Ecclesia præbendarum collio, provideri debebit, *d. cap. si clericus* 11. §. *Verùm, de præb. & dig. in 6.* Et animadvertite, quod qui neglexit petere debitam præbendam, si adhuc tamen illa non sit alii collata, adhuc eamdem petere poterit, *cap. si tibi* 17. *in fine*, *de præb. & dig. in 6.*

Ad §. Poterit tamen.

POterit tamen is, cui ab Apostolica Sede gratia concessa fuerit, ut ei provideatur de vacaturo beneficio, vel prębenda, non solùm primum in genere vacaturum beneficium, vel præbendam acceptare, verùm etiam secundum, & ulterius, si rationabilis causa subsit, fortè, quia primum debebatur alteri vel dubitabatur an deberetur: certum tamen & expressum, priusquam vacet, acceptare non poterit, ne captandæ alienæ (*a*) mortis occasio tribuatur. Quod si decerto acceptatio secuta fuerit, etiamsi per executores eius secundum acceptationem hujusmodi facta fuerit reservatio, inhibitio, variique processus, ac sententiæ promulgatæ: Tam

acceptatio ipsa, quàm processus viribus carent, nec aliquam obtinet roboris firmitatem, *cap.3. de concess. praeben.in 6.* Ubi etiam plenius agitur de hac re.

a *Contra Concil.Lateranen.in cap.2.de concess. praeb.*

Ad §. Inde etiam.

QUamvis autem pluralitas beneficiorum sit regulariter (*a*) prohibita: per Apostolicum tamen rescriptum, maximè circa literatas (*b*) personas, super hac pluralitate dispensari poterit. Circa materiam pluralitatis beneficiorum, videre *Concil.Trid.sess.7. cap. 5. & sess.24.cap.17. de reform.& Ricc.in add.ad hunc §.*

a *Episcopus, habenti unum beneficium simplex, quod non sufficiat ad eius sustentationem, aliud simile potest conferre, non tamen plura usque ad sufficientem sustentationem. Vide Concil.Trid.sess.24. cap.17. de reform.*

b *Quibus Ecclesia Dei permaximè noscitur indigere.*

Ad §. Item si à Sede.

ITem si à Sede Apostolica, aùt à Legato de Latere uni, &ab Ordinario alteri, eodem die idem beneficium conferatur, & quæ fuerit primò facta collatio non appareat, nemine (*a*) possidente, is, cui Sedes ipsa contulit, vel legatus, propter conferentis ampliorem prærogativam, erit alteri præferendus. Quòd si alter eorum possideat, erit potior conditio (*b*) possidentis, *cap. si à Sede 31. de praeb.& dig.in 6.* Nàm propter possessionem provisio possidentis præsumitur anterior. *Ricc.hic in princ.add.*

a *Idem si uterque possideret, nec appareret quis primò, gl.in d. cap.31.de praeb.& dig.in 6.*

b *Nisi isti, qui possidet, esset provisum per concessum. Et non possidenti, eodem die per fiat. Ex gl.hic.*

Ad §. Hac ratione.

SImiliter etiam ii, qui auctoritate Apostolica in aliqua Ecclesia in Canonicos sunt recepti, debent in præbendarum assecutione cæteris, sivè legatorum, sivè aliorum quorumcumque auctoritate anteà admissis, anteferri, *cap. hi qui* 12. *de præn. & dig. in* 6. Notate igitur, quod Regula illa: Qui prior est Tempore, potior est jure, *c. Qui prior, de reg. Jur. in* 6. Locum habet in iis, quorum par est causa, *l. quoties utriusq; ff. de reg. jur.* Si autem dispar est causa, non habet locum regula, *ut hîc.* Auctoritate autē Apostolica receptus & is intelligitur, qui legati, vel alterius mandato cui specialiter in ea re auctoritas Apostolica concessa fuerit, recipitur, *cap. hi qui* 12. §. *Eum quoque de præb. & dig. in* 6. Idem est dicendum si Papa mandatum legati ratum habeat, atqueid auctoritate sua (*a*) muniat: ideòq; talis receptus in assecutione præbendæ omnibus post eum eadem auctoritate receptis, in dicta Ecclesia præferendus est *cap. si eum* 9. *& cap. si Apostolicæ* 22. *de præb. & dig. in* 6. Aliis verò minori auctoritate receptis præferendus est, etiam si ante eum sint admissi, *d. cap. hi qui* 12. *de præb. & dignit. in* 6.

a *Dicendo expressè, quod provisus recipiatur auctoritate Apostolica, cap. si eum* 9. *de præb. & dig. in* 6. *Et confirmando, non in forma communi, sed ex certa scientia, cap. penult. de confir. vtili, vel inutili, gl. hic.*

Ad §. Aliud Juris.

SI verò Summus Pontifex iis, ad quos aliàs pertinet canonicorum receptio, facultatem concedat recipiendi aliquem in Canonicum, non obstante, quod in eadem Ecclesia certus sit numerus canonicorum institutus: Talis receptus, non Apostolica, sed recipientium censetur auctoritate receptus: nisi in literis caveatur expressè, quòd auctoritate Apostolica recipiatur: Censetur (*a*) enim Papam voluisse solum tollere impedimentum, cum potestatem iàm

hi,

hi, ad quos literæ dirigebantur, haberent. Quòd si ad eos aliàs talis receptio non pertinebat: Apostolica dicetur auctoritate receptus, *cap. hi qui* 12. *de præb. & dig. in 6.* Si verò in literis impetratis certi numeri Canonicorum nulla fiat mentio, quidquid factum fuerit occasione literarum ipsarum, erit irritum, & inane, *cap. constitutus* 19. *de rescript.* Sed queritur quid, si canonicatus vacabat tempore impetrationis, nunquid gratia sit surreptitia non facta mentione de numero? Negativè respondetur. Idem est si non vacabat tunc canonicatus, sed Papa mandabat provideri de canonicatu, vel præbenda vacantibus, vel vacaturis. *Abb. in dict. cap. constitutus* 19. *sub num.* 6. *de rescript.* Non solet autem Papa eumdem collatorem pluribus onerare provisionibus, nisi id in literis (*b*) exprimat, *cap. mandatum* 38. *& ibi gl. & cap.* 39. *&* 40. *de rescript.*

a *Gl. hic in Verbo, non Apostolica.*

b *Et ità servat stylus Curiæ, ut not in. d. cap. mandatum.*

Ad §. Sunt autem.

SUnt autem Apostolici mandati, ut etiam cæterorum mandatorum, fines diligenter custodiendi, *l. diligenter ff. mandati.* Ideòque non debent extendi ad casus non expressos. Unde cum Papa mandat, ut provideatur alicui de præbenda certi valoris, non poterit illi etiam volenti, vigore dicti mandati provideri de prębenda minoris valoris, *cap. cui* 27. *§. ult. de præb. & dig. in 6.* Nec etiam eidem provideri poterit de præbenda majoris valoris secundum quosdam. *Videte gl. in cap.* 4. *de præb. & dig. in 6. in verbo usque ad certam, & ibi in marg.*

Item si Papa mandet provideri alicui de beneficio, ad alicujus collationem spectante: de beneficio, quod ad ejusdem præsentationem, vel institutionem pertinet, provideri non (*a*) poterit, nec etiam è converso, *Cap. cum in illis* 16. *§. cum autem, de præb & dig. in 6.*

Item si quis ab Apostolica Sede mandatum suscipiat, ut ab aliquo beneficii, quod obtinet, resignatione recepta, idem bene-

beneficium (*b*) alteri conferat: Susceptum mandatum adimplere non poterit, si is, qui resignaturus erat, antequàm resignet, moriatur: cùm non per resignationem vacaverit beneficium, sed per mortem: Nisi de intentione mandantis aliud appareret expressè, *cap. susceptum 6. de rescript. in 6.* Et per Regulam Cancellariæ de infirmis beneficia resignantibus, idem est dicendum si in infirmitate constitutus resignaverit, etiam vigore supplicationis dum esset sanus signatæ & posteà infrà viginti dies, à die per ipsum resignantem præstiti consensus computandos, de ipsa infirmitate decesserit, tunc enim beneficiũ nihilominus per obitum censetur (*c*) vacare.

Item si literè Apostolicæ super conferendo (*d*) beneficio proximè vacaturo fuerint impetratę, non extenditur mandatum ab beneficium post illarum (*e*) impetrationem creatum, *Clement literas, de rescript.* Sed quid dicendum, si dubitatur, an data præcedat creationem beneficii, vel è contra: puta quia eadem die factum est utrumque, nec apparet de prioritate, an obtinebit impetrans? Respondetur affirmativè, *gl. hic, & in d. Clement. literas, de rescript.*

a *Cum inter collationem præsentationem, & Institutionem differentia magna esse noscatur, d. cap. 16.*

b *Expresso, vel non expresso, non curatur.*

c *Vide Rebuf. in Prax. Benefic. in Reg. de infir. benef. resig. in princ.*

d *Sivè certà persona, sivè incerta gl.*

e *Idest, post datam literarum.*

Ad §. Et si quis.

ET propter eamdem rationem, quia scilicèt fines mandati Apostolici diligenter sunt custodiendi, si quis literas super obtinendis beneficijs, vsque ad certam summam impetraverit: eidem non in pensione, sed in beneficiis Ecclesiasticis erit providendum: Nisi de pensione in literis mentio habeatur expressa, *cap. quamvis 4. de preb. & dig. in 6.* Notate igitur, quod appellatione beneficii non venit (*c*) pensio. Unde ad Titulum pensionis non potest quis ordinari, nisi neces-

necessitas, vel commoditas Ecclesiæ aliter suadeat. *Concil. Trident. sess. 21. de reform.*

a *Vide Ricc. hic in add.*

Ad §. Eodem etiam.

QUod si de conferendo alicui beneficio ad Episcopi collationem spectante rescribatur, non poterit ei conferri beneficium illud, cujus collatio ex negligentia Episcopi ad Capitulum fuit devoluta: licèt provideri sibi possit de illo etiam, cujus collatio fuit devoluta ad Episcopũ ex negligentia Capituli, vel alterius cuiuscunque, sive ad Papam ex negligentia ipsius Episcopi primi (*a*) collatoris, vel aliorum in hoc eidem succedentium, *Clement. Si de beneficio, de præb. & dig.* Notate ergo, quod beneficium deuolutum ad Papam semper confert executor, ex quo primus collator est de eis, qui per literas gravabantur, secus tamen est in beneficiis spectantibus ad collationem Papæ: quia vacarunt in Curia, *ut in cap. 2. de præb. & dig. in 6.* Tunc enim Papa confert Jure proprio, non devoluto, *gl. in a. Clement. in Verbo, sivè ad nos.*

a *Si enim de Archidiacono, vel Capitulo ad Episcopum, demum per ipsius negligentiam ad Papam gradatim perveniatur, non confert executor, cui de collatione Episcopi scribebatur, gl. in d. Clem. si de beneficio, de præb. & dignit.*

Ad §. Interdum tamen.

INterdum tamen, licèt mandatum generale sit, ex persona impetrantis recipit restrictionem: ut si Papa mandet simpliciter provideri alicui de præbenda proximè vacatura: Tunc enim ei, cui provideri mandatur, conferri non potest Sacerdotalis præbenda, si nondum in tali ætate existat, quod possit ad Sacerdotium promoveri: Sed aliam expectare debebit, *cap. ei cui 29. de præb. & dig. in 6.* Et notate, quod non inspicimus tempus datæ, (*a*) sed tempus vacationis, ut si tunc est idoneæ ætatis, benè quidem: aliàs sequentem expe-

expectet, etiam Sacerdotalem: si tempore secundæ vacationis sit idoneæ ætatis.

a *Vide gl.in d.cap.29.in verbo, nondum.*

Ad §. Ex loci quoque.

EX loci quoque expressione rescripti sumitur declaratio: & ideò, cùm alicui de beneficio mandatur in aliqua Ecclesiarum Civitatis, vel diœcesis provideri, ad cathedralem Ecclesiam, quæ propter ipsius honorem sub tali generalitate hoc casu non includitur, se mandatum hujusmodi non extendit: secus est si in aliqua Ecclesiarum Provinciæ provideri mandatur: Tunc enim & Metropolitana, & cæteræ cathedrales Ecclesiæ, tali mandato includuntur, cùm uberior gratia hoc casu, quàm alio, facta videatur impetranti, *cap. quamvis 4.§.quamquam, de præb.& dignit.in 6.*

Ad §. Ex ordine.

EX ordine quoque scripturæ sumitur interpretatio rescripti; veluti cum Joanni de beneficio ad collationem suam, vel Pauli pertinente, ut alicui provideat mandatur. Nàm, tale mandatum verificatur quidem in primo beneficio vacante, sivè ad Joannis, sivè ad Pauli collationem pertineat. Sed si plura beneficia ad collationem Joannis, & Pauli separatim spectantia simul (*a*) vacare contigerit: Tunc ordo scripturæ servandus est, & consequenter, cum fuerit primo nominatus Joannes, de illo beneficio providendum erit, quod spectat ad collationem Joannis, *cap. mandato 10.de præb.& dignit.in 6.*

a *Pone, mortuus, vel promotus est clericus, qui habebat illa duo beneficia; vel duo clerici simul mortui sunt; puta facto naufragio gl. in dicto cap. 10.*

Ad §. Si verò.

SI verò de beneficio ad aliquorum collationem, vel pręsentationem ſpectante, non adiecto communiter, vel diviſum, provideri mandatur, mandatum intelligendum eſt de beneficio communiter ſpectante ad collationem, vel præſentationem eorundem, Ideòque in beneficio, quod ad collationem, vel præſentationem alteriùs tantùm pertinet, adimpleri non poterit. Sicuti, ſi de beneficio ſpectante ad collationem unius proviſio injuncta fuiſſet, impleri non poſſet in beneficio, cujus collatio ad eum (*a*) ſimul cum alio pertineret, *cap. cum in illis 16. §. ult. de præb. & dignit. in 6.*

a *Abſurdum enim eſſet illum gravari, de quo Papa non intellexit, gl. ult. in d. cap. 16.*

Ad §. Item inſertio.

ITem inſertio cauſæ declarat reſcriptum, veluti cùm Epiſcopo mandatur, ut clerico nullum beneficium obtinenti, provideat de beneficio ob paupertatem: Tunc enim ſi pauper clericus, antequam ſit proviſum eidem, aliud beneficium fuerit aſſecutus, providere ſibi Epiſcopus (cum ceſſet cauſa mandati) de cætero non tenetur. *cap. ſi pauper 30. de præb. & dignit. in 6.* Et notate, quod non ſine myſterio dictum fuit, ob paupertatem: Si enim de gratia ſpeciali proviſum ſit alicui, & poſteà ante vacationem adipiſcatur aliud beneficium, non expirat gratia: Et hoc verum, niſi adeptum beneficium ſe non compateretur cum prima gratia, ſi haberet effectum, ut in duobus Curatis. Cùm enim in eo caſu periret Jus in re: multo fortius ad rem, *gl. 1. in dict. cap. ſi pauper 30. de præb. & dignit. in 6.*

Ad §. Nàm & his.

IS etiam, cui conceditur, ut auctoritate Apostolica possit uni personæ idoneæ (*a*) de beneficio providere, aliud beneficium sufficiens obtinenti providere non potest: nisi primo ille beneficium, quod obtinet, omninò dimittat, (*b*) vel nisi in concessione hujusmodi sit expressum, quod is, cui potestas providendi conceditur, possit etiam beneficiatæ personæ providere, quo casu providere poterit unicũ duntaxat beneficium obtinenti: dum tamẽ illi cura non immineat animarum. Si verò concessum fuerit, ut providere possit etiam obtinenti alia beneficia, hujusmodi pluralitas debet solùm ad duo beneficia non curata restringi, *cap. is, cui* 19. *de præb. & dig. in 6.* Si igitur utrumque, vel alterum sit curatum, non poterit tali provideri, *gl. in d. cap. is, cui, In verbo, sinè cura.*

a *Idem est si hoc Verbum non apponatur. gl. in cap. is cui* 19. *de præb. & dig. in 6.*

b *Si ergo dimittat, sibi provideri poterit. Vide gl. in d. cap. is cui, in verbo dimittat.*

Ad §. Ex natura quoque.

ITem si per Apostolicum rescriptum de quibuscunque beneficiis provideri mandatum fuerit, de animarum Cura mentione non habita, de beneficiis curatis (*a*) providendum non erit. Major enim idoneitas requiritur in illis, quibus beneficia curata committuntur, quàm in iis, qui ad alia promoventur; Neque etiam in mandato Apostolico, quamvis generali, includitur beneficium electiuum, *cap. cum in illis* 16. *de præb. & dig. in 6.*

a *Poterit tamen executor providere de beneficio, quod requirat sacrum ordinem. Vide gl. in dicto cap.* 16. *in verbo, provideri.*

Ad §. Illud quoque.

QUòd si alicui, nulla facta personarum expressione, gratia sit concessa, ut auctoritate Apostolica possit aliquibus personis idoneis in certa Ecclesia providere, vel beneficia, quorum collatio est ad Sedem Apostolicam legitimè (*a*) devoluta, conferre: hujusmodi gratia per mortem concedentis, etiam re integra, non expirat: secus est si super provisione certæ personæ facienda, potestas sit data ei, cui scribitur, non ob suam gratiam, vel favorem, sed ob gratiam, vel favorem ejus, cui provideri mandatur: Tunc enim gratia expirat omninò, si conc dens re integra moriatur, *cap. si cui 36. de præb. & dignit. in* 6. Et animadvertite, quod hoc intelligendum est de gratia facienda per executorem. Si enim super gratia cuiquam ab Apostolica Sede iàm facta, executores fuerint deputati: ipsa gratia, licèt nondũ sit in ejus executione processum, morte non perimitur concedẽtis, nec etiã re integra perimitur executoribus data potestas, cum sit accessoria ad gratiam, *c. si supergratia 9. de offic. & pot. Iud. del. in 6.* Si ergo Papa concedat Canonicatum, & præbendam, si vacat, vel quæ primò vacaverit, nulli alii de Jure debitam, & super hac gratia per se facta dat executores, habet locum *textus in d. cap. si super gratia*: quia cum iàm sit Canonicus, & jàm sit facta gratia: potestas executorum velut accessoria non expirat. Si verò Papa non facit gratiam, sed mandat fieri: puta provideri mihi de beneficio: hic potestas executoris principalis est, & expirat re integra. Sed quare non expirat gratia in casu posito in principio hujus §. cum etiam adhuc sit provisio facienda? ℞. ibi etiam iàm erat facta gratia, cum respiceret eum, qui providere debebat, non eum, cui debebat provideri, *gl. ult. in dicto cap. si cui 36. de præb. & dignit. in 6.*

a *Scilicèt secundum statuta Lateranensis, vel generalis Concilii, cap. 2. de concess. præb. cap. ne pro defectu, de elect. Et talia beneficia legati de latere conferre possunt, cap. Venerabilis, de præb. gl. in cap. si cui 36. de præb. & dig. in 6.*

Ad

Ad §. Illud etiam.

NOtate ex hoc §. quod is, cui ab Apoſtolica Sede proviſio de beneficio in certa Eccleſia, diœceſi, vel provincia, (*a*) certę perſonæ facienda committitur, (*b*) poteſt alij committere licitè vices ſuas. Sed ſi non expræſſa certa perſona committatur eidem, ut alicui perſonæ idoneæ de certa Eccleſia, vel beneficio debeat providere (quia circa eligendam perſonam ejus induſtria tunc videtur electa) proviſionem ſibi commiſſam alteri demandare (*c*) non poteſt, niſi in commiſſione exprimatur, ut per ſe, vel per alium id valeat expedire, *cap. is, cui* 12. *de offic. & pot. Jud. deleg. in* 6.

a *Ergo non requiritur, quod beneficium ſit certum, ſed ſufficit, quod ſit certa perſona, licèt incertum beneficium, ut ſubdelegare poſſit gl. hic, & in cap.* 12. *de offic. del. in* 6.

b *Etiamſi committatur ei, ut inquirat de illius vita, & converſatione, Clement. Judices, de offic. de leg. gl. hic, & in d. cap.* 12.

c *Is enim, cujus induſtria eligitur, non ſubdelegat.*

Ad §. Ultimum.

POſtremo ſciendum eſt, quod Prebendæ non debent dividi, (*a*) & quod Eccleſiaſtica beneficia ſinè ulla diminutione debent conferri. *cap.* 8. *de præb. & dig. cap.* 7. *de cenſibus, & cap. unico §. omnibus ergo, ut Eccleſ. benef. ſine dimin. confer.*

a *Ex juſta tamen cauſa poteſt una præbenda dividi in duas, cum vacat, ſi facultates ſufficiant. Sed duo ad unam præbendam eligi non poſſunt gl. hic.*

De Inſtitutionibus, & Iure patronatus.

TITULUS XXVIII.

DIximus ſuprà in fine Tituli de præbendis, & aliis beneficiis, quod conceduntur præbendæ, vel beneficia per collationem, & per inſtitutionem, & poſteà ſub-

subjunximus Titulum de Collationibus, Nunc igitur sequitur ut videamus de institutionibus.

Institutio est præbendalis Juris ad præsentationem patroni facta translatio. *§.ult.de præb.& aliis benefic.* Accidit enim interdum, ut Prælati liberè de vacantibus beneficiis disponere non possint, quod tunc euenit, cum vacant beneficia Juris patronatus: Tunc enim strictè loquendo, non dicuntur Prælati beneficia conferre, sed eos instituere, quibus ad præsentationem patroni providetur. Est igitur Jus patronatus potestas præsentandi instituendum ad beneficium (*a*) vacans.

a *Aliqui addunt: Simplex. Sed cum sint quædam beneficia non simplicia, in quibus verè cadit Juspatronatus, consultius fuit illud verbum non apponere. Vide gl.hic.*

Ad §. Constituitur autem.

Constituiur autem Juspatronatus variis modis: veluti Ecclesiæ (*a*) ædificatione, dotatione, & similibus. Ut puta, si quis præbeat solum, & agrum ad fundandam Ecclesiam, aùt dotatæ Ecclesiæ facultates augeat, *gl.hic*. Dummodò tamen augumentum sit maximum, aliàs non. *Rot.decis.58.in Recent.par.1.*

Edificatione acquiritur Juspatronatus, cum quis Ecclesiam de consensu (*b*) diœcesani, juris ordine servato, construxit. Et hoc procedit etiamsi fundans sibi tale jus expresse non reservaverit, *gl.1.in §.Constituitur h.t.* Est autem iste juris ordo, ut Episcopus ad locum, veniat, & ibi Crucem figat, & publicè atrium designet. *Vide tex.in c.nemo, de consecratione dist.1.*

Dotatione acquiritur Juspatronatus, ut cum is, qui non fundavit, Ecclesiæ pro dote certa bona assignavit: Sunt enim concedenda Ecclesiæ, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & ad stipendia custodum, & ad cætera sacræ domui necessaria sufficiant, *d.c.nemo, de consec.dist.1.* Et animadvertite, quod ex communi DD.sententia, non est omninò necessarium ad acquisitionem, jurispatronatus, quod in ædifica-

tione,

tione, vel dotatione à principio interveniat consensus diœcesani, sed sufficit, quod etiàm ex post facto superveniat. *Ricc. in add. ad §. Est igitur h.t. in vers. Postremò.*

a *Conc. Trid. sess. 25. cap. 9. de reform. non excludit Juspatronatus ex sola constructione competens, sed comprehenditur in illo Verbo, ex fundatione. Ricc. in Addit. ad §. Est igitur h.t. in vers. Verum Vicarius. Non tamen acquirit jus patronatus, qui restauravit Ecclesiam, aùt parietes ejus refecit.*

b *Vicarius Episcopi non habet hanc facultatem, nisi de speciali mandato Episcopi: Eam tamen habet Capitulum Sede vacante. Ricc. ubi suprà.*

Ad §. Institutum.

INstitutum est igitur, vt quasi cujusdam loco remunerationis ad præsentationem patronorum in fundatis, vel dotatis Ecclesiis Sacerdotes instituantur, nullo habito discrimine (*a*) utrùm patroni sint laici, vel Ecclesiastici, utrùm mares, vel fœminæ. Immo juspatronatus hereditarium transit ad fœminas, etiam nuptas extra familiam, & descendentes ex eisdem fœminis, nisi aliud cautum sit in concessione, seù fundatione. *Ricc. in Addit. ad §. Est igitur h.t. in vers. Plus docent.*

a *Gl. hic.*

Ad §. Sunt tamen.

LIcèt autem non sit habenda differentia inter laicos, & personas Ecclesiasticas quoad juspatronatus obtinendum, *ut in §. præced.* Sunt tamen inter Ecclesiasticos, & laicos patronos pleræque differentiæ. Nàm Ecclesiasticus patronus habet ad præsentandum menses (*a*) sex: laicus verò quatuor. Et hoc videtur optima ratione inductum, quoniam Ecclesiasticus patronus facta semel præsentatione amplius variare non potest, laicus (*b*) verò potest: Non recedendo tamen à primo præsentato, sed accumulando, *cap. unico §. verum, de jure patron. in 6. juncto cap. cum autem 24. de jure patron.* Et intellige

tellige hic patronum Ecclesiasticum; cui competit præsentatio jure Ecclesiæ: secus si jure patrimonii, etiam quod sit clericus: quia tunc idem per omnia in eo, quod in laico, *gl.ult.hic*. Et animadvertite, quod si Ecclesia, & patronus laicus simul habent præsentare, habebunt sex menses: ità quod ratione communionis, privilegium Ecclesiæ transeat ad laicum, *gl.ult.in d.cap.unico, de iure patron.in 6.*

a *Licèt à laico acquisierit Juspatronatus, cap. unico §. verum, de Jure pat.in 6. Episcopus tamen potest prorogare tempus quatuor vel sex mensium. Ricc.hic in add.vers. Not. tamen.*

b *Intellige tamen, quod si præsentatio primo loco facta fuisset à pluribus, sic etiam variatio debet ab illis omnibus fieri, nec sufficeret illam fieri à majori parte. Ricc.hic. in add. in vers.intellige tamen.*

Ad §. Sed si laicus

SEd si laicus, cui plures præsentandi tributa est facultas; primò Joannem, secundo loco Paulum utrumque idoneum præsentet. Ordinarius autem secundo loco præsentatum instituat: Valet quidem institutio facta de secundo, non obstante appellatione prius etiam facta per primum: Episcopus tamen, qui primo loco præsentatum (*a*) malitiosè recusavit admittere, eidem in competenti beneficio providere compellitur, ut in eo puniatur, in quo deliquit, *cap.pastoralis 29.de jure patron.*

a *Sed quis probabit, quod Episcopus malitiosè, & dolosè non instituerit? Pro resp. vide gl.in d.cap.29.de jur.pat.in verbo, malitiosè.*

Ad §. Legatus etiam.

ALia est differentia inter Ecclesiasticos, & laicos patronos, quia legatus de latere potest conferre beneficium in præjudicium (*a*) Ecclesiastici patroni, ut suprà tetigimus ad §. ex legationis, de collationibus: Non autem in præjudicium laici (*b*) patroni. Quinimò non valet provisio facta

per

per Papam de tali beneficio, nisi faciat mentionem de patronatu laicorum. *Abb. in cap. dilectus 6. sub num. 4. de offic. legati*. Item Ecclesiastico patrono de temporalibus rebus patronatæ Ecclesiæ ratio (*c*) reddenda est, quod in laico minimè obtinet. Poterit tamen patronatus laicus clericum dilapidantem bona Ecclesiæ, aùt honestæ commonitionis conventione compescere, aùt competenti Superiori corrigenda denunciare: Vel etiam Principes (*d*) hæc auribus, si aliter Ecclesiæ consuli non possit, intimare, *c. filiis 16. q. 7.*

a *Cap. dilectus 6. de offic. leg.*

b *Cap. cum dilectus 28. & ibi gl. penul. de jure pat.*

c *Cap. 3. §. in Ecclesiis, de privileg.*

d *Verbum hoc est referendum ad Principem sæcularem propter ea, quæ sequuntur: Si aliter Ecclsiæ &c. Vide gl. penul. & ult. hic.*

Ad §. Succesſione.

SUccessione quoque jusspatronatus acquiritur: quod quidem procedit, sivè (*a*) sui, sivè extranei, sivè ex testamento, sivè ab intestato sint (*b*) heredes. Non tamen transfertur jusspatronatus ad heredes, qui hereditatem repudiant. Et ideò filius, qui repudiavit (*c*) hereditatem paternam, non erit patronus, ut notatur hic in additione. Sed an alio Titulo, quàm hereditario, poterit jusspatronatus relinqui, puta, legati? ℞. affirmativè, cùm etiam donari possit. §. *Donatione h. t. Videte Abb. in cap. 13. sub num. 6. de jur. pat.* Plures tamen ab uno ex patronis Ecclesiæ relicti heredes, vocem dumtaxat unius habebunt in præsentatione Rectoris, *Clement. ult. de jur. pat.* Secus est si plures à pluribus, vel unus à pluribus, *gl. in d. Clem.* Nec possunt heredes patroni Rectores iàm institutos mutare, *cap. 9. de jure patron.*

a *Etiam naturales sunt capaces jurisspatronatus quando sunt vocati filii, & descendentes, absque alia mentione legitimationis: Tunc enim succedunt naturales, si non adsint legitimi D. C. hic.*

b *Et ad heredes pertinet æqualiter jusspatronatus, etiam si inæqua-*

quales partes habeant D.C. hic. An autem juspat. veniat in fideicommissarium universalem. Vide apud Ricc. hic in add.

c *Et si filia dotata non succedat patri, quia renunciavit hereditati, non succedit in jurepatronatus unà cum Masculis gl. hic.*

Ad §. Et si fortè.

ET si fortè patroni in præsentatione sint discordes, ille præficiendus est Ecclesiæ, qui majoribus juvatur meritis, & plurium approbatur consensu, *cap. 3. de jur. pat.* Sed nunquid requiritur quod majoris sit meriti, & quod plures eum præsentent? Hoc videtur velle hæc litera, sed videtur sufficere si sit idoneus, dum tamen habeat maiorem partem, licèt alius sit melior, *gl. in d. cap. 3.* Quod si Ecclesia ob patronorum (*a*) discordiam careat administratione, si aliter provideri non poterit, debet Eqiscopus tollere inde (*b*) reliquias, atque ejusdem Ecclesiæ claudere ostia, & præcipere ut ibi Missarum solemnia non celebrentur, donec patroni ad concordiam redeant, quod si intra quatuor menses non redeant patroni ad concordiam, ordinabit Episcopus Ecclesiam, *cap. 1. 2. & 3. de jure pat.* Quod si necessarium, aùt expediens esse duxerit, poterit etiam Episcopus durante patronorum discordia, Ecclesiam alicui commendare, idest, alicujus custodiæ committere: ità tamen ut si parochialis sit Ecclesia, non commendetur, nisi Sacerdoti, vt possit interim ipsi Ecclesiæ in sacerdotali ordine deservire: Nec hujusmodi commenda ultra sex menses vires suas porriget, nec in persona unius, nisi unica commenda fieri poterit. *cap. Nemo 15. & ibi gl. de elect. in 6.* Sed nunquid finitis sex mensibus poterit ordinarius camdem iterum eidem, vel alteri commendare? Negativè respondetur. *Vide gl. ult. in d. cap. nemo.* Poterit etiam Episcopus in Ecclesiis juris patronatus laicorum, si vel minus idonei præsententur, vel si alia de causa, puta, ob scandalum (*c*) magnum, aliquos in eis instituere non valeat, œconomos ponere, qui colligant fructus in utilitatem Ecclesiæ erogandos, aùt fideliter conservandos clericis, qui

postea

postea fuerint instituti, *cap. cum vos 4. de offic. jud. ord.* Patet igitur ex hoc loco, quòd patronus laicus, licèt præsentet indignum, non est privatus, nec privandus potestate præsentandi: secus in Collegio, vel persona Ecclesiastica. *gl. in d. cap. 4. Abbas tamen in eodem cap. 4. sub num. 5.* tenet, quod etiam laicus patronus, præsentando scienter indignum, sit privatus ipso facto potestate præsentandi pro illa vice.

a *Quod si non inter patronos, sed inter Episcopum, & patronos sit discordia: ponendus est œconomus in Ecclesia donec sopita fuerit contentio gl. hic.*

b *Vide gl. in cap. 1. de jur. pat. in verbo, Reliquias.*

c *Sed pro modico scandalo non dimittet Episcopus Ecclesiam ordinare, gl. hic.*

Ad §. Sed ut facilius.

SEd ut faciliùs provideatur Ecclesiis, permittitur patronis, (a) ut inter se possint liberè (b) convenire de Rectore ab eis alternis vicibus præsentando, & vt plures ad vacantem Ecclesiam præsentare possint, ità ut vnus ex eis ab Episcopo eligatur, & admittatur, *Clement. ult. §. ult. de jurepatron.* Et etiam eadem ratione videtur, quòd patroni plurium Ecclesiarum possint inter se dividere: scilicèt ut unus sit patronus in vna, alius in alia. *Vide gl. in d. Clement. ult. in verbo, liberè.*

a *Omnibus, gl. hic, & in Clem. vlt. de jur. pat.*

b *Idest, sine Superioris auctoritate. Et etiam si non vacet Ecclesia gl. ubi suprà.*

Ad §. Donatione.

DOnatione quoque (a) juspatronatus acquiritur. Et si talis donatio sit facta Ecclesiæ, (b) aùt loco Religioso, etiam sinè assensu Episcopi valida est: per eam tamen Episcopalibus juribus non præjudicatur, *cap. unico de jure patr. in 6.* Idem est dicendum si donatio fiat laico, sed compatrono: quamquam tunc non sit propriè donatio, sed potiùs pro-

prii juris relaxatio, cum quilibet patronus habeat jus in solidum. Siverò donatio fiat laico non compatrono sine Episcopi (*c*) consensu, nulla est, *gl.hic*, *& Ricc.in add.* Si tamen consensus Episcopi superveniat, etiam post donatoris mortem, donatio valida erit, Idem *Ricc.in vers.Intellige tamen.*

a *Potest etiam donari jus præsentandi, reservato sibi jurepatronatus inreliquis.*

b *Eidem, vel alteri Ecclesiæ, cap.unico, de jure pat.in 6.*

c *Nec sufficit consensus Vicarii habentis generale mandatum.* D.C.*hic.*

Ad §. Sed si quis.

NOn tamen potest vendi juspatronatus, & si de facto vendatur, nonsolùm talis contractus erit irritus, & inanis, sed etiam simoniacus, *cap. de jure 16.de jure patron.* Et patroni (*a*) vendentes, excommunicationis, & interdicti pœnis subiiciuntur, & dicto jurepatronatus ipso jure privati existunt. *Concil.Trid.sess.25.de reform.cap.9.ultra med.* Potest tamen jus patronatus transferri cum universitate (*b*) rerum temporalium: jdeòque ratione feudi (*c*) empti, aliterve acquisiti, acquiritur juspatronatus existens in ipsa feudi universitate, *cap.cum sæculum 13. de jure patron.* Sed non debet alterari prætium propter jus patronatus, aliàs venderetur, & consequenter locus esset pœnis suprà dictis.

a *Aut alio quocunque Titulo in alios contra canonicas sanctiones transferre præsumentes.Idem Conc.loco cit.*

b *Etiam si universitas transeat tantum quoad utile dominium, cap. 7. & ibi in Sum.de jure pat. Potest tamen jus patronatus in alienatione universitatis specialiter excipi, d.cap.7.*

c *Transit etiam juspat. cum hæreditate vendita in emptorem, in fideicommissarium universalem, in usufructuarium omnium bonorum, & etiam in confiscatione bonorum venit juspatronatus. Ricc.hic in add.*

Ad §. Quemadmodum.

NEque etiam debent patroni auctoritatem Episcopi negligere, quod si ausu temerario (*a*) propria auctoritate clericos instituant, sunt excommunicandi, & etiam clerici, qui laicorum institutionem recipiunt, communione privandi sunt, & si Ecclesias non dimittant, à ministerio Ecclesiastico, & ordine deponendi erunt, *c. decernimus 16. q. 7. cap. 4. de jurepatr.*

a *Laici, vel Clerici, gl. hic.*

Ad §. Interdum.

QUod si clericus ab ordinario fuerit institutus ad præsentationem illius, qui & jurispatronatus erat bonæ fidei possessor, & patronus credebatur, & posteà juspatronatus alius evicerit in Judicio, institutus non debet propter hoc ab Ecclesia removeri, *cap. consultationibus 19. de jure patron.* Et ratio est, quia præsentare est quidam fructus jurispatronatus, unde quemadmodum fructus rei materialis pertinent ad possessorem bonæ (*a*) fidei, & non ad dominum *§. Si quis à non domino, inst it. de rer. diu.* Ità & iste fructus juris præsentandi pertinet ad possessorem, & non ad dominum. *Abb. in d. cap. consultationibus 19. sub num. 3.* Et quod legitimè factum est, non debet irritari, licèt ad eum casum deveniat, à quo incipere non potest, *c. pracapta dist. 55.*

a *Secus si malæ fidei: quia tunc institutus est removendus. gl. hic. Et quasi possessio acquiritur ex unico actu. Ricc. in addit.*

Ad §. Licèt autem.

LIcèt autem patronus alios præsentet: se ipsum tamen, quanquam clericus sit, præsentare non potest, quantumvis idoneus sit, & quibuscunque studiis iuvetur, & meritis: quia differentia debet esse inter præsentatum, & præsen-

ſentantem, *cap.per noſtras 26.& ibi gl. de jur.pat.* Si verò Epiſcopus motu proprio conferat patrono beneficium patronatum, valet collatio. Et etiam poteſt patronus ſupplicare Epiſcopo, quod ſibi conferatur beneficium patronatum, fortè propter indigentiam, *gl. ult. hic*. Et adeò verum eſt, ut nullus poſſit ſe ipſum præſentare, vt nec etiam procurator patronum in jure patronatus præſentare poteſt. Poteſt tamen patronus præſentare (*a*) filium ſuum, & etiam plures patroni poſſunt unum ex ipſis præſentare, *gl.hic*.

a *Nec obſtat, quod pater, & filius videatur eadem perſona: Nàm hoc eſt juris fictione, non verè. Item non obſt. quod quidquid quærit filius, quærit patri. Nàm* ℞. *quod non quærit patri in ſpiritualibus, in quibus non curatur de patria poteſtate. gl. hic.*

Ad §. Sunt autem.

SUnt autem inſtitutiones collationibus in quibuſdam ſimiles, in quibuſdam verò diſſimiles. Similes ſunt, quia quemadmodum patronus ſe ipſum præſentare non poteſt, ut diximis in §.præcedenti. Ità etiam is, ad quem pertinet collatio, ſibi met ipſi beneficium conferre (*a*) non poteſt, cùm inter dantem, & accipientem diſtinctio debeat eſſe perſonalis, *cap.ult.de inſtit.*

Item Inſtitutiones collationibus ſimiles ſunt, quia quemadmodum vocaturæ bræbendæ non tenet (*b*) regulariter collatio, *cap.2. de conceſſ.præb.* Ità etiam promiſſiones præſentandi ad beneficium vacaturum nullo jure (*c*) ſubſiſtunt *cap. ult. de conceſſ.præb.*

a *Aliàs jure conferendi privabitur. Poterit tamen conferre filio, vel aliis conſanguineis idoneis. gl. hic.*

b *Papa tamen tribuere poteſt jus etiam in vacaturis. Et proptereà dicitur hic, regulariter. ex gl.*

c *Nàm quæ ratio militat in collatione, ſcilicèt, ne deſiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum, & beneficium ſe crediderit ſucceſſurum, cap. 2.de conceſſ. præb. militat etiam in præſentatione.*

Ad

Ad §. Dissimiles

DIssimiles sunt Institutiones Collationibus, quia licèt Capitulum, Sede Vacante, non possit conferre beneficia ad Episcopi (*a*) collationem spectantia: potest tamen præsentatos à patronis, si idonei sint, admittere (*b*) & instituere, *cap. 1. de instit. in 6.*

Idem obtinet in Vicario Episcopi: quia licèt beneficia conferre non possit, nisi beneficiorum collatio ipsi specialiter sit (*c*) commissa, potest tamen Instituere præsentatos.

Sunt etiam institutiones collationibus in eo dissimiles, quod in Rectorem parochialis Ecclesiæ potest præsentari etiã non in sacris (*d*) constitutus, dummodò aliàs sit idoneus, & infrà annum ad sacerdotium possit promoveri, *cap. ult. de instit. in 6. juncto cap. licèt 14. §. is etiam, de elect. in 6.* Collatio autem parocchialis Ecclesiæ fieri non potest, nisi ei, qui Subdiaconus sit ad minus, *cap. præterea 5. de ætate, & qualitate &c.* His tamen, qui in minoribus ordinibus sunt constituti, si tales sint, qui infrà annum possint fieri Sacerdotes, poterit per dispensationem parochialis Ecclesia conferri, *d. c. præterea 5. juncto d. cap. licèt 14.* Et dispensari poterit per Episcopum: nàm ex quo jus permittit dispensari, nec Papa jus dispensandi sibi reservauit, dicetur id etiam inferioribus concessum, *Abbas in d. cap. præterea sub num. 4.*

a *Confert tamen Capitulum, Sede vacante, beneficia, quorum collatio ad Episcopum, & Capitulum communiter pertinet. cap. unico, de conceß. præben. in 6.*

b *Est enim hoc jurisdictionis necessariæ.*

c *Cap. 3. de offic. Vic. in 6.*

d *Et sic apparet, quod cap. præterea 5. de ætate, & qualit. quam tum ad institutionem est correctum.*

Ad §. Defertur.

DEbetur etiam Patronis honor (*a*) processionis, & necessarium vitæ subsidium. Nàm si, aùt ipsi, aùt illorum filii

filii ad inopiam redacti fuerint, illis erit modestè ab Ecclesia succurrendum, *cap.nobis 25.§.ult.de jure patron. c.quicunque fidelium 16.q.7.* Habito scilicèt respectu ad facultates Ecclesiæ & ad qualitatem personæ ipsius patroni, *gl.in d. cap. nobis, in fine.*

a *Qualis sit hic honor processionis. vide in gl. hic.*

Ad §. Tollitur.

TOllitur jus patronatus primò cessione (*a*) expressa, vel tacita. Expressa, cùm quis Ecclesiæ cedit expresse hujusmodi jus, quod habet in ea. Tacita, cùm quis Ecclesiam jurispatronatus sinè reservatione sui juris patitur (*b*) fieri Collegiatam. Et notate, quod patronus, qui fundauit juspatronatus, potest ad libitum illud renunciare: Si verò juspatronatus descendat ab ejus antecessoribus, renunciatio nocet tantùm renuncianti, non autem illis, qui ordine successivo vocantur ad juspatronatus post mortem renunciantis, quia prior in gradu, non potest præjudicare sequentibus in gradu. *Ricc.hic in add.*

Secundò extinguitur juspatronatus, si ædes sacræ incendio consumptæ fuerint, vel etiam terræ motu, vel vitio suo corruerint.

Tertiò patronus amittit juspatronatus si Rectorem, vel clericorum ipsius Ecclesiæ per se, vel per alios occidere, vel mutilare ausus fuerit. Et juspatronatus devoluitur ad Ecclesiam, cui facta est iniuria, *gl.hic.*

Quartò patronus amittit juspatronatus si efficiatur hæreticus: cùm enim bona hæreticorum universa sint confiscanda, meritò cum ista universitate, (*c*) etiam juspatronatus transibit.

a *Et facta cessione ipsi Ecclesiæ patronatæ, Ecclesia remanet libera.*

b *Bene, patitur. Quia aliàs, eo invito, non potest Ecclesia patronata fieri Collegiata.*

c *Cum qua, & aliàs juspatronatus transit. Vide suprà ad §. Sed si quis h.t.*

De

De Clericis non residentibus.

TITULUS XXIX.

CLerici, quibus beneficia sunt collata, vel quibus, præsentate patrono, per Institutionem fuit provisum, regulariter debent in Ecclesia residere: Ideò meritò præcedentibus Titulis, in quibus dictum fuit de collationibus, & de institutionibus, subiicitur præsens Titulus, in quo agitur qui clerici non residentes sint puniendi, & qui excusandi.

Debent igitur hi, quibus Ecclesiastica ministeria sunt committenda, tales deligi, qui & residere in Ecclesia, & curam demandati sibi officii per se (*a*) ipsos valeant exercere: alias, & qui receptus fuerit, quod acceperit, amittet, & qui dederit, largiendi potestate privabitur. (*b*) *cap.3. de cler. non resid.* Et quamvis omnes beneficiati ad residentiam personalem teneantur; Episcopi quidem, & Pastores, qui curam animarum habent, de jure naturali, & divino, reliqui verò de jure communi; sivè dignitatem annexam habeant, sivè aliud quodcumque simplex beneficium, quamtumvis tenue ac modicum; tamen ex generali totius Ecclesiæ consuetudine beneficia simplicia residentiam non requirunt. Ideòque potest quis per substitutum illis deservire. *Andr. Vallens. in Tit. Decretal. de cler. non resid. sub num. 2. & 3.*

a *Quandoque tamen potest quis deservire per vicarium, ut cum parochialis Ecclesia annexa est dignitati, vel prabendæ. gl. hic.*

b *Non ipso jure, sed per sententiam.*

Ad §. Si tamen.

QUod si ab initio idonei ad residendum reputati, posteà Ecclesias, vel præbendas sibi cõmissas, sine justa, & necessaria (*a*) causa deserant, si moniti, (*b*) & congruo tẽpore expectati non redierint, eis privari (*c*) poterunt, *cap.*

10. *& ult. de cler. non resid.* Et hoc tempus erit arbitrio Episcopi computandum, consideratis circunstantiis viarum, & distantiæ. *gl. in d. cap.* 10. Si verò nesciatur ubi sit clericus, tribus edictis publicis citabitur in Ecclesia sua, & si infrà sex menses non revertatur, privabitur eodem, *cap.* 11. *de cler. non resid.* Circa materiam residentiæ Prælatorum, & aliorum, qui habent curam animarum, vel alia beneficia personalem residentiam de jure, vel consuetudine exigentia, *Vide Concil. Trid. sess. 6. cap. 1. & 2. & sess. 23. cap. 1. de reform.* Et de residentia obtinentium dignitates, personatus, officia, canonicatus, præbendas, aùt portiones in Ecclesiis Cathedralibus, aùt Collegiatis, *Vide idem Concil. sess. 21. cap. 3. sess. 22. cap. 3. & sess. 24. cap. 12. ultra med. de reform.*

a *Sed & si subsit hujusmodi necessaria causa, debet nihilominus peti licentia ab Episcopo. Propter necessitatem tamen subitò occurrentem posset quis se absentare sine licentia Prælati. Episcopus autem non dabit licentiam nisi ex causa, & non nisi relicto Vicario, gl. hic.*

b *Sufficit, quod ista monitio sit extrajudicialis. An autem requirantur plures monitiones, vel sufficiat una, vide per Abb. in cap. cum causam de offic. del.*

c *Nisi monitus legitimam habeat excusationem supervenientē, ob quam venire non potuerit, ut quia erat infirmus gl. hic.*

Ad §. Justæ.

IUstæ (*a*) non residendi causæ plures sunt. Prima est si quis sit Papæ familiaris, *cap.* 14. *de cler. non resid.* Servientes enim Papæ, videntur inservire universali Ecclesiæ. Idem videtur dicendum de eo, qui est in servitio legati de latere, quoad suam Provinciam. *gl.* 1. *hic*. Secunda causa non residendi est, si quis (*b*) proprio Episcopo obsequium exhibeat, *cap.* 7. *&* 15. *de cler. non resid.* Idem in Prælatis inferioribus: *ut per Abb. in d. cap.* 7. Tertia causa est si quis (*c*) jura, & negotia Ecclesiæ suæ fideliter prosequatur, *cap.* 13. *de cler. non resid.* Quarta causa est si quis de licentia sui Plætati studiorum causa (*d*) absit, *cap.* 4. *de cler. non resid.*

Et etiam

Et etiã esse possunt aliæ (*e*) justæ causę non residendi, ut putà, si quis detineatur aliqua corporali infirmitate, vel terreatur metu Tyranni existẽtis in loco, vel ob capitales inimicitias, *gl. ult. hic, & ibi in add.* Quoad Parochos tamen circa justas nõ residendi causas, plura videte *in add. Ricc. ad princ. h. t.*

a *Causas obiter ennumerat Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. post pri. his verbis: Nàm cum Christiana charitas, urgens necessitas, debita obedientia, ac evidens Ecclesiæ, vel Reipublicæ utilitas aliquos nonnunquam abesse postulent &c.*

b *Quotidianas tamen distributiones non habebit.*

c *Is tamen quotidianas distributiones non percipiet. Vide not. in cap. 1. eod. in 6.*

d *Et hic percipiet etiam quotidianas distributiones, si in Ecclesia nulli alii sunt proventus, præterquam quotidinæ distributiones. gl. hic. Parochus tamen studiorum causa abesse non potest.*

e *Ob pestem grassantem in loco beneficii: ob aeris intemperiem. Vallens. in Tit. Decr. de cler. non resid. sub num. 6.*

De Regularibus, & Monachis.

TITULUS XXX.

PRo complemento Tractatus personarum, de quo in hoc primo libro, superest ut videamus de quibusdam personis, quæ non minus in (*a*) laicatu, quàm in clericatu constitutæ domino deserviunt, ut sunt Regulares, & Monachi.

Regulares dicuntur omnes qui Regulam, & Tria substantialia Vota cujuslibet Religionis approbatæ profitentur, videlicet paupertatem, castitatem, & obedientiam: *ut in cap. cum ad Monasterium, de statu Monachorum.* Et in hoc Monachi cum Regularibus conveniunt. Sed dissident in eo, quod, quoad cætera votis exceptis, Regulares sunt cujusdam laxioris Regulæ, (*b*) vt habetur *in cap. quod Dei timorem, de statu Monachorum, & in §. Singuli quoque, infrà eodem.* Unde videtur, quod Regularis se habeat

tamquam genus, Monachus verò tamquam species: Omnes enim Monachi sunt Regulares, non autem è contra omnes Regulares sunt Monachi. Quoniam verò sivè de Regularibus agendum sit, sivè de monachis eadem ferè jura servantur, ne verbosa fiat evagatio, dirigamus sermonem in personam Monachorum idem etiam intellecturi & de regularibus cæteris. Nàm si quid in iis propriè servetur, separatim ostendemus.

a *Clericatus enim non est de substantia regularitatis, vel monachatus, sed solùm tria vota, de quibus habetur in cap. cum ad Monasterium, de stat. Monach.*

b *Alii verò, licèt aliqua promittant, non dicuntur propriè Monachi, vel regulares, vel regulam habere: sed potius certum vivendi modum, licèt modus ille sit ab Apostolica Sede approbatus. gl. ad hanc Rub.*

Ad §. Monachi.

Monachi fiunt aùt ex paterna devotione, aùt ex propria professione, aùt ex voti emissione. Ex paterna deuotione Monachus quis efficitur, cum pater filium impuberem (*b*) Monasterio offert. Sed an id possit pater, matre invita; vel mater invito patre? Communior sententia est: quòd præferatur voluntas (*c*) contradicentis. Sed an sola mater patre non contradicente? ℞. communiter quòd sic. Et etiam communiter respondetur, quòd pater, qui habet filium in potestate patris sui, & sic avi, possit offerre, avo invito, *gl. hic in Verbo, offert.* Dicti autem impuberes Monasterio oblati, si sacram Tonsurã, vel Velamina susceperint, decimo quinto ætatis anno moneri debẽt, & inquiri, utrùm in ipso habitu permanere cupiant, an non. Si verò permansuros se professi fuerint, vel professionẽ à se prius factã ratam habuerint, ulteriùs pœnitendi locũ non habebunt. Sin autem ad sæcularem habitum reverti maluerint, redeundi licentia nullo modo est deneganda. Novissimè tamen *Conc. Trid. sess. 25. cap. 15. de regular. & monial.* constituit, ut in quacunque Religione, tàm

tàm virorum, quàm mulierum, professio non fiat ante 16. annum expletum; nec qui minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit, ad professionem admittatur. Professio autem anteà facta sit nulla, nullamque inducat obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis observantiam, aùt ad alios quoscunq; effectus. Et etiam *in cap.* 17. *&* 18. *ejusdem sess. & Tit.* Idem Concilium plura alia statuit, atque decrevit circa ingressum monasterii, habitus religionis susceptionem, & emissionem professionis Virginum, Viduarum, aliarumve mulierum quarumcumque. Quòd si impubes præter parentum voluntatẽ Monasterium fuerit ingressus: possunt parentes intra annum ad proprium Episcopum, vel alium competentem Judicem reclamare, atque id factum irritare. Et currit annus iste à tempore scientiæ, *gl.in c.puella* 20.*q.*2. Si verò puberes servire Deo elegerint, non possunt parentes eos prohibere.

a *Vt infra eod.§.singuli quoque.*

b *Si tamen parentes offerant Impuberem invitum, non valebit oblatio, & quandocunque poterit impubes exire gl.in §.quod si impubes h.t. In verbo, irritare.*

c *Nec enim in spiritualibus patria potestas est magnoperè in consideratione gl.hic.*

Ad §. Propria professione.

PRopria professione monachus efficitur quis, aùt expresè, aùt tacitè. Expresè, ut si quis post (*a*) annum probationis habitum suscipiens Monachalem, regulis Monasterii obstringi se velle profitetur. Ad validitatem hujus professionis plura de necessitate requiruntur. Et primò quòd qui profitetur, non minore tempore, quàm per annum, post susceptum habitum in probatione steterit. *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 15. *de regular. & monial.* Et hujusmodi annus debet esse continuus, *Ricc.hic in add.* Secundò requiritur hodie, quòd qui profitetur compleverit annum (*b*) 16. *Idem Concil. vbi suprà.* Tertiò requiritur, quod Professio fiat alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis, *cap.unico, de vo-*

to, &

to, & voti redempt. in 6. Quartò quòd professio fiat ei qui potest religioni incorporare, vel de ejus licentia. Quintò quòd Prælatus requirat (*c*) consilium Capituli. Sextò quòd fiat de tribus Votis Castitate, Paupertate, & Obedientia, *ut not. hic in add.*.

a *Regulariter servatur spacium anni, quandoque tamen statuitur biennium, quadoque triennium. Vide gl. hic.*

b *Et professio invalida ob defectum ætatis, non includit obligationem tamquam voti simplicis, ex Concilio Trid. loco hic cit. Ricc. hic. in add. in vers. 2. exigitur.*

c *Tale tamen consilium non tenetur sequi gl. in §. seq. in Verbo, Abbate.*

Ad §. Si tamen, cum §. seq.

DIscretus tamen Abbas, ante Concilium Tridentinum loco suprà citato poterat ex (*a*) causa antè annum probationis professionem recipere: & è contra ex causa poterat, & etiam hodie potest, professionem interdum proferre. Unde si quis incognitus monasterium ingredi voluerit, ante triennium ad professionem admittendus non erit, ne si fortè post annum statim professio recipiatur, postea inhabilis ad (*b*) monasterium deprehendatur. Quod tamen de facultate recipiendi professionem ante annum probationis dictum fuit, non est perpetuum. Prædicatores enim, & Minores, aliique Mendicantium Ordines, etiam olim erant excepti.

a *Justa, & rationabili.*

b *Puta, oneratus ære alieno. gl. hic.*

Ad §. Tacitè.

TAcitè profitetur quis, cùm idoneis coniecturis apparet, quod perpetuò vult domino in Religione (*a*) servire, & vitam ducere monachalem. Idoneæ (*b*) coniecturæ sunt v.g. si quis post annum probationis habitum (*c*) retineat, ubi is novitiis, & professis, communis, & indistinctus est: vel si habitum professorum, etiam infrà annum probationis, suscipiat

ſcipiat, ubi is diſtinctus habetur. Expreſſa autem profeſsio, etiam ſeculari habitu non mutato, illi Religioni præcisè obligat, quamquis profeſſus fuerit. Tacitè verò facta infrà probationis annum, per habitus, qui profitentibus tantum datur ſuſceptionem, non illi ſpecialiter, cujus eſt ſuſceptus habitus: ſed generaliter Religioni recipientem obligat, dum tamen legitimæ ſit ætatis, ideſt pubertatem exceſſerit, ac ſciens, & prudens triduo (*d*) in ejus habitus delatione perſeveraverit, *cap. 3. in fine, de regul. & tranſ. ad relig. in 6. Sed hodie ex Concil. Trid. ſeſſ. 25. cap. 15. de regul. & monial.* Profeſſio facta in quacunque Religione ante 16. annum expletum, vel ante annum probationis exactum, nulla eſt, nullamque inducit obligationem ad alicujus Regulæ, vel Religionis, vel Ordinis obſervantiam, aùt ad alios quoſcunque effectus. Ex quo decreto Concilii patet inter alia, ſublatam eſse (*e*) profeſsionem tacitam, quæ poſt annum 14. expletum etiam infrà annum probationis, jure decretalium fieri poterat.

a *Scilicet approbata.*

b *Alias idoneas coniecturas vide in 1. gl. hic.*

c *Niſi deferens contrarium fuerit proteſtatus, ut per Abb. in cap. ut clerici, eod.*

d *Profeſſio verò tacita inducta per lapſum anni non habet Triduum ad pœnitendum, prout nec expreſſa gl. hic. in verbo, interdum multum.*

e *Non tamen per Concil. Trid. tollitur profeſſio Tacita, quæ fit anno probationis exacto, & 16. ætatis completo.*

Ad §. Et ſi contigerit.

Beneficium autem illius, qui Religionem ingreditur, non eſt infrà probationis annum alicui conferendum, ſed interim eidem (*a*) beneficio per alium inſerviendum erit, aſsignata ſibi congrua de proventibus portione. Si tamen ingreſsi ad id accedat aſſenſus, aùt conſtet, quod vitam voluerit abſolutè mutare, aùt legitimam profeſsionem expreſſam, vel tacitam emiſerit, beneficium alteri liberè confer-

conferri poterit, *cap. beneficium 4. de regul. & transf. ad relig. in 6. Hodie ex Concil. Tridentin. sess. 25. cap. 15. & 16. de regul. & monial.* Professio in quacunque Religione fieri nõ potest, nisi anno probationis exacto, & anteà facta nulla est. Nulla quoque renunciatio, aùt obligatio anteà facta, etiam cum juramento, vel in fauorem cujuscunque causæ piæ, valet, nisi cum (*b*) licentia Episcopi, sivè ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem, ac non aliàs intelligitur effectum suum sortiri, nisi secuta professione: aliter verò facta, etiamsi cum hujus favoris expressa renunciatione, etiam jurata, est irrita, & nullius effectus. Et hoc Decretum Concilii Tridentini Doctores omnes, qui post dictum Concilium scripserunt, extendunt etiam ad renunciationem beneficii. *Ricc. hic. in add. in princ.*

a *Etiam si sit Curatum.*

b *Quæ licentia debet intervenire ante actum, vel in ipso actu. Ricc. hic in fin. add.*

Ad §. Is quoque.

IS quoque, qui votum de ingressu Religionis compos mentis emisit, ut Monachus fiat cogendus erit, non obstante, quod post votum Prælaturam fuerit consecutus. Si tamen post monasterii ingressum, canonicè sit electus, Episcopatum recipere potest, *cap. per tuas 10. de voto, & voti redem.*

Ad §. Illud quæri.

SI quis autem post votum de certa Religione intranda emissum, aliam Religionem etiam laxiorem ingrediatur, & profiteatur in ipsa, potest, voto non obstante priore, cui tamquam simplici per secundum solemne noscitur derogatum, manere licitè in ea Religione, in qua professus est. Pro voto tamen non completo, erit eidem pœnitentia imponenda, *cap. qui post votum 5. de regul. & transeunt ad relig. in 6.* Et quanto manifestius votum fuit emissum, tanto propter plurium scandalum, & exemplum, durior pœnitentia transgressori

gressori debetur, *cap. unico, in fin. de voto, & voti redempt. in 6.* Non esset tamen locus pœnitentiæ imponendæ, si post votum de certa Religione intranda emissum, transiret quis ad Religionem strictiorem. Non enim propositum, aut promissum infringit qui in melius illud commutat, *cap. 3. de Jure jurando*. Est autem in proposito Votum simplex, quod non est aliqua professione munitum. Solemne verò est, quod quis per professionem tacitam, vel expressam comprobavit. Per professionem scilicèt expressam, vel tacitam factam alicui de religionibus per Sedem Apostolicam approbatis, *cap. unico, de voto, & voti redempt. in 6*

Ad §. Is igitur:

IS igitur, qui legitima in ætate constitutus, semel spontè (*a*) professionē fecit propositum amplius mutare non poterit: sed proprio Abbati obediens, & castitatis custos, in proprio deget monasterio. Sed nec aliquid proprium (*b*) Monachus possidere debet: Et contra hoc nec Summus Pontifex potest dispensare. Potest tamen Summus Pontifex facere de Monacho, non Monachum, (*c*) & sic eidem permittere, ut possit habere proprium. Et etiam ex permissione Superioris, licitè aliquid habere Monacho licèt, quod assiduè à Superioris nutu dependeat. Circa hanc materiam proprietatis regularibus prohibitæ, *Videte Concil. Trid. sess. 25. cap. 2. & de Regul. & monial.*

a *Secus si coactè. Dummodò talis sit coactio, quæ cadat in constantem virum. Vide gl. hic.*

b *De facto, & tamquam proprium. Divitiæ verò in communi retentæ non sunt contra professionem paupertatis religionis, seù monachalis. Not. hic in add.*

c *Ex gl. hic.*

Ad §. Sed nec temerè.

SEd nec temerè permittendum est monacho, ut transeat de monasterio in monasterium. Quòd si monasterium, ad quod Monachus transire desiderat, districtius existat, non debet Prælatus Monacho transeundi licentiam denegare. Et quamvis Prælatus licentiam non concedat, nihilominus poterit monachus sanctioris vitæ propositum adimplere, *cap. licet* 18. *de regul. & transf. ad relig.* Quòd si dubitetur, utrùm quis velit ad ordinem arctiorem, aùt laxiorem; ex charitate, (*a*) an ex temeritate transire: Superioris est judicium requirendum, *d. cap.* 18. §. *Si verò*. Quòd tamen non est intelligendum de Abbate, qui immediatus Superior est Monachis: quia non debet esse Judex quodammodò in causa propria: sed de eo, ad quem religiosus appellaret, si gravaretur à Superiore immediato. *Abb. in d. cap.* 18. *sub num.* 3. Novissimè verò Martinus IV. omninò vetuit, Mendicantes (*b*) ad aliquem monasticum ordinem, excepto ordine Carthusiensium, sinè speciali Sedis Apostolicę concessione transire, tam recipientibus, quam receptis, pœna excommunicationis imposita ipso facto incurrenda, *Extravag. Viam ambitiosæ, de regul. & transf. ad relig. in Extravag. Commun.*

a *Ne fortè Angelus Satanæ in lucis Angelum se transformet.*

b *Hoc intellige de mendicantibus approbatis, quales sunt Prædicatores, Minores, Eremitæ S. Augustini, Carmelitæ.*

Ad §. Fugitivos.

FUgitivos verò debent Abbates sollicitè perquirere, & ut ad Monasterium revertantur providere, nec ordinarios, qui eorum suppleant negligentiam expectare, *cap. ult. de regul. & transf. ad relig. juncto cap.* 7. *de offic. ord.* Dicitur autem fugitivus ille, qui moratur extra Monasterium, & celat se Abbati, *Abb. in d. cap. ult. sub num.* 2. *in fine. Circa hanc materiam Videte Concil. Trident.* (*a*) *sess.* 25. *cap.* 4. & 14. *de Regul. & monial.*

a *Et sess. 6. cap. 3. ubi disponitur, quod excessus regulariũ agentium extra monasteria, ab ordinario loci corrigantur.*

Ad §. Singuli quoque.

SInguli quoque Monachi per Villas, & Oppida non debent discurrere: nec per quascunque Parochiales Ecclesias poni. Regularibus verò cum minori difficultate Parochialibus Ecclesiis præ esse permittitur, *cap. 2. in princ. & cap. 5. §. licèt autem de statu monachorum.*

Ad §. Ut autem.

ABbas autem de Congregatione (*a*) Monachorum eligendus est, ut vni tantùm præsit monasterio, & sit magis idoneus. Si tamen in tali Congregatione non reperiatur idoneus, sumetur de aliis Monasteriis, *c. quam sit §. defuncto* 18. *q.* 2. Debet etiam Abbas, qui presbyter non est, presbyter fieri, *cap. 1. de ætat. & qualit. &c.* Qui autem expressè non est professus, non potest eligi in Abbatem, vel ad aliam regularium (*b*) Prælaturam, quamquam ad dignitatem Episcopalem, & in sæculari, (*c*) & in regulari Ecclesia talis eligi minimè prohibeatur, *cap. cum in magistrum 49. de elect. juncto cap. nullus 28. de elect. in 6.* Et etiam tacitè tantùm professus potest in Ecclesiis Regularibus, vel Monasteriis eligere, *cap. ex eo 32. in fine, de elect. in 6.*

a *Nisi Monachi huic favori, scilicèt de suo gremio eligendi Abbatem, renunciarent, gl. hic.*

b *Puta Prioratum, Guardianatum.*

c *Quasi dicat interdum Cathedralis Ecclesia sæcularis est, idest, sæcularium canonicorum: interdum regularis: & utroq; casu tacitè professus, in Episcopum eligi poterit. gl. hic.*

Ad §. Visitatores.

VIsitatores quoque in Capitulo creandi sunt secundum formam generalis Concilii *in cap. penult. de statu Monacho-*

nachorum, qui Visitationis officium exequantur, & omnia, quæ Vienensi Concilio *in Clement.* 1. *de statu Monachorum*, constituta sunt, fideliter observari faciant, & de statu Monachorum, (*a*) & observantijs regularibus diligenter inquirant, & tam in spiritualibus, quàm in temporalibus corrigant, & reforment, quæ correctionis, & reformationis officio viderint indigere: Et omnia prosequantur secundum tenorem Honorianæ constitutionis quàm habemus *in cap. ult. de statu Monachorum*. An autem per hanc potestatem, quæ reperitur data Visitatoribus, fiat præjudicium Episcopo loci, videte per *gl. in d. cap. penult. de statu Monacorum, in Verbo, vice nostra*. Et circa hanc materiam Visitationis Regularium videte quæ statuit Concilium Tridentinum *sess.* 25. *cap.* 20. *de regul. & munial. & sess.* 21. *cap.* 8. *de reformat.*

a *dicto c. penult. §. ordinentur, cap. ult. §. porro de statu monach.*

Ad §. Novissimè.

NOvissimè sciendum est, quòd non debet quis sine auctoritate (*a*) Romani Pontificis novam Religionem (*b*) invenire: Sed quicumque ad Religionem converti voluerit, unam de approbatis debet assumere. Ratio est ne nimia Religionum diversitas gravem in Ecclesiam Dei confusionem inducat, *cap. ult. de relig. Dom.*

Similiter etiam, qui religiosam domum vult fundare de novo, assumere debet Regulam, & institutionem de approbatis, *d. cap. ult. de relig. Dom.* Neque potest (*c*) Episcopus dispensare contra id, quod hic dicitur, *gl. ult. hic.*

a *Abb. in cap. ult. de relig. Dom.*

b *Intellige, quod hic dicitur non habere locum si quis inveniat novum vivendi modum, non facta professione. gl. hic.*

c *Fuit namque hoc cautum generali Concilio, d. cap. ult. de relig. Dom. Episcopus autem non dispensat contra generale concilium.*

FINIS LIBRI PRIMI.

AVRE-

AURELII AUGUSTINI MILLIARII IN ARCHIGYMNASIO ROMANO Pandectarum Publici Interpretis.

SELECTORUM EX LIB. II. INSTITUTIONUM Juris Canonici

A Lancelotto Conscriptarum, Compendiosa Explicatio.

De rerum (a) divisione, atque illarum administratione.

TITULUS PRIMUS.

VErsatur Jus Canonicum circa Tria, circa personas, res, & Judicia §. *ult. de Eccles. constit.* Superiore libro de Jure personarum exposuimus: modò videamus de rebus Ecclesiasticis, illarumque tractatione, acturi posteà de Judiciis sicut promisimus suprà *in dict. §. ultimo*.

Summa rerum Ecclesiasticarum divisio hæc est, quod aùt spirituales sunt, aùt Temporales. Et causa (*a*) hujus divisionis est, quia homo constat ex anima, & hinc dantur res spirituales, constat etiam ex corpore, & hinc habentur res Temporales, Spiritualibus enim anima, Temporalibus verò corpus conservatur. Igitur res spiritua-

les

les ſunt quæ ſpiritui deſerviunt, atque animæ cauſa ſunt inſtitutæ, ut Sacramenta, Eccleſiæ, Altaria, & his ſimilia. Temporales verò ſunt, quæ non tam ſpiritus, quàm corporis gratia pro Eccleſiaſticis miniſteriis, ſacrorumque miniſtrorum uſu ſunt comparatæ, ut ſunt prædia, domus, & fructus (*b*) decimales. Et notate, quod hic dicitur res temporales non tam ſpiritus, quàm corporis gratia comparatas, quoniam hujuſmodi res & ſpiritui deſerviunt, licèt principaliter, & immediatè corpori. Spiritualia enim ſine temporalibus ſubſiſtere non poſſunt, ut infrà, *de rebus Eccleſiæ alienandis, vel non, in princ. Tit.*

a *Ex Io: Bapt. hic in fig. caſ.*

b *Fructus dicit, non Jus decimandi, quia illud ſpirituale eſt, ut infrà, de decimis, in princ.*

Ad §. Rurſus.

Rurſus ſpiritualium rerum quædam ſunt incorporales, quædam verò Corporales. Incorporales ſunt, quæ neque tangi, neque ſenſu corporeo percipi poſſunt, quales ſunt virtutes, & dona Dei, aùt quæ in Jure conſiſtunt, ut eſt Jus eligendi, Juſpatronatus, ſecundum quoſdam, præbenda quatenus conſideratur tamquam Jus, & alia ſimilia. Corporales, ſunt, quæ tangi, & humanis ſenſibus percipi poſſunt, ut ſunt Sacramenta, res ſacræ, & ſanctæ, & religioſæ. Videamus igitur nunc de rebus ſpiritualibus, tamquam dignioribus, ſubſequenter poſteà acturi de rebus temporalibus, atque illarum adminiſtratione. Et quia de rebus ſpiritualibus incorporabilibus tam ſuprà opportunis locis dictũ fuit, quàm etiam infrà ſuo tempore dicturi ſumus, hoc loco de corporalibus tractare debemus, & primo de Sacramentis, ac deinde de Sacris, ſanctis, & religioſis.

De

De Sacramentis.

TITULUS SECUNDUS.

SAcramentum eſt inviſibilis gratiæ viſibilis forma ità quod ejus ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtat. *c. Sacrificium, de conſecrat. diſt.* 2. In hoc tamen canone ſacrificium, non ponuntur hæc poſtrema verba: ità quod ejus ſimilitudinem gerens, & cauſa exiſtat: ſunt tamen appoſita hic ad deſignandam differentiam inter ſacramenta legis veteris, quæ ſignificabant quidem gratiam, ſed non conferebant, & ſacramenta novæ legis, quæ & ſignificant, & conferunt, *gl. ult. hic*.

Ad §. Sacramentorum.

QUanvis (*a*) omnia ſacramenta neceſſaria ſint ad ſtatum univerſalem Eccleſiæ, omnia tamen ſingulis neceſſaria non ſunt. Ideòque in hoc §. dicitur, quod ſacramenta aùt ſunt neceſſaria, aùt voluntaria. Neceſſaria ſunt, quæ ſine interitu ſalutis æternæ prætermitti & contemni non poſſunt: ut ſunt Baptiſmus, Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia, Extrema unctio. (*b*) Omittens igitur ex contemptu hæc ſacramenta, ſalvari non poteſt. Voluntaria ſunt, quæ ſine ſalutis diſpendio, pro cujuſque arbitrio recipi poſſunt, & refutari: qualia ſunt (*c*) Ordo ſacer, & matrimonium. Rurſus neceſſariorum ſacramentorum quędam ad ingreſſum Eccleſiæ ſunt comparata, ut baptiſmus: quædam ad progreſſum in Eccleſia, ut Confirmatio, Pœnitentia, Euchariſtia: quædam ad egreſſum ab Eccleſia, ut extrema unctio. Præterea Sacramentorum quædam characterem imprimunt, hoc eſt, ſignum quoddam ſpirituale, & indelebile. *Concilium Trident. ſeſſ. 7. de ſacram. in gen. c. 9. Quædam verò non*. Quæ characterem imprimunt, iterari non poſſunt, vt baptiſmus, confirmatio, ordo ſacer, *Idem Concilium ubi ſuprà*. Tenenda igitur eſt Catholicæ Eccleſiæ Regula, qua docemur Tria hæc

ſacra-

ſacramenta characterem imprimere, neque ullo unquam tempore iteranda eſſe. Cætera verò, quæ characterem non imprimunt, iterari minime prohibentur, ut Euchariſtia, extrema unctio, pœnitentia, matrimonium.

a *Ex Vallenſ. in Tit. Decr. de Sac. non reiter. §. 2.*

b *Quæ omnia ad particularem cujuſque profectum ſunt principaliter inſtituta.*

c *Et hæc ad totius Eccleſiæ profectum, & ſubſidium principaliter pertinent.*

Ad §. Conſtant.

CONſtant autem ſacramenta elemento, (*a*) & verbo. Et in hac materia appellatione elementi continetur omne id, quod ſub viſibili natura, inviſibilem gratiam deſignat, & continet. v.g. Panis, Vinum, Aqua, Oleum &c. Verba ſunt, quæ formæ viſibilis efficaciam exprimunt, puta, Ego te baptizo in nomine Patris &c. Hoc eſt enim &c. Ergo accedente Verbo ad elementum ſacramentum fiet.

a *Forma Sacramenti pænitentiæ in illis miniſtri verbis poſita eſt: Ego te abſolvo &c. Ipſius autem pænitentis Actus, nempe Contritio, Confeſſio, & Satisfactio, ſunt quaſi materia hujus ſacramenti. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 3. de pænitent. Matrimonii verò quaſi materia eſt mutuus contrahentium conſenſus: Forma, ipſa verba, vel alia ſigna conſenſum exprimentia. Vide cap. Tua nos 26. in fine, & ibi gl. de Sponſ. & Caniſ. in Tit. de Sponſ. & mat. in princ. & in Not. poſitis in fin. ejuſd. Tit. ſub. lit. B.*

Ad §. Illud quoque.

ILlud quoque ſcire nos oportet, quod ſacramenta non fuerunt ab Eccleſia, ſed ab ipſo Chriſto inſtituta, *Concil. Trid. ſeſſ. 7. can. 1. de ſacram. in gen.* Unde Eccleſia ſacramentorum numero, nec addere, nec detrahere poteſt. Dicuntur tamen Eccleſiæ, tum quòd Eccleſia per ſacramenta ſanctifi-

ctificata, & Cælesti Sponso matrimonii fœdere coniuncta sit, tum quòd illorum dispensatio ejus credita sit ministerio.

Ad §. Ergo.

Ergo qui baptizat, (a) qui absolvit, & in singulis sacramentis divinitus operatur Dominus est: Ministri verò Ecclesiæ in conficiendis sacris mysteriis, vel dispensandis, non propriam, sed ejus, qui sacramenta instituit: personam referunt. Unde quamquam eos inculpatos esse deceat: si tamen mali sint, vel à catholica communione sejuncti, nihilominus, si intentionem Ecclesiæ concordem habeant, & conficere sacramenta, & dispensare poterunt: Et si quis dixerit, ministrum in peccato mortali existentem, modò omnia essentialia, quæ ad Sacramentum conficiendum, aùt conferendum pertinent, servaverit, non conficere, aùt conferre sacramentum; anathema sit. *Concil. Trid. sess. 7. can. 12. de sacram. in gen.* Minister tamen, qui est in mortali gravissimè peccat conficiendo sacramenta, vel dispensando. Non enim (c) debet exequi officium, cum sit per peccatum mortale à Deo separatus. *cap. ult. de cohabit. cler. & mul.*

His circa Sacramenta generaliter cognitis, nunc de singulis specialiter videamus: Et quia baptismus cæterorum sacramentorum est fundamentum, & janua, à baptismo principium sumamus.

a *Per virtutem, non per ministerium.*

b *Circa hanc materiam receptionis sacramentorum à malis ministris, vel excommunicatis. Vide Ricc. hic in add.*

c *Vide infrà ad §. immo, de euchariſt. & Abb. in cap. Vestra sub num. 4. de cohab. cler. & mul.*

De Baptiſmo, & ejus effectu.

TITULUS TERTIUS.

BAptiſmus eſt ablutio corporis exterior, quæ adhibita certa verborum forma interiorem animæ ablutionem deſignat, & operatur. Forma verborum hæc eſt: Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti. Quæ verba in tantum ſunt in forma, ut ſi dicatur: Ego te baptizo in nomine (a) Genitoris, & Geniti, & Procedentis ab utroque, non ſit baptiſmus, q[illegible] hic in verbo forma. Plura tamen circa hanc Verborum formam vobis dicam in voce. Et hic obiter notate, quòd quinque ſunt de ſubſtantia baptiſmi. Primò baptizantis intentio, ſivè generalis, faciendi (b) ſcilicèt, quòd facit Eccleſia, ſiuè ſpecialis, conferendi ſcilicet Baptiſmum. Secundò baptizandi fides ſi ſit adultus, aliàs, baptizari poterit in fide parentum, & Eccleſiæ (c). Tertio expreſſio vocalis formæ à Chriſto inſtitutæ, de qua iàm ſuprà dictum eſt. Quartò ablutio per elementum. Quintò ut eodem tempore fiat ablutio, (d) & verborum prolatio.

a *Vide plura circa baptiſmi formam per Buſemb. in Medula Theol. mor. lib. 6. Trac. 2. dub. 2. ubi inter alia habetur, quod ſi omittatur pronomen Ego, non vitiatur forma, quia ſubintelligitur perſona baptizantis in verbo baptizo, & ſic omnia ſignificata per formam ſalvantur, ſecus eſt ſi omittatur, Te, quia non ſignificatur perſona baptizati.*

b *Facit Concil. Trid. ſeſſ. 7. de baptiſ. can. 4.*

c *Facit Concil. Trid. ſeſſ. 7 de baptiſ. can. 13.*

d *Ab eodem. Vide Buſemb. ubi ſuprà dub. 3. art. 2.*

Ad §. Non tamen.

QUamvis autem in baptiſmo plena fiat peccatorum remiſſio, non tamen propterea plena novitas, & mutatio contingit. Baptiſmus enim reatum quidem originalis peccati, & totum id, quod veram, & propriam pec-

cati

cati rationem habet remittit, manet tamen in baptizatis concupiſcentia,(*a*) vel fomes, quæ ad agonem relicta eſt, ut qui legitimè certaverit coronetur. *Vide Concil. Trid. ſeſſ.* 5. *in decreto de peccato originali circa finem.*

a *Hanc concupiſcentiam Apoſtolus aliquando peccatum appellat, non quod verè, & propriè in renatis peccatum ſit, ſed quia ex peccato eſt, & ad peccatum inclinat. Concil. Trid. loco citato.*

Ad §. Baptizandi.

BAptizandi autem cura ad ſolos Sacerdotes pernitet; ejuſque miniſterium, nec ipſis diaconis explere permitatitur abſque licentia Epiſcopi, vel presbyteri, ex cauſa tamen neceſſitatis etiam laici, atque ipſe mulieres baptizare poſſunt. Sed quid ſi diaconus, vel etiam laicus baptizat, non inſtante neceſſitate? ℞. valet baptiſmus, ſed ut uſurpatores alieni muneris puniendi erunt, *gl. hic. In verbo, permittitur.* Presbyter verò, cujus negligentia commiſſum eſt, ut quis ſine baptiſmate ex humanis exceſſerit, deponendus erit. Igitur de Jure miniſter ordinarius baptiſmi eſt Sacerdos, ex officio tamen ſolus Epiſcopus, & Parochus eſt Miniſter baptiſmi, & præſente Parocho, non poteſt ſimplex Sacerdos baptizare, niſi de licentia Parochi, & ità ſe habet communis praxis, aliàs Sacerdos peccaret mortaliter. *Ricc. hic in add. circa finem.*

Ad §. Sed & ſi.

SEd & ſi qui ab hæreticis, ſive ſchiſmaticis, vel etiam à paganis, (*a*) aùt aliàs facinoroſis in forma Eccleſiæ baptizati fuerint, quaſi baptizati non fuerint, iterum baptizari non debent: Sed ex antiqua Patrum inſtitutione, cum ad ſanctam Eccleſiam redierint, aùt unctione Chriſmatis, aùt impoſitione (*b*) manus, aùt ſola (*c*) profeſſione fidei ad ſinum matris Eccleſiæ revocantur. Et ſi quis dixerit Baptiſmum, qui etiam datur ab hæreticis in nomine Patris, & Filii,

& Spiritus sancti cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, non esse verum baptismum, anathema sit. *Concil. Trid. sess. 7. de baptis. can. 4.*

a *Paganus baptismum, quem non habet tradit auctoritate legis. gl. hic.*

b *Reconciliatio sic fiet. Imponetur eis manus ab Episcopo, & dicetur. Accipe Spiritum sanctum. Et si non sint chrismati, chrismabuntur ex gl.*

c *Si manus erat eis impositita: aliàs suppleretur.*

Ad §. Sed quamquam.

NEmo tamen se ipsũ baptizare potest, & si de facto quis se ipsum baptizaret, etiã instante necessitatis articulo esset denuo ab alio baptizandus. Scitè tamen scriptum à quibusdam reperitur baptismũ alium esse fluminis, aliũ esse flaminis, alium verò sanguinis. Fluminis, idest, aquæ cum verbo, & aliis requisitis suprà numeratis *ad princ. h. t.* Flaminis, (*a*) idest, Spiritus Sancti, & fit dum quis habens fidem in Christum, & desiderium suscipiendi baptismum (sed commoditatem non habet) elicit actum perfectè contritionis, & Charitatis. Baptismus (*b*) sanguinis est, cum quis visibiliter non baptizatus, pro nomine Christi subiit martyrium. Et baptismus fluminis propriè dicitur baptismus, reliqui ratione effectus, quia scilicèt baptismi effectum habent, quando baptismus fluminis haberi nequit.

a *Talis fuit baptismus latronis, in cruce Deum confitentis Vide c. Baptismi vicem, de consec. dist. 4.*

b *Talis fuit baptismus Innocentium.*

Ad §. Non tamen.

NOn solùm autem adulti in propria fide, sed etiam parvuli in fide parentum, & Ecclesiæ, alio profitente, baptizantur, & rectè (*a*) fideles dici possunt. *Concil. Trid.* ( ) *sess. 7. can. 13. de baptis.* Is quoque, cujus mater, vel prægnans,

vel

vel in ipsa hora, qua parit, baptizata fuerit, baptizari poterit, nec propterea bis baptizatus reputabitur. Muti quoque, & surdi, item ægrotantes, qui pro se respondere non possunt, aliis pro se profitentibus: rectè baptizari poterunt. Dormientes, & amentes, (c) si ante somnum, aut amentiam baptizandi propositum habuerunt, possunt in necessitatis articulo baptizari, & characterem sacramenti suscipiunt.

Item qui non spontè, dum tamen non omninò coactus, baptizatur, suscipit characterem, & est ad fidei Christianæ cogendus observantiam. Ille verò, qui nunquam consentit, sed Penitus contradicit, nec rem: nec characterem sacramenti suscipit. Et qui fictione consensum exprimunt, & corde dissentiunt, sacramentum non recipiunt.

a *Ob fidei sacramentum, ut hic in litera.*

b *Et sess. 5. in Decreto de pec. orig. Vers. 3. &* 4.

c *Sed quod si quis ab infantia fuit amens, nunquid prodest ei si baptizetur? ℞. quod sic gl. hic.*

Ad §. Illud.

QUoties verò nulla extant indicia (*a*) inter propinquos, & familiares, quibus aliquos baptizatos esse doceri possit, eosdem sinè metu iterationis, vel temerariæ pręsumptionis baptizandos esse indubitatū est. De eo tamen, qui ex Christianis parentibus natus, inter Christianos est fideliter conversatus, tam violēter pręsumitur, quòd fuerit baptizatus, ut hæc præsumptio pro veritate sit habēda, donec evidentissimis argumentis contrarium probatum fuerit. Ex hoc loco notate, quòd violenta præsumptio admittit probationē in contrarium. Debet tamen probatio talis esse evidentissima.

a *Benè dicitur Indicia, quia non requiritur plena probatio; immo sufficeret unus testis, ubi tamen non fieret alteri præjudicium gl. hic.*

Ad §. Quod si quis sciens.

QUòd si quis non ignarus iterum baptizari sustinuerit, subiiciendus erit arctissimæ pœnitentiæ, quam habemus *in c. qui bis ignoranter, de consecrat. dist.* 4. Quòd si ignoranter id fecerit, nulla quidem imponenda erit pœnitentia, sed nisi magna cogat necessitas, ordinari non poterit. Præsumentes quoque ausu temerario iterum baptizare baptizatos, excommunicationis sententia percussi, ab omni officio, & beneficio Ecclesiastico sunt deponendi, *cap. ult. de baptismo*, & de Jure Ciuili, scienter rebaptizans, & rebaptizatus, ultimo supplicio puniuntur, *l. 2. C. ne sanct. baptis. iter.*

Ad §. Postremò.

POstremo sciendum est, quòd licèt Verbo tantùm, & elemento baptismatis substantia contineatur, & forma: ejus tamen solemnia, ut immersionis numerus, exorcismi, clericorum exufflationes, salis benedicti exhibitio, salivæ contactus, inunctio: (*a*) ex neglectu omitti non possunt sinè culpa.

a *Sunt etiam & alia, puta, Cereus, & Patrinus.*

Ad §. Ultimum.

ESt etiam sciendum, quod baptismus non debet conferri in privatis domibus, sed duntaxat in Ecclesiis baptismalibus, (*a*) nisi ex necessitate, vel nisi baptizandi fuerint Regum liberi, vel Principum, qui habeant notabilem potentiam, & sint quasi comparandi Regiæ potestati. Qui autem secus præsumpserit, aut suam in hoc præsentiam exhibuerit, taliter per Episcopum suum castigetur quod alii attentare similia non præsumant. Castigetur inquàm arbitrariè. *Clement. unica, juncta gl. de Baptismo.*

a *Quæ etiam dicuntur Matrices: quia renascimur per baptismum*

De

De Sacramento Chrismatis.

TITULUS QUARTUS.

Quamvis autem continuò transituris regenerationis sufficiat beneficium, de quo diximus in Titulo proximè præcedenti: Victuris tamen etiam Confirmationis auxilium, de quo in hoc Titulo, est necessarium: Quia ipsis in hoc mundo inter invisibiles hostes, & pericula gradiendum est, & in baptismo regeneramur ad vitam: post baptismum confirmamur ad pugnam, *c. Spiritus Sanctus, de consecrat. dist. 5.*

Igitur omnes fideles adulti, vel saltem alicujus capacitatis, ut mox videbimus *ad §. prox.* per manus impositionem Episcoporum Spiritum Sanctum post baptismum accipere debent, ut perfectè Christiani inveniantur. Et signanter dixi: per manus impositionem Episcoporum: Nàm cæteras quidem unctiones simplex (*a*) Sacerdos valet exhibere, hanc tamen solus Episcopus conferre (*b*) debet, alioqui, nulla excusante consuetudine, Chrismatio erit (*c*) nulla. Et si quis dixerit, sanctæ Confirmationis ordinarium ministrum non esse solum Episcopum, sed quemvis simplicem Sacerdotem; anathema sit. *Concilium Tridentinum sess. 7. (d) can. 3. de Confirm.*

a *Vide suprà de Sacerd. in infer. grad. constit.* §. *Episcopo.*

b *Et ad eam conferendam fit per Episcopum sacrum Chrisma ex oleo, & balsamo.*

c *Nullumque characterem imprimet.*

d *Et sess. 23. cap. 4. & can. 7. de ord.*

Ad §. Accedent igitur.

Accedent igitur qui legitimæ sunt ætatis ad confirmationem jejuni, ut à jejunis Episcopis Sacro Chrismate in fronte deliniti per manus (*a*) impositionem Spiritum Sanctum recipiant. Causa tamen necessitatis, nulla de jeju-

nio

nio habita ratione, manus imponi poterit. In hac re legitimæ ætatis sunt adulti, vel qui saltem sunt alicujus capacitatis, *gl.1.in §.igitur h.t.* Et de consuetudine Ecclesiæ rationabiliter introducta, non confertur Confirmationis Sacramentum, nisi habentibus usum rationis, nempè post septennium, ut qui confirmantur intelligant hoc Sacramentum fuisse institutum ad conferendum robur ad pugnandum contra hostes nempe contra demonem, carnem, & mundum, & in hac ætate, quia peccare possumus, indigemus hoc robore, & auxilio *Ricc. in add. ad hanc nostram Rub. Vers. Quoad.* Sextum Vallidè tamen etiam infantes hoc sacramentum suscipiunt: Immò ob rationabilem causam etiam iis licitè datur v.g. si timeatur diuturna absentia Episcopi, vel hic ad ista loca raro veniat, vel si infans sit filius Principis. *Busemb. in Medula Theolog. Moral. lib.6. Tract. 2. cap. 2. dub. 2. circa finem.* Quòd verò jejunis, & à jejuno debeat dari Chrisma in praxi non servatur.

a *Cur confirmatus soleat leviter in maxila cedi. Vide apud Vallens. in Tit. Dec. de Sac. Unct. §.2. num.2.*

Ad §. Illud commune.

ILlud commune est tam baptizandis, quàm confirmandis, ut aliquem in patrinum habeant, qui eosdem in Religione Christiana, & fide dominica instituat, & pro eis apud Deum quasi fidejussor existat. Quod & in Cathechismo observandum erit. Non tamen plures debent esse Patrini, sed unus tantùm, sivè vir, sivè mulier, vel ad summum unus, & una, *Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reform. mat.* Nec potest esse patrinus, qui non est baptizatus, vel confirmatus. Parentes quoque non possunt esse patroni filiorum suorum, nec Abbates, vel Monachi alienorum. Et animadvertite, quod patrini isti non sunt de substantia, *gl. 1. hic.*

Ad §. Commune etiam.

COmmune etiam illud est Sacramento Baptismi, & Confirmationis, quod & neutrum iterari potest, quippe quòd ambo characterem imprimunt,& quod interdicti tempore utrumque conferri, & pro utroque chrisma confici poterit,(a) ut infrà *in Tit.de Eccles.interd.§.penult.& ult.latiùs exponemus*.

a *Ob imminens ex dilatione periculum*.

De Pœnitentiis, & Remissionibus.

TITULUS QUINTUS.

DIximus suprà de baptismo, & de Confirmatione, sequitur ut videamus de Pœnitentia, quia per Pœnitentiam spes æternæ vitæ reparatur: lapsi enim post Baptismum per Sacramentum Pœnitentiæ resurgunt,& quasi ex naufragio arreptatabula ad portum perveniunt.

Est igitur pœnitentia Sacramentum, quod contritione, confessione, & satisfactione concurrentibus, peccatorum operatur remissionem. Colligitur ex hac definitione, Pœnitentiæ Sacramentum Tribus partibus constare, Contritione, Confessione, & satisfactione, de quibus infrà mox videbimus.

Ad §. Sunt autem.

SUnt autem pœnitentiæ Tres species: Quædam enim est solemnis,quædam publica, quædam privata. Solemnis est, quam propter majora, (a) & vulgata scelera Episcopus (b) in capite quadragesimæ servatis solemnitatibus, de quibus *in c.pœnitentes, & in c.in capite, dist.* 50. delinquentibus solet imponere, quæ quidem, nè vilescat (c) Ecclesiæ auctoritas, semel tantùm in Ecclesia conceditur. Et tales pœnitentes ad Sacros ordines inhabiles reddit, quippe quæ nec

aliter potest Sacerdotibus imponi, quàm si prius depositi fuerint. Immò neque ad infimos ordines debent tales pœnitentes promoveri, & tantùm ex necessitate, aùt utilitate, possunt inter hostiarios, vel lectores collocari, ut suprà exposuimus ad §. Pœnitentes, qui promoveri non possunt. Hodie tamen hæc solemnis pænitentia non est in usu.

a *Quæ autem sint hæc, habetur in cap. At si clerici §. 1. de Judic.*

b *Non autem Inferiores.*

c *Cum frequentia, & iteratio contemptum pariant.*

Ad §. Publica.

PUblica pœnitentia est, quæ propter (*a*) manifesta peccata à proprio Sacerdote, publicè, nulla servata Juris solemnitate, peragenda injungitur: qualis est peregrinatio, certi habitus delatio, & his similia, qui enim publicè peccando, proximo suo scandalum præbuerint, palam sunt corripiendi, ut quos exemplo suo ad malos mores provocaverint, suæ emendationis testimonio ad rectam revocent vitam. Episcopus tamen, *ex Concil. Trid. sess. 24. cap. 8. de refor.* publicæ hoc pęnitentiæ genus, in aliud secretum poterit cõmutare, quando ità magis judicaverit expedire. Apparet itaque ex iàm dictis, quòd licèt omnis solemnis pœnitentia publica sit: non tamen è contra omnis publica pœnitentia est (*b*) solemnis.

a *Solemnis imponitur propter majora scelera, & vulgata, ut in §. prox. præced.*

b *Cum in simplici publica non serventur solemnitates, quæ servantur in solemni.*

Ad §. Privata.

PRivata, aùt secreta pœnitentia, est quæ in occulto, (*a*) Deo fit, & Sacerdoti, tamquam Deo, vel Dei ministro. Statutum est enim generali Concilio *in cap. omnis 12. de pænit. & remiss.* ut omnis utriusque sexus fidelis, postquam

ad

ad annos diſcretionis pervenerit, omnia ſua (*b*) peccata proprio (*c*) ſacerdoti fideliter confiteatur, & injunctam ſibi pœnitentiam proprijs viribus ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reverenter ad minus ſingulis annis in Paſchate Euchariſtiæ ſacramentum: niſi fortè de proprii ſacerdotis conſilio, ob aliquam rationabilem cauſam ad tempus ab ejus perceptione duxerit abſtinendum: alioquin, & vivens ab ingreſſu Eccleſiæ (*d*) arcebitur, & moriens Chriſtiana carebit ſepultura. *Vide Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de pœnit.* ubi inter alia habetur, quod per generale Concilium Lateranenſe non ſtatuit Eccleſia, ut Chriſti fideles confiterentur, quod Jure Divino neceſſarium, & inſtitutum (*e*) eſſe intellexerat; ſed ut præceptũ Confeſſionis, ſaltem ſemel in anno, ab omnibus, & ſingulis, cum ad annos diſcretionis perveniſſent, impleretur. Et animadvertite, quod obſervantia videtur habere, quod quoad confeſſionem ſeruetur ætas ſeptem annorum, pubertas verò quoad Euchariſtiam, *gl. hic in verbo ſapere. Abb. in dicto cap. omnis. ſub num. 9.*

a *Occulta enim peccata non ſunt publicè punienda c. ſi peccaverit. 2. q. 1.*

b *Mortalia ſcilicet, nàm venialia poſſunt taceri citra culpam. Concil. Trid. ſeſſ. 14. cap. 5. de pœnit.*

c *Vide ad §. prox. ſeq.*

d *Nota Caſum, in quo non excommunicatus arcetur ab ingreſſu Eccleſiæ.*

e *Dominus autem Sacramentum pœnitentiæ tunc præcipuè inſtituit, cum à mortuis excitatus, inſuflavit in Diſcipulos ſuos, dicens: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiſeritis peccata, remittuntur eis; & quorum retinueritis, retenta ſunt Vide Concil. Trident. ſeſſ. 14. cap. 1. de pœnit.*

Ad §. Conſtat igitur.

Conſtat igitur Pœnitentiæ Sacramentum tribus partibus, (*a*) contritione cordis, Confeſſione (*b*) oris, & operis ſatisfactione. Contritio nihil aliud eſt, quàm dolor pro peccatis voluntariè aſſumptus cum propoſito confitendi, & ſatisfa-

tisfaciendi, ac de cætero non peccandi, ut hic, juncto *Concil. Trid. seß. 14. cap. 4. de pœnit.* Ubi videte, quæ novissimè idē Concilium declaravit circa hanc materiam contritionis. Confessio est canonica peccatorum coram proprio Sacerdote facta declaratio. Quod si quis alieno Sacerdoti voluerit justa de causa confiteri, veluti quia proprii Sacerdotis imperitiam vereatur, id facere poterit, prius tamen impetrata licentia à proprio Sacerdote, vel à Superiore. Si quis tamen Regularibus generalem audiendi Confessiones potestatem (c) habentibus, & locorum ordinarijs præsentatis, & ab iisdem approbatis confessus fuerit, confessio validissima erit.

a *Sunt quasi materia hujus Sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempe contritio, confessio, & satisfactio. Qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur Concilium Trid. seß. 14. cap. 3. de pœnit.*

b *Unde non erit canonica confessio, si quis velit per Nuncium, vel per Epistolam confiteri gl. hic.*

c *De qua potestate apparet in Clem. 2. §. Statuimus, de sepult. vel apparebit ex propriis privilegiis.*

Ad §. Episcopus quoque.

EPiscopus quoque poterit suo subdito concedere licentiam eligendi sibi Confessorem. Nulla tamen potest consuetudine introduci, quòd aliquis præter sui Superioris licentiam, Confessorem sibi eligere valeat, qui eum possit solvere, vel ligare, *cap. 2. de pœnit. & remiss. in 6. Circa dispositionem hujus §. faciunt ea, quæ videbimus infrà ad §. De eo tamen h. t.*

Ad §. Sed & si.

SEd & si is, cui quis, pœnitendi urgente necessitate, ex confessionis desiderio, confitetur, solvendi nullam potesta-

testatem habeat: Confessio tamen confitenti contrito, non autem solùm attrito, prodest ad veniam. Non est tamen sacramentalis hujusmodi confessio facta ei, qui nullam solvendi potestatem habet, laico scilicèt, aùt clerico non Sacerdoti, etiam in necessitate: solus enim (a) Sacerdos est minister Sacramenti pœnitentiæ. *Concil. Trid. sess. 14. cap. 6. & 10. de pœnit. Et quod dicitur in cap. quem pœnitet, vers. Tanta, de pœnit. dist.* 1. quod scilicèt quis in necessitate, si deest Sacerdos, confiteatur proximo: intelligi debet de consilio causâ humilitatis, & consilii, aùt auxilii petendi, & accipiendi à proximo non autem ad effectum Sacramentalis Confessionis. *Andreas Vallens. in Tit. Decretal. de pœnit. & remiss. §. 6. n. 3.*

a *Et quidem quilibet Sacerdos in mortis articulo. Concil. Trid. sess. 14. cap. 7. de pœnit.*

Ad §. Sed sivè proprius.

SEd sivè proprius Sacerdos, sivè alius confessionem audiat, non debet ullo modo illam revelare, (a) aliàs non solùm à sacerdotali officio deponendus erit, verum etiam ad agendum perpetuò pœnitentiam in artum monasterium detrudendus. Quod si Sacerdos indigeat prudentiori consilio, debet illud cautè requirere absque ulla expressione personæ. *cap. omnis §. ult. de pœnit. & remiss.*

a *Et qui scit aliquid in Confessione, adductus in Testem, potest liberè jurare se nescire.*

Ad §. Illud etiam.

ILlud etiam animadvertere Sacerdotem oportet: nequem scilicèt ab his criminibus absolvendo liberare tentet, quorum absolutio, aùt Papæ, aùt proprio ordinario est reservata (a) ut puta si pœnitens clericum enormiter læserit, Ecclesiam combuserit, vel fregerit, In articulo tamen mortis (b) nulla est reservatio, atque ideò omnes Sacerdotes quoslibet pœnitentes à quibusvis peccatis, & censuris in mortis articulo absolvere possunt. *Concil. Trid. sess. 14. c. 7. de pœnit.*

a *De hujusmodi reservationibus. Vide gl.in cap.si Episcopus h. t.in 6. in verbo reservantur. Ricc.hic in add.& Vallens.in Tit.Dec de pœn.& remiss. §.6.num.8.& 9.*

b *Aliqui dicunt non esse distinguendum articulum mortis ab evidenti periculo. Vide Vallens.ubi suprà, num.6.*

Ad §. De eo tamen.

QUod si Episcopus suo subdito concesserit, ut sibi possit idoneum (*a*) eligere confessorem, non tamen ille, quem is elegerit, in casibus qui eidem Episcopo specialiter (*b*) reservantur, absolvendi habet potestatem, *cap. 2. de pœnit.& remiss. in 6.*

a *Qui sciat solvere, & ligare.*

b *Qui sint isti casus vide per gl.in cap.2.in Verbo, Reservantur, de pęnit. & remiss. in 6.*

Ad §. Sed nec contritio.

SEd & contritioni, & confessioni, ut delictorum accipiatur venia, debet esse adjuncta satisfactio, nisi aliqua necessitate fuerit pœnitens satisfacere impeditus. Est autem satisfactio nihil aliud, quam quædam injuriæ illatæ compensatio. Et opera præcipua satisfactionis sunt æleemosinę, orationes, & jejunia, De necessitate, & fructu satisfactionis, ac de operibus ejusdem. *Vide Concil.Trid.sess.14.cap. 8. & 9.de pœnitentia.*

Ad §. Medicos etiam.

MEdici quoque vocati ad infirmos debent ipsos ante omnia monere, & inducere ad confessionem. Si quis autem Medicorum secus fecerit ab Ecclesiæ ingressu (*a*) arcebitur, donec pro transgressione hujusmodi satisfecerit ad (*b*) arbitrium Judicis, Et hanc constitutionem, quæ est Innocentii III. *in cap. cum infirmitas 13.de pęnit. & remiss.* non solùm innovavit Pius V. motu proprio incipiente, supra gregem

gem 11. Martii 1566. Sed etiam jussit, ut Medici, dum creantur Doctores, jurent se hanc Constitutionem servaturos: vetuitque ne Medici ultra tres dies visitent ęgrotos in lecto jacentes, nisi peccata confessi fuerint. Si quis autem in infirmitate constitutus pęnitentiam petierit, & morbo oppressus non potuerit confiteri, poterit nihilominus moriturus absolvi.

a *Per sententiam, non ipso jure, gl. in d. cap. 13. de pænit. & remiss.*

b *Cum pæna certa non statuatur.*

Ad §. Ultimum.

Etiam vltore gladio morituris pænitentiæ, & Eucharistiæ Sacramentum est concedendum. Et de consuetudine Eucharistia datur illis per diem ante.

De (*a*) Eucharistia.

TITULUS SEXTUS.

Cum omnis fidelis, qostquàm ad annos discretionis pervenerit, debeat saltem semel in anno suscipere Eucharistiæ Sacramentum post susceptam pęnitentiam, ut diximus suprà *in Tit. de pænit. & remiss. ad §. Privata*. *Ideò post Titulum de pænit. & remiss. sequitur Titulus de Eucharistia.*

Eucharistia est sacramentum continens sub specie panis, & vini, vel alterius eorum, verum corpus, & sanguinem Christi. *Vallens. in Tit. Decretal. de celebrat. missarum* §. 1. *nu.* 1. Et inter cætera sacramenta Eucharistiæ Sacramentum est Sacramentum (*b*) maximum. Et quidem in primitiva Ecclesia frequentissima erat apud fideles hujus Sacramenti susceptio: Hodie statutum est, ut semel saltem singulis annis in Pascha (*c*) unusquisque Eucharistiæ sacramentum suscipere debeat. *Vide suprà in Tit. de pænit. & remiss. ad* §. *Privata*.

a *Eucharistia cur ita vocetur. Vide apud Ricc. hic in add. vers. Quoad secundum.*

b *Ra-*

b *Ratione sanctitatis, & contenti.*

c *Quod praeceptum de communicando in Paschate currit à Dominica Palmarum usque ad octavam paschatis inclusivè. Vallens. in Tit. Decret. de celeb. miss. §. 3. num. 2.*

Ad §. Invaluit tamen.

INvaluit tamen, ut Deo quotidie Sacerdotes pro populo (*a*) sacrificarent. Non tamen debet Sacerdos amplius quàm semel in die celebrare. In die tamen Nativitatis Domini licet Sacerdoti Tres (*b*) missas celebrare, & duas in casu urgentis necessitatis, (*c*) *ut hic, juncta gl. 1. in c. nocte sancta & gl. ult. in c. sufficit, de consec. dist. 1.* Dummodò tamen in missa, vel missis celebratis vinum perfusionis, seù ablutionis non acceperit. *cap. 5. de celeb. missarum.*

a *Vide Concil. Trid. sess. 23. cap. 14. de reform.*

b *Cur tres missas in Nativitate Domini celebrare liceat, vide per gl. in cap. 3. de celeb. miss.*

c *Casus autem necessitatis vide apud Navarum in manual. cap. 25. num. 87.*

Ad §. Sed nec omnibus.

VEluti autem solus Sacerdos conficit eucharistiæ Sacramentum, ità etiam solus Sacerdos illud potest exhibere. Si tamen urgeat (*a*) necessitas, Diaconus præsente Presbytero, Eucharistiam jussus erogare potest, vel etiam non jussus absente Presbytero. *c. Diaconus dist. 43.*

a *Et erit exemplum istius necessitatis, si tot sint, qui velint communicare, ut non possit presbyter omnibus sufficere, gl. hic.*

Ad §. Immò.

IMmò & Sacerdotes existẽtes in peccato mortali, ab exhibitione Sacramẽti Eucharistię abstinere debẽt: Non enim ex qui debent officiũ, cum sint per peccatum mortale à Deo separati, *c. ult. de cohab. cler. & mulier.* Nullã tamen irregularita-

tis

tis notam incurrit Sacerdos, licèt graviter peccet, si peccato mortali, vel minori excõmunicatione ligatus celebret, & sacramenta conferat,& ab eo collata virtutis effectu nõ carent. Majori verò excommunicatione ligatus celebrando divina, efficitur irregularis, *c. si quis Episcopus damnatus, & c. seq. 11. q. 3. Abb. in cap. ult. sub num. 2. de cler. excom. &c.*

Ad §. Item quamvis.

ITem quamvis regulariter nullus, etiam si Sacerdos sciat aliquem esse peccatorem, & impenitentem, ab Eucharistia sit arcendus; scenicis tamen, atque histrionibus, qui turpibus, (*a*) & illicitis verbis ludunt, cæterisque personis hujusmodi, quandiu tam detestandas artes exercuerint, sacra communio deneganda (*b*) erit. In cæteris prospiciet presbyter, ut Eucharistiam ita paratam habeat, ut si quis infirmatus fuerit, non moriatur sine communione. Pro intelligentia hujus §. animadvertite; quod notorio impœnitenti sacra communio est deneganda, sivè petat eucharistiam in occulto, sivè in manifesto. Si verò impœnitens sit occultus, & petat, eucharistiam in manifesto, non debet Sacerdos qui scit eum esse impenitentem, eucharistiam negando, prodere eumdem, sed debet tantùm huic impænitenti eucharistiam negare, si eam petat in occulto. *gl. hic.*

a *Secus si honestis, licèt jocosis.*

b *Morientibus tamen pænitentibus, etiam ex gravissimis scaleribus, viaticum non est denegandum, licèt in vita denegari debuerit, c. penitentes, dist. 50.*

Ad §. Constat autem.

COnstat autem Eucharistiæ sacramentum Visibili forma, Veritate corporis, & Virtute spirituali. Forma visibilis est panis, & vini. Vinum verò hoc loco intelligimus aqua (*a*) permixtum, & secundum rationabilem consuetudinem Ecclesiæ generalis, plus in calice Domini est de vino, quàm de aqua ponendum. Et debet esse panis ex Tritico, & aqua naturali factus, & vinum ex uvis confectum. Et Græ-

 ci utun-

ci utuntur pane fermentato, Latini pane azymo. Si tamen Latinus uteretur pane fermentato, verè conficeret hoc Sacramentum, sed graviter peccaret.

Veritas est carnis, & sanguinis: Panis enim, & Vinum in Sacramento altaris fiunt vera caro, & sanguis Christi.

Virtus est charitatis, & vnitatis: Nàm veluti ex multis granis unus fit panis, & ex multis racemis vnum vinum; ita & nos per hoc charitatis Sacramentum Christo incorporati unum evadimus.

a *Et quamvis aqua non sit de necessitate sacramenti, tamen omittens peccat graviter, si scienter ommittat.*

De Extrema Vnctione.

TITULUS SEPTIMUS.

SAcramentorum quædam ad ingressum Ecclesiæ sunt comparata, ut baptimus: quædam ad progressum in Ecclesia, ut confirmatio, pœnitentia, Eucharistia: quædam ad egressum, vt extrema vnctio §. Sacramentorum, de Sacramentis. Hactenus locuti fuimus de his sacramentis, quæ ad ingressum, & ad progressum in Ecclesia comparata sunt, consequens nunc est, ut de iis videamus, quæ propter egressum ab Ecclesia sunt constituta.

Hoc Sacramentum appellatur Extrema unctio, quia in extremitate (*a*) vitæ constitutis exhiberi consuevit. Et est Sacramentum, quo graviter (*b*) ægrotantes, & de quorum morte probabiliter timeri potest, oleo (*c*) sanctificato in certis corporis partibus à presbyteris sub certa verborum forma, ex institutione divina inunguntur, ut talis inunctio non minus interius animæ, quam exterius corporis, ubi saluti animæ expedierit, sanitatem operetur, *ut in* §. 1. *h. t. juncto Concil. Trid. sess. 14. cap. 2. & 3. de extrema unct.* Sanctificatum autem oleum hoc loco accipimus, non modo, quod ipsum totum consecratum est, sed etiam quod est consecrato admixtum in minori tamen quantitate, quam consecratum, quia sacrum tanquam dignius trahit ad se non sacrum,

arg.

arg. l. quæ reliogiosis 54. *ff. de rei vindic.* Et intelligite consecratum ab Episcopo. *Concil. Trid. ubi suprà cap.* 1. *in fine.* Partes verò corporis, in quibus fit talis inunctio. *Vide per gl. hic in verbo, Partes.* Et forma verborum, *In add. Ricc. ad hanc nostram Rub. vers. Quoad quartum.*

a *Debet tamen dari fidelibus eo tempore, quo sunt sui compotes & cognoscere possunt quid circa eos agatur.*

b *Adde, & penitentes, c. illud, dist.* 93. *Sed nunquid conferri poterit hoc sacramentum propinquis morti ex alia causa, quàm ex infirmitate naturali, puta, suspendendis?* ℞. *non Vide gl. hic.*

c *Scilicèt, olivarum.*

De Sacramento Ordinis.

TITULUS OCTAVUS.

NUnc sequitur ut loquamur de Sacramentis voluntariis. Voluntatis sacramenta sunt ordo sacer, & matrimonium. Est autem ordo signaculum (*a*) quoddam Ecclesiæ, per quod spiritualis potestas traditur ordinato: de cujus speciebus, differentiis, & gradibus sufficienter dictum fuit in primo libro, *à Tit. de Jure personarum, usque ad Tit. de Præbendis*; Unde solùm nunc restat ut dicamus de Matrimonio.

a *Quia in collatione cuiuslibet ordinis adhibetur aliquod signũ visibile, per quod unus ordo ab alio distinguitur, puta, clavis, liber, calix. & similia, gl. hic.*

De Sacramento Matrimonii.

TITULUS NONUS.

MAtrimonium est viri, & mulieris conjunctio, individuam vitæ consuetudinem continens. Definitionem hanc vobis explicavi *in Instit. Civil. ad* §. *Nuptiæ de patria potestate.*

Ad §. Et meritò.

PRo intelligentia eorum, quæ hoc loco dicuntut, animadvertite, quod matrimonium, si consideretur quatenus ordinatur ad procreationem, fuit institutum ante peccatum: Si autem quoad remedium, quod præbet contra vulnus peccati, fuit ejus institutio post peccatum tempore legis naturæ, & secundum determinationem plenam in lege Moysis: Et secundum quod est sacramentum novæ legis, institutionem habuit (*a*) à Christo. Et etiam animadvertite, quod matrimonium contractum inter infideles non est verè Sacramentum, nec confert (*b*) gratiam ob eorum incapacitatem. *Vide gl.* 1. *juncta add.*

a *Matthei* 19. *Quo loco illud commendavit*.

b *Inter fideles sacramenti matrimonii gratia efficitur ut vir, & uxor mutua charitatis vinculo coniuncti, alter in alterius benevolentia conquiescat, alienosque, & illicitos amores, & concubinatus non quærat. Catech. Rom. de sac. mat. num.* 25.

Ad §. Consequuntur.

BOna matrimonii præter (*a*) Sacramentum sunt fides, proles, & fornicationis remedium.

a *Igitur inter bona matrimonii est Sacramentum: Vinculum scilicèt matrimonii, quod nunquam dissolvi potest. Vide Cathechis. Rom. ubi suprà*.

Ad §. Altimum.

INitiatur autem matrimonium sponsione, consensu ratificatur, & copula consummatur. De quibus singulis distinctius videbimus in sequentibus Titulis.

De Sponſalibus.

TITULUS X.

SPonſafilia ſunt futuram nuptiarum mentio, & repromiſſio, *l.1.ff.de ſponſalibus*. Et dicta ſunt à ſpondendo, quòd per ea ſibi invicem ſe futuros conjuges viri, & mulieres ſpondent: mutuis ſcilicèt ſtipulationibus interpoſitis ſecundum veterem morem, *l.2.ff. de ſponſalibus*. Hodie ſufficit nudus conſenſus ad conſtituenda ſponſalia, *l.ſufficit* 4. *ff.eod.* Et pactiones potiùs, quàm contractus ſunt.

Ad §.Contrahuntur autem.

COntrahuntur autem ſponſalia variis modis, ut puta Re, Verbis, Literis, & conſenſu.

Re contrahuntur per ânuli immiſſionem, vel per dationem aliarum rerum.

Verbis contrahuntur ſponſalia, ſi v. g. Berta dicat Titio: Ego te accipiam in meum maritum, & Titius Bertæ, & ego te accipiam in meam uxorem.

Literis contrahuntur Sponſalia, ut cum abſentes inter ſe de futuris nuptiis per Epiſtolam paciſcuntur, quod ipſum, & per (*a*) procuratorem, ad hoc ſpecialiter conſtitutum, fieri poterit. Procurator tamen alium ſubſtituere non poterit, niſi hoc ei ſpecialiter commiſſum fuerit. Sanè ſi procurator antequam contraxerit, à domino fuerit revocatus: contracta poſtmodum ſponſalia ab eodem (licèt tamen ipſe, quam ea, cum qua contraxit, revocationem hujuſmodi penitus ignorarent) nullius momenti exiſtunt: cum illius conſenſus defecerit, ſine quo firmitatem habere nequiverunt *arg.cap. ult.de procurat.in 6.*

Conſenſu contrahuntur ſponſalia, ut cùm pubes, & impubes, vel duo impuberes non proximi pubertati, & in quibus malitia non ſupplet ætatem, ſed adhuc inhabiles ad ſe commiſcendum carnaliter, per verba de præſenti contrahunt

matri-

matrimonium. Licèt enim verba talis contractus ſonent in præſens matrimonium,& matrimonium contrahere intenderent contrahentes: Juris tamen interpretatione in ſponſalia de futuro reſolvuntur, & per dictum contractum, qui valuit, ut potuit, non ſicut agebatur, inducitur impedimentum Juſtitię publicæ honeſtatis, de quo impedimento videbimus infrà, *ad §. Rurſus h.t. & in tit. Quæ matrim. imped. poſſ. ad §. Publicæ quoque.*

a *Qui modus practicus ſervari debeat in contrahendis ſponſalibus de fututo, vel matrimonio, cum procuratore, Vide per Ricc. hic in add. circa finem.*

Ad §.Rurſus.

Urſus contrahuntur ſponſalia aùt purè, aùt adiectà die, aùt ſub conditione. Purè, ut cum vir, & mulier ſe invicem futuros coniuges pollicentur, non adiectà die, nec certa conditione (*a*) expreſſa. Et hoc caſu, publicæ honeſtatis Juſtitia impediente, nullus conſanguineorum ſponſi uſque ad quartum gradum incluſivè, aliquo pacto poterit ſponſam matrimonio ſibi copulare, & è contra nulla ex conſanguineis ſponſæ uſque ad quartum gradum incluſivè poterit ſponſum matrimonio ſibi copulare aliquo modo, *cap.8. de ſponſ. & mat. cap. 8. de conſang. & affin.* Immò qui purè (*b*) ſponſalia contraxerunt, moneri, & niſi rationabilis cauſa obſiſtat, Eccleſiaſtica ceuſura compelli poterunt, ut præſtitam fidem obſervent, *cap. 2. 10. & 17. de ſponſal.* Hodie tamen Juſtitiæ publicæ honeſtatls impedimentum primum gradum non excedit, & oritur tantùm ex ſponſalibus validis. *Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de refor. mat.* Et de hoc impedimento pleniùs etiam videbimus infrà *in Tit. Quæ matrim. imped. poſſ. ad §. Publicæ quoque.*

Dies adiicitur ſponſalibus, cum quis v. g. intra annum aliquam ſe ducturum in uxorem convenit, in quo caſu, ſi per eum non ſteterit, quominus intra præfixum terminum cum eadem matrimonium contraheret, cum alia poſtmodum libere matrimonium contrahere poterit.

Sub

Sub (*c*) conditione contrahuntur ſponſalia hac, vel ſimili forma: Ego te in uxorem accipiam, ſi centum mihi dederis, aùt ſi pater meus conſenſerit. Quibus conditionibus deficientibus, ſponſalia euaneſcunt, niſi conſenſus de præſenti, aùt carnalis ſit inter eos commixtio ſubſequuta: Tunc enim pro matrimonio eſt judicandum, cùm receſſum videatur à conditionibus appoſitis, *cap. 3. 5. & 6. de condit. appoſ. Hic tamen adhibenda eſt reformatio Concilii Tridentini ſeſſ. 24. cap. 1. de refor. mat.* qua matrimonia clandeſtina decernuntur irrita, nec ſponſalia de futuro per ſequentem copulam tranſeũt in matrimonium, ſicut tranſibant (*d*) ſecundum Jura antiqua. Et hoc quod diximus de conditionibus, quæ ſponſalibus adiiciuntur, de his conditionibus debet intelligi, quæ honeſtæ ſunt, & canonicis inſtitutis non contrariæ; nàm ſi turpes, aùt impoſſibiles ſint, debent propter matrimonii favorem pro non adiectis haberi. Si tamen nonſolùm turpes ſint, ſed etiam contra ſubſtantiam, vel naturam conjugii, puta ſi alter dicat alteri; Contraho tecum ſi pro quæſtu adulterandam te tradideris, matrimonialis contractus quantumcunque ſit favorabilis, omni carebit effectu, *cap. ult. de condit. appoſ.*

a *Conditio verò ſubintellecta, ut in §. unius h. t. non facit actum conditionalem.*

b *Conditionalia ſponſalia non inducunt publicæ honeſtatis Juſtitiam ante conditionem extantem. cap. unico, in fine de ſponſal. in 6.*

c *Vide in 2. marg. præced. pag.*

d *Ricc. in add. §. ſi tamen cum ea h. t. Vallenſ. in Tit. Decret. de ſponſal. & mat. §. 3. in fine.*

Ad §. Non tamen omnibus.

NOn tamen omnibus, cujuſcunque ſit ætatis, licet ſponſalia contrahere. Si enim minores ſeptennio, vel unus ſeptennio major, alter minor ſponſalia contraxerint ipſi, vel parentes pro eis: niſi per mutuam (*a*) cohabitationem eorum, ſivè aliàs verbo, vel facto, eoſdem in eadem voluntate factos ſeptẽnio majores perdurare liquido appareat, ſponſalia

salia hujusmodi sunt nulla, nec per supervenientiam septennii convalescunt, publicæque honestatis (*b*) Justitiam non inducunt, *cap. unico, de desponſ. impuber in* 6. Septennium (*c*) autem debet esse completum, nec sufficeret esse cæptum, *gl.* 1. *hic*. Si tamen complemento septennii parum deficiat, veluti, una hebdomada, & etiam aliquid amplius, sponsalia erunt valida, *Vide Ricc. hic in add.* Quod si cum nondum septenni copulæ nixus intercesserit, publicæ honestatis Justitia ob nixum compulæ induceretur, *cap.* 3. *de sponſal. & mat.*

a *Vide gl. ult. in c. ult.* 30. *q.* 2.

b *De qua vide suprà, ad* §. *Rursus h. t.*

c *Neque malitia supplet hanc septem annorum ætatem d. gl.* 1. *& Ricc. in add.*

Ad §. Initiatum.

QUi igitur contraxerunt sponsalia, nisi rationabilis causa obsistat, debent compelli ad contrahendum matrimonium. Quod si sponsi contracta sponsalia sibi invicem remiserint, erit remissio toleranda, *cap.* 2. *de sponſal. & mat.* Non sunt tamen audiendi impuberes volentes contracta sponsalia dissoluere, sivè uterque, sivè alter reclamet, sed expectandum est tempus (*a*) pubertatis eorum, *cap. de illis* 7. *de desponſ. impub.* Quod si mulier viri potens contrahat sponsalia cum impubere, non illa, sed iste factus pubes resilire potest, *dicto cap. de illis* 7. §. *mulier*. Mulier tamen quæ nubiles annos attingens, coactè cum impubere sponsalia contraxit, impuberem expectare non tenetur, *cap. ex literis* 11. *de d. sp. impuber.* Et ex sponsalibus contractis à parentibus pro filiis puberibus, vel impuberibus, filii non obligantur, nec publicæ honestatis Justitia inde exoritur, nisi ipsi filii expresſè consenserint, vel tacitè, ut si præsentes fuerint, nec contradixerint, vel nisi filii tempore sponsaliorum absentes, & ignorantes, eadem sponsalia post scientes, & prudentes ratificaverint tacitè, vel expresſè, *cap. unico* §. *porro, &* §. *& est idem, de deponſ. impub. in* 6.

a *Et tunc sponsalia judicio Ecclesiæ erunt dissolvenda d. cap.* 7. *de desp. impub.*

b *Inter-*

b *Interventu alicujus actus: Sola enim Taciturnitas non sufficeret, gl. hic. & not. in marg. in d. cap. unico, in fine.*

Ad §. Dissolvuntur.

DIssolvuntur sponsalia, aùt ipso jure, aùt facto hominis. Ipso jure tunc dicuntur sponsalia dissolvi, cum nulla habita ratione voluntatis, & consensus partium, ex certa superveniente causa distrahuntur, ut ex contractu matrimonii cum alia persona. Si quis enim cum ea, cum qua sponsalia contraxisti, contraxerit matrimonium, sponsalia, etiam juramento firmata, & etiam te invito, non obstante, quod copula inter te, & sponsam intervenerit, solvuntur secundum jura hodierna, ut diximus suprà *ad §. Rursus h. t.* Primum verò matrimonium, etiam non secuta copula, non dissolvitur per secundum (*a*) matrimonium de facto contractum, etiam si copula sit subsequuta, *cap. si inter 31. de sponsal. & mat.*

Item ex susceptione sacrorum ordinum, & ex Religionis ingressu ipso jure sponsalia dissolvuntur. Si quis enim alicui mulieri de contrahendo matrimonio fidem dederit, & posteà ad sacros ordines fuerit promotus, aùt Religionem fuerit ingressus dissolvuntur sponsalia.

Item si inter sponsum, & sponsam affinitas, aùt spiritualis cognatio superveniat, dissolvuntur inter eos sponsalia ipso jure, nec ad matrimonium perveniri poterit, ut videbimus infrà *in Tit. de Triplici cognat. ad princ. Tit. & ad §. naturalis.*

a *Nec valet contraria consuetudo, cap. ult. de sponsa duorum.*

Ad §. facto hominis.

FActo (*a*) hominis dissolvuntur sponsalia pluribus modis, veluti contrario utriusque contrahentis consensu. Et possunt contrahentes sese invicem liberare, & si sponsalia sint jurata. Nàm juramentum præstitum ad commodum hominis, potest ab homine remitti ad cujus commodum juratum fuit. Quod intellige ànte incursum perjurium, non posteà *gl. hic in verbo, liberent.*

Dissoluuntur etiam sponsalia facto hominis, si impubes contrahens, adveniente pubertate, ratum nolit habere matrimonium. Atque in Sponsalibus pœnarum inanis omnis est adiectio.

Item facto hominis dissolvuntur sponsalia unius quoque tantùm dissensu ob fornicationem (*b*) post sponsalia, etiam juramento firmata, commissam, veluti si quis aliquam se in uxorem ducturum juraverit, & ea postmodum fornicata fuerit. Nàm licet idem sponsæ non possit opponere fornicationem præcedentem, dummodò fornicatio cognita fuerit, aùt facilè cognosci potuerit, ob sequentem tamen poterit eamdem in coniugem non ducere. Sed quid si per violentiam opprimatur sponsa de futuro? ℞. quod sponsus non tenetur cum ea contrahere, *gl. hic in verbo, fornicata fuerit*.

Item facto hominis dissolvuntur sponsalia, etiam jurata, si sponsus, vel sponsa idolatrando, vel hæresim sequendo in spiritualem fornicationem inciderit.

Item sponsalia, etiam juramento firmata, facto hominis dissolvuntur, si Sponsi ad remotas partes se trasferant: Tunc enim liberum erit sponsis nuptias contrahere cum aliis; recepta tamen de perjurio, si fortè juramentum præstiterint, pœnitentia, si per eas steterit, quominus matrimoniũ fuerit consummatum.

Item facto hominis dissolvuntur Sponsalia, unius quoque tantùm dissensu, ex membrorum amissione, vel incurabilis morbi interventu. Veluti si sponsus, aùt sponsa leprosus fiat, vel leprosa, paraliticus, vel paralitica, aùt nasum, vel oculos amittat. Matrimonium tamen superveniens lepra, vel alius morbus, non dirimit: etiam quod non sit secuta copula, *cap. Quemadmodum §. primo; de Jurejurando*.

a *In superioribus casibus est causa remota factum hominis dissolvendi: quia Jus dissolvit, etiam quod homo nolit: in casibus sequentibus, si nolint partes dissolvere, sponsalia non dissolvuntur, & sic causa dissolutionis propinqua est in homine. Vide gl. hic*.

b *Ità tamen ut solus innocens ab obligatione liberetur: Nam delictum suum nemini patrocinari debet*.

De

De Nuptiis.

TITULUS XI.

EXposuimus suprà quid esset matrimonium, quave ratione inter sacramenta reponatur, admonentes illud initiari Sponsalibus, consensu ratificari, & copula consummari. Et subsequenter diximus de sponsalibus, sequitur ergo ut de consensu, & copula differamus.

Nuptiæ igitur consensu partium contrahuntur, nec sufficit consensus parentum, quamquam honestè faciant filii, si paternæ voluntati minimè reluctentur. Debent tamen contrahentes esse puberes, & Jure Canonico puberes sunt, qui ex habitu corporis pubertatem ostendunt, & generare iàm possunt. Quòd si fortè vrgentissima necessitas interveniat: Impuberum conjunctio erit toleranda, ut puta pro bono pacis. Cum dispensatione tamen.

Ad §. Licèt autem.

ETiam Verba, vel signa præsentem consensum (*a*) exprimentia quantum ad Ecclesiam sunt necessaria ad contrahendū matrimonium, & etiam muti, & surdi (*b*) signis nuptias contrahere possunt. Verba autem ad hoc apta sunt v.g. Ego te in meam uxorem accipio: Et ego te accipio in meum maritum, vel similia consensum de præsenti exprimentia. Et verba prolata in contrahendo matrimonio sunt in eum sensum accipienda, quem solent rectè intelligentibus generare.

a *Quoad probationem, non autem necessitate præcisa. Sufficit enim consensus de præsenti expressus verbo, scripto, aùt nutibus.*

b *Sed quid dicemus de eo, qui est mutus, & surdus, & cæcus simul? ℞. si potest aliquo pacto consentire; quod discretus Iudex fortè ex aliquibus gestis, & signis poterit colligere,*

poterit contrahere, aliàs secus. In dubio tamen consulendus erit Superior. gl. hic.

Ad §. Illud quoque.

SErvi quoque etiam invitis dominis possunt contrahere matrimonium. Non tamen debent tales servi proprios dominos debitis, & consuetis (*a*) obsequiis fraudare. Potest tamen dissolvi, seu, vt melius dicam, nullum declarari matrimonium, si vnus coniugum post contractum matrimoniũ comperiatur servilis conditionis, nisi post talem cognitionem fuerit sequuta copula animo maritali, & mutuus renovatus consensus. Et multo magis matrimonium invalidatur, cum quis in persona erraverit, ut puta si existimans se cum Gemma contrahere, cum Berta contrahat.

a *Imò etiam partus ancillæ penes dominum remanebit, gl. hic.*

Ad §. De eo.

HIc ponitur casus de eo, qui, cum nullum nubendi haberet propositum, ut perduceret mulierem ad copulã carnalem, proprium mentitus nomen, illam per hæc verba desponsavit. Te Ioannes desponsat. Et quæritur, an inter prædictos matrimonium sit celebratum? Et ℞. negativè: quoniam ex altera parte solummodò dolus adfuit, consensus omninò defuit. Sed donec expresse de prædictis non appareat, interim erit pro matrimonio præsumendum.

Quæ matrimonium impedire possunt.

TITULUS XII.

DIximus suprà de Nuptiis contrahendis, nunc sequitur ut videamus de impedimentis ipsarum.

Ex principio hujus tituli notate, quod Error personæ, & (*a*) conditionis impedit matrimonium: non autem qua-

qualitatis, & fortunæ. Est autem error personæ, cùm is, qui est Ioannes, Paulus putatur. Conditionis, cùm is, qui servus est, liber creditur. Fortunæ, ut cùm is, qui pauper est, dives (*b*) existimatur. Qualitatis, cùm is reputatur bonus, qui tamen est malus. Si quis igitur corruptam in vxorem accipiat, quam virginem arbitratur, vel si acccipiat meretricem, quam putat esse castam, non tamen propterea matrimonium infringitur.

a *Error conditionis impedit matrimonium ubi errantis conditio deterioratur, secus si melioratur, vel servatur in æqualitate. Vide gl. hic. & Busemb. in med. Theol. mor. lib. 6. Tract. 6. cap. 3. dub. 2. vers. dicitur secundo.*

b *Aliud tamen esset si absolutè nollet consentire in personam, nisi tali conditione affectam. Vide Busemb. in med. Theol. mor. lib. 6. Tract. 6. cap. 3. Dub. 2.*

Ad §. Sunt & alii.

Conditio (*a*) quoque apposita, & non impleta impedit matrimonium, secundum, ea, quæ suprà diximus de sponsalibus, *in Tit. de sponsalibus, ad §. Rursus, vers. sub conditione.*

a *Consensus sub conditione honesta de futuro, est contractus sponsalium tantùm, & non matrimonii. Quia hic debet esse de præsenti. Ob quam rationem non incipiet validari matrimonium sine novo consensu, postquam conditio impleta fuerit. Vide Busemb. in d. Tract. 6. cap. 2. dub. 2. in fine.*

Ad §. Item voti.

Item voti solemnis (*a*) emissio, & sacri ordinis susceptio impediunt matrimonium contrahendum, & posteà contractum dirimunt. Votum verò simplex, & Religionis habitus sine professione susceptus, impediunt quidem matrimonium contrahendum, sed contractum non dissolvunt. Erit tamen nubenti post votum simplex imponenda (*b*) pœnitentia. Illud notandum est, quod Vota simplicia Societatis Iesu,

non

non solùm impediunt matrimonium contrahendum, sed & posteà contractum dirimunt. *Busemb.in med.Theol.mor. lib. 6. Tract.6. cap.2.dub.2.*

a *Per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. cap.unico, de voto, & voti redemp.in 6.*

b *Et quanto manifestius votum emiserit, tanto propter plurium scandalum, & exemplum durior pœnitentia transgressori debetur cap.unico, in fine, de voto, & voti redempt. in sexto.*

Ad §. Cultus quoque.

CUltus quoque disparitas matrimonium & contrahendũ impedit, & contractum interdum dirimit. Si enim Christianus Judeæ, vel aliàs infideli, sivè Christiana Judeo, vel aliàs infideli in figura matrimonii scienter (*a*) misceatur: quicunque eorum id commiserit, excommunicandus erit, & tale consortium erit dirimendum. Item si vnus infideliũm conjugum convertatur ad fidem, & alter vel nullo pacto, vel non sine Creatoris contumelia conjugi cohabitare voluerit, dissoluto (*b*) priore matrimonio, conversus licitè poterit secundum matrimonium contrahere, & proles communis ipsi converso assignabitur post triennium: Nàm ante indistinctè remanet apud matrem, sive conversa sit, sive non, *cap.ult.de convers.infid.* Quòd si antequam conversus propter causas prædictas alii legitimè conjunctus fuerit, alius quoque convertatur, debent se invicem recipere. Nec poterit conversus opponere contra conversam, quod ipsam repudiaverit in infidelitate secundum consuetudinem infidelium. Sed nec fornicationem dimissor dimissæ poterit obiicere, propterea quod post repudium alteri nupserit, nisi aliàs fornicata fuerit. (*c*) Si autem paganus plures uxores habeat: primam tantum post conversionem debet retinere. Si verò alter conjugum fideliumfiat hæreticus, vel infidelis, non solvitur matrimonium. Nàm inter fideles matrimonium nonsolùm est verum, sed etiam ratum

Qui-

Quinimmò, qui in fide permanserit, ad eum, qui ab hæresi, vel infidelitate ad Ecclesiam revertitur, debet reddire, nisi ad religionem transire maluerit.

a *Si ignoranter, nulla eos maneret pœna. Ità tamen quod quando habuerint notititiam de tali impedimento, statim se separent. gl.hic.*

b *Verè tunc matrimonium solvitur, cum contrahit cum secunda, & non antè. Quia si esset ex toto solutum, non compelleretur eam postea recipere, ut sequitur hic.*

c *Nàm in baptismo tollitur omne crimen, & peccatum quoad Deum: sed quatenus peccatum respicit interesse tertii, vel Republicæ, non tollitur, & sic marito jus excipiendi salvum remanet, gl.hic.*

Ad §. Ex his.

EX his, quæ diximus, apparet conjugium aliud esse legitimum, & non ratum: aliud legitimum, & ratum: aliud ratum, & non legitimum. Legitum, & non ratum est, quod contrahitur ab infidelibus secundum suas leges, vel mores. Et hoc ratum non est, quia (*a*) lege fori, dato libello repudii, potest dissolvi. Legitimum, & ratum est, quod contrahitur inter fideles servatis nuptialibus ritibus. Ratum, & non legitimum est, quod contrahitur inter fideles, contemptis (*b*) legitimis solemnitatibus. *Concilium tamen Trident.sess.24.cap.1.de reform.mat.* Irritos facit, & annullat contractus matrimonii aliter facti, quàm presente parocho, vel alio sacerdote, de ipsius parochi, seù ordinarii licentia, & duobus, vel tribus testibus. Filii verò nati ex matrimonio rato, & non legitimo, quod fuit ab Ecclesia postmodum comprobatum, & legitimi iudicandi erunt, & heredes.

a *Ista ratio à quibusdam non probatur. Posset fortè alia ratio adduci, scilicèt, quia si alter fiat Christianus, & infidelis nolit cohabitare, dissolvitur matrimonium, ut suprà eodem §. Item si alter gl.hic.*

b *Vt si omittantur Trina denunciationes.*

Ad

Ad §. Coactio quoque.

COactio quoque & justus violentiæ metus matrimonium impediunt ipso (*a*) Jure. Justus autem metus dicitur, qui potest cadere in costantem virum, vel inconstantem mulierem, cum obsexus imbecillitatem minor metus in muliere sufficiat ad impedimentum, quàm in viro. Et coactio, & metus differunt, quia coactio est cum violentia corporali, vel captura: Metus verò est præter aliquam violentiam, & capturam. Et Judicis arbitrio relinquitur quis dicatur Justus metus. Planè si post coactionem, vel metum interveniat copula (*b*) voluntaria, matrimonium tenet, *ut hic, juncta gl. & cap. 2. de eo, qui duxit in matrim. &c.* Idem est dicendum si coactus, aùt metu impulsus posteà liberè consentiat matrimonio *cap. de illis 9. de desponsat. impuber.*

a *Regulariter tamen metus actum ipso jure non infringit, sed ope dumdaxat exceptionis. Et not. quod si ambigatur de metus interventu, magis creditur duobus testibus deponentibus de metu, quàm mille deponentibus de spontanea voluntate. gl. hic.*

b *Affectu maritali.*

Ad §. Furor quoque.

FUror (*a*) quoque, quia consensum impedit, nuptias contrahi prohibet. Non tamen superveniens furor nuptias sana mente contractas dirimit.

a *Interveniens scilicèt tempore contracti matrimonii.*

Ad §. Item frigiditas.

ITem qui ad actum matrimonii ità sunt natura impotentes ut nec ope medicorũ sine (*a*) mortis periculo juvari possint, apti ad contrahenda matrimonia minimè putantur. Sed an senes, qui calore naturali sunt destituti, possint matrimonium

nium contrahere? ℞ affirmativè. *gl. hic*. Dummodò vir ſit potens ad habendam copulam.

a *Modicam autem moleſtiam, & vexationem debent conjuges ſuſtinere, ut matrimonium ſortiatur effectum.*

Ad §. Alia.

Leproſi verò, vel leproſæ liberè poſſunt matrimonium contrahere. Infirmitas enim quantuncunque gravis non impedit matrimonium contrahendum. Immo, & in articulo mortis poteſt quis contrahere matrimonium, adeò quod filii etiam ante geniti legitimantur. *gl. hic.*

Ad §. Publicæ quoque.

Publicæ quoque (*a*) honeſtatis Juſtitia tàm matrimonium contrahendum impedit, quàm contractum irritat. Ut ecce: Cum Berta ſponſalia (*b*) contraxi, volo nunc cùm Gemma, Bertæ conſanguinea intra (*c*) quartum gradum matrimonium contrahere, publica honeſtate impedior. Et durat hoc impedimentum etiam poſt mortem Bertæ. *Hodie ex Concil. Trid. ſeſſ. 24. cap. 3. de reform. mat.* Juſtititiæ publicæ honeſtatis impedimentum, ubi ſponſalia quacunque ratione valida non erunt, prorſus eſt ſublatum: ubi autem valida fuerint, primum gradum non excedit. Matrimonium tamen invalidum per verba de præſenti contractum, hoc impedimentum producere declaravit Pius V. *in Conſtitut. incipien. Ad Romanum*. Modò non ſit invalidum ex defectu conſenſus, & extenditur impedimentum uſque ad quartum gradũ.

a *De impedimento juſtitiæ publicæ honeſtatis, vide ad §. Rurſus, de ſponſalibus.*

b *Purè. Conditionalia ſponſalia non inducunt publicæ honeſtatis Juſtitiam ante conditionem extantem, cap. unico, in fine de ſponſal. in 6.*

c *Cap. 8. de conſang. & affin.*

Ad §.Ultimum.

FIlii quoque nati ex matrimonio, cui obsistit publicæ honestatis Justitia, ad successionem bonorum paternorum minimè admittuntur, nisi Ecclesiæ (a) dispensationem, vel partis (b) allegare possit ignorantiam. *Vide infrà ad §. Quicunque; de Clandestina desponsatione.*

a *Et Papa dispensando super matrimonio, in consequentiam dispensat super legitimitate filiorum, etiam respectu hereditatum, & successionum gl. hic.*

b *Hodie paterna ignorantia non excusat filios ob omissam solemnitatem.*

De triplici cognatione.

TITULUS XIII.

MUlto magis Cognatio matrimonio interdum est impedimento. Est autem Cognatio triplex, Spiritualis, legalis, & Naturalis. Spiritualis cognatio est attinentia quædam proveniens ex collatione baptismi, (a) & chrismatis, vel ex detentione ad baptismum, vel chrisma. Et hæc spiritualis cognatio, & contrahendum matrimonium impedit, & dirimit posteà contractum. Et hodie contrahitur tantum inter (b) suscipientem de baptismo ac baptizatum ipsum, & illius patrem, & matrem, nec non inter baptizantem, & baptizatum, baptizatique patrem, ac matrem. Et idem est dicendum de ea cognatione, quæ ex confirmatione contrahitur, omnibus impedimentis inter alias personas, quæ hic in litera numerantur; omninò sublatis. *Concil. Trid. sess. 24. cap. 2. de reformmat.* Idem etiam dicendum est de spirituali cognatione, quæ per (c) Cathechismum contrahitur: licèt enim Concilium de Cathechismo non loquatur, debet tamen intelligi etiam de Catechismo secundum (d) *Nauar. in manuali cap. 22.* Ex ea tamen cognatione impeditur tantùm matrimonium

contra-

contrahendum, sed post eam contractum minimè dissolvitur §. *Per Catechismum h.t.* Sunt tamen, qui existimant cognationem spiritualem, quæ Jure Decretalium oriebatur ex Catechismo, esse sublatam per Concilium loco suprà citato: eo quod ibi, nulla de Catechismo fiat mentio. Diximus autem Cognationem spiritualem provenientem ex collatione baptismi, & chrismatis, vel ex detentione ad baptismum, vel chrisma, contracta matrimonia dirimere non simpliciter sed posteà contracta: Nàm si vir, vel mulier ex ignorantia, vel dolo proprium (e) filium de sacro fonte susceperit, propter hoc separari non debent, nec alter alteri debitum (f) subtrahere, nisi ad continentiam servandam possint induci: Erit tamen pro tali ausu pœnitentia imponenda. §.*Diximus autem h.t.* De eo quoque admonendi sumus, quòd licèt non plures, quàm unus vir, vel una mulier ad suscipiendum ad baptismum infantem accedere debeant, vel ad chrisma, si tamen plures accesserint, spiritualis cognatio cum omnibus contrahitur, tam matrimonia contrahenda impediens, quàm etiam posteà contracta dissolvens §. *de eo quoque h. t. Hodie tamen per Concil-Trid.sess.24.cap.2.de reform. mat.*hujusmodi cognatio non contrahitur, nisi quoad unum, & ad summum unum (g), & unam.

a *Ex datione verò aliorum sacramentorum cognatio spiritualis nequaquam oritur, quæ matrimonium impediat, vel dissolvat* §. *eisdem modis, hoc tit.*

b *An possit hæc cognatio contrahi per procuratorem, Vide per gl.hic in verbo suscepit.*

c *Catechismus est illa instructio, quæ fit ante baptismum. Nàm catechizare dicitur esse idem, quod instruere gl.hic.*

d *Vide Vallens. in Tit.Decret.de cognat.spir.sub num.7.*

e *Nota hic, quod parentes non debent proprios filios de sacro fonte levare. Instante tamen necessitate licitè baptizant proprios filios, nec oritur inter eos aliquod impedimentum, gl.hic.*

f *Sed nunquid possit exigere? ℞. ut latè not. in cap.2.de cog.spir.*

g *Designatos. Quod si alii, ultra designatos, baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahunt.* Idem *Concil.*

Ad §. Legalis.

LEgalis cognatio est proximitas per adoptionem proveniens. Hæc autem Cognatio modò affert tẽporale impedimentum matrimonii, modo perpetuum. Temporale impedimentum affert ea, quæ inter te, & eam, quæ tibi per adoptionem soror esse cœperit, intercedit. Nàm per adoptionem quæsita fraternitas eò usque nuptias impedit, donec manet. Quare filius meus naturalis poterit nuptias contrahere cum filia mea adoptiva emancipata, vel è contra. Soluta enim adoptione per (a) emancipationem, solvitur fraternitas per adoptionem quæsita. Perpetuum impedimentum affert v.g. ea, quæ inter adoptantem (b), & adoptatam: item inter adoptantem, uxoremque adoptati, & inter adoptatũ, uxoremque adoptantis intercedit. Nàm & per emancipationem dissoluta adoptione matrimonium impeditur. Et hæc omnia intelligenda sunt de adoptione solemniter facta, & in forma; *Abb. in cap. unico, de cognat. legali sub num. 3.*

a *Vel mortem adoptantis. Vallens. in Tit. decret. de cog. leg. sub num. 3.*

b *Inter adoptantem verò, & adoptivi parentes potest consistere matrimonium. Vallens. ubi suprà.*

Ad §. Naturalis.

NAturalis cognatio est, quæ medio consanguinitatis, vel affinitatis contracta reperitur. Est autem Consanguinitas attinentia personarũ ex eo proveniens, quod vna descendit ab altera, vel ambæ ab eadem. Affinitas est quædam personarum proximitas ex coitu proveniens. Et consanguinitas, vel affinitas contrahitur secundum Canones tàm ex licito, quàm ex illicito coitu. Et matrimonium impedit, & dirimit usque ad quartum gradum inclusivè, computando tamen gradus à remotiori. *Sed Concil. Trid. sess. 24. cap. 4. de reform. matrim.* Impedimeutum, quod propter affinitatem ex fornicatione contractam inducitur, & matrimonium posteà

factum

factum dirimit, ad eos tantum, qui primo, & secundo gradu coniunguntur, restrinxit. *Vide in meis Comment. Instit. ad §. Affinitatis sub num.4.de nuptiis*. Inter ascendentes tamen, & descendentes, neque post quartum gradum possunt nuptiæ consistere, *l.nuptiæ 53.ff.de ritu nuptiarum*. Quod si de facto in gradu prohibito contractum fuerit matrimonium, adeò erit irritum, quod nullo poterit annorum numero defendi. Si tamen infideles, qui secundum veteris, vel propriæ legis instituta, intra gradus consanguinitatis, vel affinitatis Canonibus (a) notatos conjuncti sunt, domino inspirante, conversi fuerint, matrimonium ante contractum non erit post baptismum irritandum. Unde, & proles inde nata legitima censebitur §. *Si tamen h.t.*

a *Not. quod Judei licitè contrahunt matrimonia in Casibus humana tantùm lege probibitis.*

Ad §. Admonendi.

EX hoc §. Notate, quod inter consanguineos mulieris, & virum, & inter consanguineos viri, & mulierem contrahitur (a) affinitas ejusdem (b) gradus, cujus est consanguinitas v.g. Ego, & soror meæ vxoris sumus in primo gradu, filius verò ejus erit mecum in secundo, nepos in tertio & sic deinceps. Econtra uxor mea, & frater meus sunt in primo gradu, filius verò fratris mei erit cum uxore mea in secundo, nepos in tertio, & sic deinceps. Quamquam autem omnes consanguinei viri uxoris sint affines, & è contra: Inter consanguineos tamen uxoris, & viri, nulla intelligitur esse affinitas (c) contracta, propter quam inter eos matrimonium debeat impediri. Ideòque etiam pater (d) & filius cum matre, & filia licitè contrahere poterunt.

a *Si tamen nulla adhuc carnis copula inter maritum, & uxorem intercesserit, nulla quoque affinitas ex tali matrimonio propriè oritur, sed tantummodò impedimentum publicæ honestatis. Vallens. in Tit. Decr. de consang. & affin. §. 3. num.2.in fin.*

b *Quota enim quisque cõsanguinitatis gradu attingit maritum,* eodem

eodem gradu affinitatis attingit ejus uxorem, & è contra.

c *Ità nec inter maritum, & uxorem. Sunt enim ipsi affinitatis causa, & una caro: ideòque vir communicat consanguineos suos uxori, & uxor communicat suos viro suo gl. hic.*

d *Item duo fratres cum duabus sororibus.*

Ad §. Si quis autem.

SI quis autem contractio matrimonio, consanguineam uxoris suæ cognoverit, matrimonium quidem antea cōtractum non dirimitur: Sed non poterit adulter à conjuge debitum petere, nec cum aliqua, licèt uxori supervixerit, nuptias contrahere. Uxori verò debitum reddere debebit. Nàm talis uxor est quidem monenda, sed non cogenda ad continentiam, quia non debet quis alieno delicto prægravari.

Ad §. Ergo.

ERgo prçcedens affinitas, non subsequens dirimit matrimonium: immo præcedens, ut dirimat, probanda est per probationes fide dignas, nec standum est assertioni utriusque conjugum, acclamante etiam vicinia.

De Clandestina desponsatione.

TITULUS XIV.

INter impedimenta matrimonii connumeratur etiam clandestina pesponsatio, ideòque post Titulos præcedentes subiicitur præsens titulus.

Nuptiæ igitur non sunt contrahendæ occultè, sed debet Parochus cum matrimonia contrahenda fuerit, ea publicè proponere, competenti termino præfinito ad opponendum impedimentum. Cujus si apparuerit probabilius conjectura, contractus expresse interdicetur, donec quid fieri debeat mani-

manifestissimis constiterit documentis. Novissimè verò *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de refor. mat.* præcepit, ut antequam matrimonium (*a*) contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho, tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter missarum solemnia publicè denuncietur inter quos matrimonium sit contrahendum: quibus denunciationibus factis, si nullum legitimum opponatur impedimentum, ad celebrationem matrimonii in faciæ Ecclesiæ procedatur, Paroco, & duobus, vel Tribus testibus præsentibus, Episcopus tamen (*b*) quoad proclamationes dispensare potest. Qui aliter, quàm præsente Parocho, (*c*) vel alio Sacerdote (*d*) de ipsius Parochi, seu ordinarii (*e*) licentia, & duobus, vel Tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt; eos eadem Sancta Synodus ad (*f*) sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & hujusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit.

a *Circa sponsalia nihil innovatum novo jure vide Vallens. in Tit. Decret. de cland. desp. sub num.* 11.

b *Remitti etiam possunt proclamationes à Vicario generali. Vide* Ricc. *in add. ad. §. ult. h. t.*

c *Non requiritur tamen Parochi approbatio: Nàm ipso quoque contradicente, contractum matrimonium valet. Vide Vallens. ubi suprà sub num.* 8. *&* 9.

d *Etiam si generaliter tantùm ipsi fuerit commissum exercitium sacramentorum. Imò si verbaliter tantùm. Vallens. ubi suprà num.* 8.

e *Subaudi, vel Vicarii generalis.*

f *Not. quod per hoc decretum Concilii solum redduntur inhabiles ad sic contrahendum, id est, clandestinè. Idem Vallens. ubi supra num.* 10.

Ad §. Quicunque.

SI qui verò, etiam ingnorantes matrimonii impedimentum, quod inter eos erat, hujusmodi clandestina, & interdicta conjugia inire ausi fuerint, proles ex hujusmodi coniunctione suscepta prorsus illegitima censebitur; licèt

alioqui

alioqui si ignorantes impedimentum in faciem Ecclesiæ contraxerint, ante latam sententiam divortii nati, (*a*) legitimi sint. Imò & si unus tantùm ignorat, filii sunt (*b*) absolutè legitimi.

a *Vel concepti, cap. 2. qui filii sint leg.*

b *Monstrum enim esset si quis esset partim legitimus, & partim illegitimus. Vide gl. hic.*

Ad §. Ultimum.

SAnè si parochialis Sacerdos, postquàm apparuerit probabilis coniectura alicujus legitimi impedimenti, quod futuro matrimonio obsistat, tales conjunctiones prohibere contempserit, per Triennium a b officio suspendendus erit, gravius etiam puniendus, si culpæ qualitas postulauerit.

Qui matrimonium accusare possunt, vel contra illud testificari.

TITULUS XV.

QUoniam factis denunciationibus, de quibus in Titulo præcedenti, interdum comparent qui matrimonium accusant, & Testes, qui contra matrimonium testificantur, ideò post Titulum præcedentem congruè ponitur hic Titulus.

Non tamen quandocunque, aùt indistinctè omnes ad matrimonium impugnandum admittendi erunt. Nàm si quis tempore factæ denunciationis in ipsa diæcesi existens, silverit, mox contractum matrimonium accusare (*a*) non poterit, nisi juraverit, quòd postea didicerit ea, quæ obiecturus est, quòdque ad hoc ex malitia non procedat, quo casu, etiam si ea didicisset ab illis, qui denunciationis tempore tacuerunt, amoveri non debet. Idem juris erit, si tempore denunciationis, vel extra diœcesim existebat, vel aliàs denunciatio ad ejus notitiam pervenire non potuit, aliave legitima

gitima causa fuerit impeditus matrimonium accusare.

a *Vel denunciare.*

Ad §. Sed nec omnes.

SI autem impedimentum matrimonii tale sit, quod neque conjugum in se delictum contineat, nec cujusquam, præterquàm ipsorum conjugum, intersit ob id matrimonium dissolvi, soli conjuges admittuntur ad illud accusandum, ut puta, si mulier, aùt vir sit impotens ad actum matrimonij. Quòd si delictum contineat, ut quia aliqui in gradu prohibito, vel contraxisse, vel contrahere velle dicantur, tunc quilibet quidem ad accusandum admittitur: sed omnium maximè parentes, quod speciale est in causa matrimonii, & si ii desint, proximiores, quod si progenies tota defecerit, ab antiquioribus, & honestioribus, quibus eadem propinquitas nota verisimiliter esse debeat, accusatio testimoniumve recipi (*a*) poterit. Ubi tamen alter conjugum divitiis, & nobilitate, potentia, vel honore superior esset, testimonium illius, qui parens esset inferioris, adeò suspectum redditur, ut illud nullo modo sit admittendum. *gl. tamen ait hanc rem multum pendere ab arbitrio Judicis.*

a *De consensu tamen ità benè posset testificari extraneus, sicut suus, gl. hic in verbo, sciunt.*

Ad §. Quoties ergo.

QUoties ergo aliqui propter cognationem separari petuntur, duobus, vel tribus testibus ejusdem consanguinitatis adhibitis, vel totidem senioribus, & melioribus ejusdem loci, id debet legitimè comprobari. Nec interest, utrum isti testes sint mares, an fœminæ. Debent tamen testes in Causa matrimoniali personaliter, & non per literas testimonium dicere, *cap. 2. Qui mat. accus. poss.* Et jurare se non privato odio, neque amicitia, nec alicujus proprii commodi intuitu, ad hoc jurandum inductos: & sicut ipsi dicunt, rei veritatem à majoribus accepisse, & se credere ità

 esse.

esse. Hodie tamen ad probandam consanguinitatem in causa matrimoniali, non valet testimonium de auditu: nisi concurrant ea de quibus in *cap. licet* 47. *de Test. & attest.* Præstitis autem juramentis, & impedimento matrimonii legitimè probato, contra probationem partibus publicatam probatio, non admittitur. Admittetur tamen cum causæ cognitione. Ubicunque enim imminet peccatum veritate non manifesta, non obstat publicatio attestationum, quominus alij Testes possint produci super eisdem capitulis, vel directè contrariis. Ad evitandam igitur Testium subornationem, examinabit Judex quare priùs non produxit quis testes, quos intendit nunc producere, & quales sint: & si viderit legitimam causam, admittet, & non aliàs. *Vide Abb. in cap. juravit, sub num. 6. & 7. de Probat.*

De Divortiis.

TITULUS XVI.

EX accusatione matrimonii devenitur, ad divortium, ideò congruè post Titulum præcedentem, ponitur præsens.

Divortium, vel à diversitate mentium dictum est vel quia in diversas partes eunt, qui distrahunt matrimonium, *l. 2. ff. de divortiis*. Et est dissolutio (*a*) matrimonii, quæ vtroque vivente conjuge contingit (*b*) Sed & simplicem thori separationem, divortium non malè appellamus. Dissolvi (*c*) autem matrimonium inter (*d*) fideles legitimè contractum, utroque vivente conjuge, contingit: si alter conjugum, non secuta copula, religionem (*e*) ingrediatur, quod, altero etiã inconsulto, efficere poterit, & ei, qui in sæculo remanere voluerit, alteri se jungere permittendum erit. Nec vitiatur Religionis ingressus ex eo, quod quis ad ingrediendum ex (*f*) falsa causa fuerit inductus, puta, quod conjugem lepra percussam falsò crediderit. Dicenti autem se velle ingredi religionem est certum (*g*) tempus præfigendum, intra (*h*) quod, vel ad Religionem transeat, vel redeat ad conjugem.

Atque

Atque de hoc sufficientem (*i*) cautionem debet præstare. Si verò est secuta copula, & ambo vellint ingredi religionem, poterunt quidem mutuo consensu, sed manet inter eos vinculum matrimonii. Unus verò tantum, etiam de consensu alterius, non posset ingredi, *cap. ex parte 9. de convers. coniug. De hoc tamen videte infrà ad §. his exceptis, h. t.* Ratio (*k*) autem quare alter conjugum, copula non secuta, non obstante, quod legitimum consensum de præsenti præstiterit, possit altero etiam invito, ad religionem transire, est quia nondum una caro effecti sunt, unde meliorem vitam eligere non prohibetur. Si quis verò post aliquam per verba de præsenti desponsatam sacros ordines susceperit: Talium ordinum non obstante susceptione, si ad profitendam probatam religionem induci non valeat, & sponsa ejus institerit, contractum matrimonium (*l*) consummare per censuram Ecclesiasticam compellendus erit. Nec poterit, matrimonio etiam soluto, in sic suscepto ordine ministrare, nec ad superiores ordines provehi, nec ad aliquod beneficium, vel officium Ecclesiasticum promoveri. *Vide Extravag. unic. Io. 22. de voto, & voti redemp.*

a *Differt divortium à repudio, quod divortium respectu matrimonii jàm contracti fieri dicitur, Repudium respectu sponsalium, l. inter stuprum §. divortium ff. de verb. Sig. Sed tamen sæpè his vocabulis promiscuè utimur. gl. hic.*

b *Ut perpetuò duret.*

c *Vide infrà, ad §. Sed & si inter.*

d *Dissolvi etiam post per dispensationem Sum. Pont. prout constat sæpè ex causis gravibus dispensasse Vallens. in Tit. Dec. de divor. §. 1. n. 2.*

e *Et ibi profiteatur.*

f *Hic falsa causa erat potiùs impulsiva, quam finalis: finalis enim credi debet, ut quis serviat Deo. Vide gl. hic.*

g *Istud remittendum est arbitrio Judicis, licèt Judex à Termino duorum mensium, de quo in cap. ex publico, de convers. coniug. non debeat temerè, & sine causa recedere. gl. hic.*

h *Semper tamen licebit ingredi ante secutam copulam gl. hic.*

i *Judicis arbitrio.*

k *Vide Vallens. in Tit. Decret. de divort.* §. 1. *num.* 1.

l *Quare per religionis ingressum, non etiam per susceptionem sacri ordinis, matrimonium ratum solvatur, Vide per gl. in Extrau. unica Jo: 22. de Voto, & Voti redemp. Vide etiam Vallens. in Tit. Decret. de divort.* §. 1. *in fine*.

Ad §. Sed & si inter.

SEd & si inter conjuges infideles secuta copula fuerit, si unus eorum convertatur ad fidem, & alter, vel nullo pacto, vel non sine Creatoris contumelia cum fideli commorari voluerit, licebit Christiano matrimonium dissolvere, & etiam ad secunda vota transire, ut suprà diximus ad §. *Cultus quoque, Quæ mat. imped. poss.*

Ad §. Item si quis.

ITem si vir, aùt mulier ità sit impotens (*a*) ad actum matrimonii, ut nec ope medicorum sine mortis periculo possit adiuvari, poterunt invicem separari; etiam ad petitionem ejus, à quo impedimentum provenit: & qui matrimonio aptus erit, poterit ad secundas nuptias liberè transitum facere, *ut hic & §. Item frigiditas, suprà, quæ mat. imped. poss.* Si tamen hi, qui fuerunt separati ob impotentiam, posteà potentes appareant, post peractam pœnitentiam, ad priora conjuga redire compellendi erunt. Planè si scienter quis duxerit impotentem, vel conjugis comperta postmodum impotentia, simul morari consenserit, habebit ut (*b*) sororē, quam tamquam vxorem habere non potest. Si tamen cum alia post contrahat tenet matrimonium cum secunda.

a *A natura, vel etiam ab accidenti, dummodò impedimentū præcedat matrimonium.*

b *Idest, secum castè vivet, velut cum sorore.*

Ad

Ad §. Sæpius tamen .

SÆpius tamen accidit, ut manente vinculo matrimonii, thori tantùm fiat (*a*) ſeparatio propter juſtam cauſam v.g. propter (*b*) fornicationem carnalem, vel ſpiritualem, nimiam ſævitiam, vel ſi alter alterum impellat ad peccatum. Et ſi quis dixerit, Eccleſiam errare, cum ob multas cauſas ſeparationem inter conjuges, quoad thorum, ſeù quoad cohabitationem, ad certum, incertumve tempus fieri poſſe decernit: anathema ſit. *Concil.Trid.ſeſſ.*24. *de matrim. can.*8. Sed ſeparatio thori, non inſtituta ſtatim de crimine accuſatione facienda erit: ſed accuſatione probata, & finita per condemnationem Rei. Interim enim pendente Judicio, conjugũ alteruter, jure, quod habet in altero, privari nõ poterit. Facta autem ſeparatione thori ob fornicationem carnalem, maritus adulteram uxorem etiam emendatam, niſi & ipſe ſimili fornicatione pollutus fuerit, recipere non compellitur: ſed fornicatrix in clauſtris cum religioſis mulieribus, ad perpetuam agendam pœnitentiam, erit collocanda, etiam ſi ei occaſionem adulterium committendi maritus dediſſet *cap.ex litteris.*5.*de divortiis*: Nec enim prætextu paupertatis, vel alterius incommodi turpiter agere debuit, *l.palam* 43.§.*non eſt ff.de ritu nup.* Si autẽ maritus fuiſſet cauſa immediata adulterii, puta, quia induxit uxorem ad committendũ adulterium, non poſſet eidem obiicere adulterium. Non tamen per hoc excuſatur mulier à pœna legis; Jmò uterque punietur maritus, & uxor, *ut in l.* 2.§. *Si publico ff. ad leg. Jul. de adult: Abb. in cap.*4.*ſub num.*6.*de divortiis*. Si verò ob ſpiritualem fornicationem thori ſit facta ſeparatio, fornicatum ſpiritualiter ab infidelitate revertentem, cogitur quæ in fide remanſit, reſumere, (*c*) niſi ipſa voluerit monaſterium (*d*) ingredi.

a *Modò ad tempus, modò in perpetuum gl.hic ubi etiam addit, quod ſi innocens non poſſet continere, deberet matrimonium redintegrari ſecundum plurium opinionem.*

b *Niſi quis poſt cognitum adulterium uxoris, rem cum ea habeat, c.ſi quis uxorem* 32.*q.* 3.

c *Spiritualis enim fornicatio per regressum ad gremium Ecclesiæ penitùs aboletur: sed fornicatio carnalis nullo pacto potest aboleri semel commissa gl.hic.*

d *Quod etiam nolente viro ad fidem reverso, exequi liberè poterit.*

Ad §. His exceptis.

PRæcedentibus casibus exceptis, vir, uxore in sæculo remanente, nec (*a*) sacros ordines suscipere potest, nec Religionem intrare: nisi fortè mulier in sæculo remanens ejus sit ætatis, vt non sit suspecta incontinentiæ: aùt ipsam continentiam (*b*) voveat. Alioqui quamquam de uxoris licentia vir professionem fecerit uxori restituendus erit: nisi posteà uxor fornicata fuerit: aùt nisi ad invicem se absolverint continentiam promittendo. *Vide Abb. in cap.* 1.*de convers. coniug.*

a *Nec etiam minores.*

b *Si remanens in sæculo est juvenis, & suspectus de incontinentia, non debet Superior pati alium ingredi, nisi alter ingrediatur, sed si de facto ingrediatur, tenet ingressus. Sed remanens in sæculo, ex quo est suspectus, & vovit, compellitur ingredi monasterium. Abb.in cap.*1. *de conuers. conjug. num.*8.

Ad §. Quæsitum.

SI quis tamen uxore invita monasterium ingressus professionem fecerit, & repetitus ad conjugem redire coactus fuerit: eadem mortua, non est quidem cogendus (*a*) ad monasterium redire, sed ulteriùs uxorem ducere non poterit. Si tamen duxerit, valebit (*b*) matrimonium, sed ipse debitum ab uxore non poterit exigere, licèt cogatur reddere. Quòd si quis sciente uxore nec contradicente professionem fecerit, uxore postmodum defuncta: nec ad sæculum redire: (*c*) nec cum alia matrimonium contrahere poterit, ac de facto contractum dirimendum erit. Quòd in eo qui consentien-

tiente vxore, professus fuerit, multo magis obtinebit.

a *Et nullo modo peccat: quia tale votum respectu ingressus monasterii fuit nullum.*

b *Ex gl. hic in verbo, non poterit.*

c *Cap. consuluit* 10. *de convers. conjug.*

Ad §. Quid statuemus.

Mulier vero, quæ credens maritum mortuum, habitum Religionis assumpsit, ac, eo reverso, de monasterio educta (*a*) fuit, post obitum viri ad regularem observantiam non est (*b*) compellenda. Sed maritum vlterius ducere non poterit, *cap. placuit* 12. *de convers. coniug.* Tenet tamen matrimonium si de facto contraheret: Sed ipsa debitum à marito non poterit exigere, licet cogatur reddere.

a *Redire ad seculum, in ejus potestate non erat, sed in potestate mariti, cap. placet* 12. *de convers. conjug.*

b *Quia votum emissum tempore inhabili, non obligat tempore habili gl. hic.*

Ad §. Licèt autem.

Licèt autem alter conjugum altero invito Religionem vovere non possit: Vir tamen, etiam iuvita conjuge potest vovere; & implere peregrinationem ad Terram Sanctam. Et quamvis ille diutissime in peregrinatione commoretur, vel etiam ab hostibus (*a*) capiatur, donec de viri morte vxor non fuerit certiorata, cum alio matrimonium contrahere non poterit: quamvis ut certioraretur sollicitudinem adhibuerit diligentem, & ejus ætatis sit, & fragilitatis, ut continere nequeat. Si tamen non benè certiorata contraxerit matrimonium, non debet propterea illico secundum dimittere: sed debet debitum reddere, non antem exigere. Quod tamen intelligendum est vbi verisimiliter dubitat de morte prioris *gl. hic in verbo non poterunt.*

a *Sponsalia tamen per captivitatem solvuntur, cap. de illis, de sponsal.*

b *Nota ergo, quod non præsumitur quis mortuus, etiam si magna adhibita diligentia ignoretur ubi sit, gl. hic.*

Ad §. Ergo.

Ergo, nisi legitima subsit exceptio, conjuges temerè disjuncti possunt se invicem (*a*) repetere. Erit autem legitima exceptio, cum opponitur consanguinitas in gradu prohibito, quo quidem casu, licet si Petitorio Judicio actum sit, ut puta, si vir dicat sibi esse restituendam conjugem, cum qua matrimonium validè contraxit, antea de ipsa consanguinitatis exceptione cognosci debeat: si tamen possessorio quis experiatur, ut puta, si vir petat mulierem illam sibi restitui, quæ, secuto inter eos matrimonio, cum eo manebat tamquam uxor, antequam de consanguinitate discutiatur, plenaria erit facienda restitutio: nisi excipiens, & de malitia juret, & super exceptione intra breve tempus probationes offerat. Quo casu, excepta carnali commixtione tantùm, quoad reliqua restitutio facienda erit. Quòd si mulier restituenda timeat sevitiam viri, debet ab eo præstari idonea (*b*) cautio, quod nullam restitutæ violentiam (*c*) inferet. Et si cautio non putetur sufficiens, usque ad causæ decisionem, uxor est deponenda in loco honesto, & tuto. Et hæc quidem obtinent, secuto inter viros, & mulieres matrimonio. (*d*) Cæterùm per solam traductionem mulieris ad domum viri, non præcedentibus sponsalibus; vel matrimonio, nullum inter eos obligatorium vinculum contrahitur. Unde, ea postea recedente, nulla facienda erit restitutio, quia notorium est nullum Jus in Possessorio competere.

a *Et istud erit verum etiam si vir à se repulerit uxorem gl. hic.*

b *Scilicèt mediantibus pignioribus, & fidejussoribus. Et hæc cautio præstari debet etiam quod restituta propria culpa recesserit à viro suo: quia commisit adulterium gl. hic.*

c *Nota hoc Verbum; quia cautione non obstante, poterit maritus uxorem leviter castigare, sicut & prius poterat.*

d *Et per copulam consummato gl. hic.*

Ad

Ad §. Fornicationis.

OBstat quoque repetenti conjugem fornicationis exceptio, & ob eam causam facta separatione quoad thorum à propria uxore, etiam non cognita, si vir, ea vivente, duxerit de facto, (*a*) & cognoverit aliam (*b*) consciam, quod prima supervivebat, etiam mortua prima, secundam retinere non poterit, nec cum ea matrimonium contrahere, licèt aliam ducere minimè prohibeatur. Si verò secunda ignorabat eum esse conjugatum, priore mortua, ratione promissionis vir compellitur ad contrahendum, mulier autem, quæ fuit decepta, non. *Abb. in cap. 1. in fine, de eo, qui duxit in matrimonium &c.*

a *Vide ad §. prox. seq.*

b *Idem si à principio fuit ignorans, sed certiorata de vita primæ uxoris, permisit se cognosci. gl. hic, in verbo, Prohibeatur, in fine.*

Ad §. Cum ea autem.

CUm ea autem, quam quis uxore vivente non prætextu matrimonij cognovit, nuptiæ contractæ defuncta uxore, legitimæ reputandæ erunt, si neuter ipsorum machinatus (*a*) fuerit in mortem prædefunctæ uxoris, nec fidem de contrahendo sibi invicem (*b*) dederint. Sed etsi fidem quidem sibi invicem dederint, vel etiam de facto contraxerint, si nec ante, nec post, legitima uxore vivente, fuerit secuta copula, quamvis sit eis imponenda pœnitentia pro tali facto: matrimonium tamen contractum post uxoris obitum, non est dirimendum. Sed quæritur: Vivente legitima conjuge quis dedit fidem secundæ, & eam non cognovit: demũ mortua Conjuge, non illam, cui fidem dedit, sed aliam duxit in uxorem; Constante illo secundo matrimonio cognovit illam, cui primò fidem dederat, numquid mortua secunda uxore possit contrahere cum illa, cui dedit fidem constante primo matrimonio legitimo, & cognovit constante secundo? Respondetur affirmativè. *Vide Abb. in cap.*

 ult.

vlt. sub. num. 5. de eo; qui duxit in matrimonium, quam polluit &c.

a *Sed an sola machinatio sine effectu sufficiat? vide infrà ad §. usque adeo, in fine.*

b *Quæ tamen datio non valet: quia inducit votum captandæ mortis gl. hic.*

Ad §. Usque adeò.

QUòd si infidelis cum Christiana communicato consilio ejusdem maritum occiderit, licèt posteà per ipsam ad fidem convertatur: non tamen propterea magis eam de jure poterit accipere in vxorem, aut acceptam retinere. Machinatio verò unius tantùm, nisi conjuncta sit cum adulterio, non sufficit ad dirimendum matrimonium, etiam si quis propriam uxorem eo proposito interfecerit, ut aliam uxorem duceret. *Abb. in cap.* 1. *de convers. infid. sub num.* 8. Quod si ad fidem conversi matrimonium contraxerunt cum uxoribus illorum, quos in belli certamine occiderunt, vel è contra Christiani conversas duxerunt, quarum infideles maritos simili modo interfecerunt: matrimonium erit validum, cùm tales virorum defunctorum interitum specialiter non quæsiverint. Sed etsi is, qui fuit machinatus in mortem coniugis, non fuerit consecutus effectum, nihilominus, si alteri supervixerit, ad secundas nuptias numquam adspirare poterit. Si tamen contraheret, teneret matrimonium, *gl. ult. in cap.* 1. *de divortiis*. Sunt etiam spe conjugii perpetuò destituti ii, qui incestum admiserunt, & Sacerdotem interfecerunt: Qui tamen si contrahant, valet matrimonium, *gl. ult. in cap.* 2. *de pœnit. & remiss.* Ubi etiam numerantur alii casus, in quibus crimen impedit matrimonium, sed non dirimit.

Ad §. Illud quoque.

ILlud quoque admonendi sumus, quod secundæ nuptiæ absque timore infamię (*a*) intra annum luctus possunt cele-

celebrari secundum sacros Canones. Vir tamen & mulier ad bigamiam transiens non debet à presbytero benedici. Et in Rituali Romano, de Sacramento matrimonii, *in princ. vers. Caveat etiam*, disponitur quod caveat Parochus, ne quando conjuges in primis nuptiis benedictionem acceperint, eos in secundis benedicat, sive mulier, sive etiam vir ad secundas nuptias transeat. Sed ubi ea viget consuetudo, ut si mulier nemini unquam nupserit, etiam si vir aliam vxorem habuerit, nuptiæ benedicantur, ea servanda est. Sed viduæ nuptias non benedicat, etiam si ejus vir nunquam uxorem duxerit.

a *Quam ei lex civilis infligit, qui intra annum luctus nubit. Et etiam aliæ pęnæ, quæ sunt imposita propter nubentis festinationem à Jure Civili, hodie sunt sublatæ per cap. penul. & ult. de secund. nup. Sed aliæ pænæ quæ sunt inductæ favore filiorum non sunt sublatæ. Vide gl. hic.*

De rebus Sacris, Sanctis, & Religiosis.

TITULUS XVII.

SAcramentorum breviter explicato Tractatu: Transeamus jam, juxtà ordinem promissum in principio libri, ad res sacras, & Sanctas, quales sunt Ecclesiæ, Altaria, Sanctorum in his conditæ reliquiæ, vasa, vestes, & similia, paulò mox & de religiosis dicturi, ut sunt religiosæ domus, Xenodochia cœmeteria, & sepolturæ.

De Construendis, Consecrandis, & reparandis Ecclesiis, & Altaribus.

TITULUS XVIII.

ECclesiam hoc loco accipimus manufactum ipsum templum Dei, & orationis domum. Non ergo in aliis, quam in consecratis locis cum suis altaribus, vasis, vestibus, & reliquis utensilibus itidem consecratis, celebra-

re licet. Nisi ex speciali privilegio, vel ex causa summæ necessitatis, ut putà, quia combusta sit Ecclesia, quo casu donec illa restauretur, in Oratoriis non consecratis cum sacrata Tabula celebrari poterit. Hodie tamen Ecclesiæ ut plurimum non consecrantur, sed tantùm benedicuntur, ut videbimus infrà *ad §. Basilica h. t.* Constitutis quoque in itinere, Ecclesia non reperta, celebrare licet sub aperto aere, sive in tentoriis, si tabula altaris, cæteraque sacra ministeria adfuerint: Alioqui si quis in oratoriis intra privatas domos constitutis, sine consensu Episcopi ausus fuerit celebrare, deponendus erit. Et novissimè *Concil. Trid. sess. 22. cap. quanta*, de Sacrificio Missę, statuit, ne Ordinarii locorum Episcop (*a*) patiantur privatis in domibus, atque omninò extrà Ecclesiam, & ad divinum tantùm cultum dedicata oratoria, ab eisdem ordinariis designanda, & visitanda, sanctum missæ sacrificium à sæcularibus, aùt regularibus quibuscunque peragi.

a *Unde hodie non potest Episcopus concedere licentiam celebrandi in privatis domibus. Vide Ricc. hic in add.*

Ad §. Construuntur.

Construuntur autem novæ Ecclesiæ primò ob incrementum (*a*) populi: Si enim multitudo fidelium adeò excrevit, ut illorum curæ unica sit impar Ecclesia, nova construenda est Ecclesia. Hac igitur de causa potest Episcopus baptismales, & parochiales Ecclesias, rectorum accedente consensu, dividere: quòd cùm factum fuerit, illa pars populi, quæ novis Ecclesiis supponitur, à Jure prioris Ecclesiæ absolvitur: Non tamen facere poterit Episcopus plures baptismales Ecclesias in una terminatione: Idest, intra eosdem limites: putà, quod intra eosdem terminos sint duæ Ecclesiæ baptismales, in quibus promiscuè populus baptizari possit. Hoc enim facere potest solus Papa *gl. hic*. Quòd si de terminatione duarum matricium Ecclesiarum contentio fuerit, controversia dirimenda erit judicio (*b*) plebium, vel forte, si plebes sint discordes. Poterit autem, & debebit

bit Episcopus, non obstante Juramento de rebus Ecclesiæ non alienandis, populo indigenti Ecclesias fabricare: Tale enim Juramentum non est trahendum ad alienationem necessariam.

a *Vide Concilium Trid. sess. 21. cap. 4. de reform.*

b *Vel per arbitrum, vel per amicabilem compositionem: Superioris tamen auctoritas est necessaria. gl. hic.*

Ad §. Plebium.

SEcundò cõstruitur nova Ecclesia ob commoditatẽ plebiũ. Si enim Parochianorum pars adeò distet ab Ecclesia, ut certis temporibus non sine magna difficultate, & periculo illã addire possint: nova erit Ecclesia construenda, maximè si à veteri Ecclesia possit ministro commodè pro substentatione sua provideri. A filiali tamen matrici Ecclesiæ pro facultate (*a*) loci competens honor exhibendus erit. Et novissimè *Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. de reform.* statuit, quod Episcopi in casu, de quo in hoc nostro §. novas Parochias, etiam invitis Rectoribus, juxtà formam Constitutionis Alexandi III. *in cap. ad audientiam 3. de Eccles. ædific.* constituere possint. Illis autem Sacerdotibus, qui de novo erunt Ecclesiis noviter erectis præficiendi; competens assignetur portio arbitrio Episcopi ex fructibus ad Ecclesiam matricem quomodocumque pertinentibus; &, si necessè fuerit, possit Episcopus compellere populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam dictorum Sacerdotum sustentandam.

a *Ità ut debeat aliquid præstari annuatim in signum subjectionis. gl. hic.*

Ad §. Universitatis.

TErtiò nova Ecclesia ædificari permittitur intuitu certæ Universitatis, ut putà leprosorum: Cauebunt tamen hi, ut injuriosi veteribus (*a*) Ecclesiis de Jure parochiali nequaquam existant.

a Ve-

a *Veteres enim Ecclesiæ propter novas lædi non debent. Modicum tamen damnum respectu decimarum ex rationabili causa sustinere debent.*

Ad §. Episcopo.

Episcopus quoque in sua (*a*) diœcesi novam Ecclesiam ædificare (*b*) potest in Privilegium pastoralis dignitatis. Et si Ecclesiam monasticis reformandam regulis construat, poterit eandem ex rebus Ecclesiæ, vel etiam mensæ suæ, usque ad (*c*) quinquagesimam partem dotare. Si verò ex alia causa Ecclesiam construat, & fortè pro propria sepultura, non nisi centesimam ei conferre (*d*) poterit. Unam tamen tantummodò ex his duabus electione sua ædificabit.

a *Sed quid si vellet magnificare Ecclesiam, in sua quidem diœcesi constitutam, sed exemptam? ℞. quod permittitur, licèt enim non sit de diœcesi: est tamen in diœcesi gl. hic.*

b *Sed an hæc permissio debeat intelligi accedente consensu capituli, Vide per gl. hic.*

c *Datur ista quinquagesima etiam de proprietatibus gl. hic.*

d *Scilicèt donatione inter vivos, non autem testamento.*

Ad §. Quacunque.

Quacunque tamen ex causa nova extruenda sit Ecclesia, Civitatis Episcopus ad locum veniet, in quo crucem ipse figet, & publicæ atrium designabit, nec illam anteà patietur ædificari, aut munus impendet consecrationis, quàm accipiat instrumentum (*a*) dotis, quæ ad luminaria, & ad custodiam, & custodum stipendia, sufficere (*b*) valeat. Nisi ex necessitate construatur, quo casu posset Episcopus compellere populum ea subministrare, quæ sufficiant ad vitam Sacerdotis sustentandam. *Vide Concil. Trid. sess. 21. cap. 4. de reform.*

a *Si dotis constitutio fuit omissa in fundatione, debet constitui in consecratione. Vide gl. hic in verbo, Dotem.*

b Et

b *Et etiam ad onera Episcopalia persolvenda. Vallens. in Tit. Decret. de Eccl. ædific. §. 1. num. 3.*

Ad §. Sed si quis.

SEd si quis per ædificationem novæ Ecclesiæ sibi quoquo modo noceri existimet, novi operis nunciatione consulere sibi poterit. Et facta nunciatione, non potest ampliùs ædificari, nisi impetrata legitima remissione à Judice, vel à parte, vel nisi notorium sit de non Jure nunciantis, alioquin debet penitus demoliri expensis construentiū quidquid edificatum fuerit, sivè Jure, sive injuria.

Ad §. Diversum.

QUòd si prȩter consensum Episcopi quis Ecclesiam construxerit: Jacturam faciet Iuris patronatus, & Ecclesia cum dotibus suis Episcopalibus Juribus applicabitur. Non ut Episcopus disponat ad utilitatem propriam, sed sicut de aliis Ecclesiis: quia habebit ipse collationem, & alia Jura Episcopalia. *gl. hic.*

Ad §. Basilica.

ECclesia igitur legitimè extructa debet quātò poterit citiùs cōsecrari, ut in ea possint divina celebrari. Si tamen Episcopus permiserit poterit Ecclesia, etiam antè consecrationem, sacris mysteriis deputari. Immo consuetudine introductum est, ut Ecclesiæ, ut plurimum, non consecrentur, sed tantùm benedicantur, vt sic possint per simplicem Sacerdotem cum licentia Episcopi reconciliari, si polluantur. *Ricc. in add. ad princ. h. t. Vers. quia Ecclesia.*

Ad §. Ecclesiæ autem.

ECclesia autem semel consecrata, vel altare semel consecratum, non debet iterum consecrari. Planè si de

Eccle-

Ecclesiarum, vel Altarium consecratione dubitetur, erunt consecranda: Nec enim iteratum dici potest, quod semel esse factum ignoratur. Sufficeret (*a*) tamen vnus testis ad probandam consecrationem, nisi essemus in contradictorio: etiã quod esset testis de auditu, *gl. hic*.

a *Item sufficeret liber Ecclesię, vel lapis incisus, gl. hic. vel cruces rubræ positæ ad parietes Ecclesiæ Ricc. in add. ad §. præced.*

Ad §. Sed si Ecclesia.

SEd si Ecclesia fuerit in totũ, vel pro majori (*a*) parte exusta, vel destructa, erit reconsecrãda. Si verò polluta (*b*) fuerit fusione (*c*) sanguinis, vel seminis, vel excõmunicati humatione, erit solùm (*d*) reconcilianda. Quod si Altare motum fuerit, ita quod formam primam amiserit, aùt si lapis superpositus, qui sigillum continet, confractus fuerit, aùt diminutus, ob id Ecclesiæ non erit consecratio iteranda: sed ipsum solum altare denuò consecrandum.

a *Vide Vallens. in Tit Deret. de consec. Ecc. num.* 4.

b *Vbi tamen ista fierent occultè, non esset opus reconciliatione, gl. hic.*

c *Injuriosi. Sed quid si vulneratus extra Ecclesiã, in Ecclesiam fugiens sanguinem ibi spargat? R. non est reconcilianda. Secus è contra. gl. hic.*

d *Plures casus, in quibus Ecclesia est reconcilianda, vel non, Vide per gl. hic. & Ricc. in add.*

Ad §. Confici autem.

POssunt autem Ecclesiæ, & Altaria consecrari quibuscunque diebus tam Dominicis, quà privatis, dummodo tamen Episcopus sit qui consecret, non simplex Sacerdos. Immo neque per simplicem Sacerdotem, sed per solum Episcopum Ecclesiæ reconciliari possunt, si post consecrationem polluantur. Poterit tamen aqua per Episcopum benedicta, per alium Episcopum, qui aquæ benedictionem non impe-

impenderit, Ecclesia reconciliari. Si verò Ecclesia non consecrata, sed tantùm benedicta polluatur, poterit per simplicem Sacerdotem cum licentia Episcopi reconciliari, ut diximus supra *ad §. Basilica h.t.* Quòd si Ecclesia, in qua sepulta sunt corpora infidelium, consecrationi apta videatur, evulsis inde corporibus, & dealbatis parietibus, & Tignis, consecrari poterit. Solemnitates, quoque dedicationum ipsarum Ecclesiarum per singulos annos in ipsis Ecclesiis dedicatis erunt celebrandæ.

Ad §. Ultimum.

SI autem Ecclesiæ reparandæ sint, vel emendandæ, id oneris proculdubio ad possessorem (*a*) beneficii pertinebit. Nisi consuetudo aliter disponeret (*b*), vel nisi aliqua dispositio specialis, & localis aliter ordinaret. Sed & Episcopus tertiam partem sibi obtingentem impendere debebit. Sed hodie Prælati, neque tertiam solvunt, nec fortè aliam portionem de consuetudine, quæ consuetudo valet. Quod si Parochialis Ecclesia sit reparanda, nec aliter provideri possit, tenentur Parochiani, ex quo ibi percipiunt divina. Ad quod onus conferendum contribuunt Parochiani per æs, & libram, scilicèt pro rata sui æstimi, ut servatur in constructione operis publici. *Vide Concil. Trident. sess. 21. cap. 7. de reformat.*

a *Intellige deductis redditibus pro necessitatibus beneficiati. Quid autem dicendum in reparatione Ecclesiæ Juris patronatus, vel etiã domus ipsius Ecclesiæ Vide per Ricc. hic in add.*

b *Utputa, quia transfunderet onus fabricæ in populum.*

De Unionibus Ecclesiarum.

TITULUS XIX.

DIximus in Titulo proximo de ædificandis, & conse-consecrandis Ecclesiis, sed quia contingit aliquando Ecclesias jàm constructas, & consecratas inter se

 uni-

uniri, propterea sequitur ut de Ecclesiarum Unionibus nunc dispiciamus.

Unio nihil aliud est, quàm duarum, pluriumve Ecclesiarum facta connexio. Unionum autem duæ sunt species: aùt enim perpetuæ sunt, aùt temporales. Perpetuæ sunt, quæ fiunt ut sine præfinitione temporis perdurent. Temporales sunt, quæ fiunt ad certum tempus, puta ad vitam alicujus. Quicunque tamen plura curata, aùt aliàs incompatibilia beneficia Ecclesiastica per viam unionis ad vitam, recipere, ac simul retinere præsumpserit, beneficiis ipsis, ipso Jure, privatus existit. *Vide Concil. Trid. sess. 7. cap. 4. de refor.*

Ad §. Velut ergo.

CAusæ verò unionum sunt, aùt urgens necessitas, aùt evidens utilitas. Necessitas est v.g. si redditus duarum Ecclesiarum sint adeò tenues, ut impossibile sit, quod possint ad victum duorum sacerdotum sufficere, aùt si altera Ecclesia hostium immanitate desolata sit. Utilitas est, si v.g. ob fructum tenuitatem non perindè idonei Sacerdotes ad beneficium procurandum inveniantur.

Ad §. Non tamen.

UNire autem Episcopatus, atque alienæ potestati subiicere ad Romanum Pontificem pertinet, ad Episcopum (*a*) verò spectat unio atque subjectio Ecclesiarum suæ diœcesis, *Concil. Trid. sess. 21. cap. 5. de reform.* Solus tamen Papa unit ad tempus. Ab Episcopo itaque inferiores vnire non pessunt: nisi tamen inferiores Jus uniendi præscripsissent: hoc enim Jus, cum sit Jurisdictionis, est præscriptibile. Idem si isti inferiores haberent potestatem in loco quasi Episcopalem, *gl. hic*. Quòd si per Episcopum, consentiente (*b*) Capitulo Ecclesia (*c*) Ecclesiæ dignitati, vel præbendæ uniatur, aùt religioso loco donetur, valida erit unio, vel donatio facta, etiam non vocato Rectore ipsius Ecclesiæ, vel si vacabat, etiam non dato ei defensore. Non

tamen

tamen potest Episcopus (etsi Capituli consensus accesserit, & loci consuetudo suffragetur) Ecclesiam mensæ suæ, vel Capitulo unire. Nec solùm Capituli consensus exigitur in unione facienda, sed etiam illorum, qui per eam lædi possunt. Unde si aùt Collegiata, aùt patronata, aùt alicujus suffraganei Ecclesia sit vnienda, Collegii, patroni, & suffraganei assensus requiritur. Verùm si hi absque legitima causa contradicerent, possent cogi suum consensum præstare.

a *Et in hac potestate uniendi succedit Capitulum Sede vacante. Vide Ricc. hic in addit. Vers. Et in hoc, & vers. nec unio.*

b *Et hoc casu non sufficeret consilium petere, sed exigitur consensus specificus, gl. hic.*

c *Clem. 2. de rebus Ecc. non alien.*

Ad §. Secuta verò.

TRactatur hic de effectu unionis. Unde pro intelligentia *hujus* §. *not.* quod unio fit potissimum tribus (*a*) modis. Primò per viam subjectionis, ità quod una Ecclesia alteri subiiciatur pro augumento dotis, & patrimonii illius, & tunc illa Ecclesia, cui fit unio, remanet Superior, & principalior, unita verò est inferior, subjecta, accessoria, adhærens, & dependens ab illa, cui unitur, annectitur, seù incorporatur: & assumit naturam, & consequitur privilegia ejusdem.

Secundo modo fit unio æquè principaliter, videlicèt quando duæ Ecclesiæ ad invicem ità uniuntur, & conjunguntur, ut ex duabus Ecclesiis fiat una duntaxat Ecclesia, & tunc sibi mutuo communicant privilegia, & bona.

Tertio modo fit unio duarum Ecclesiarum quoad Caput, & Gubernatorem tantum, & tunc quælibet remanet, ut prius, cum suis propriis bonis, & juribus, privilegiis, & statutis distinctis, & separatis, & non communicatis, licèt utraque habeat Unum duntaxat Episcopum, seù Rectorem. *Vide Ricc. hic in princ. addit.*

a *Quod si ignoretur qua specie harum fuerit facta unio, præ-*

sumendum est factam esse unionem æquè principaliter, & non accessoriè. Ricc. hic. in fine addit.

Ad §. Sed queri.

SI autem per Apostolicum Ecclesia unius diœcesis, Ecclesiæ alterius diœcesis unita fuerit, non per hoc à Jurisdictione prioris Episcopi unita Ecclesia eximitur. Cùm Romanus Pontifex in hujusmodi unionibus singulis Episcopis Jura sua inviolata servari velit. Et super hoc est Regula Cancellariæ de non tollendo Jure quæsito. *Et Concil. Trid. sess. 14. cap. 9. de reform.* statuit, quod Ecclesia unius Diœcesis, Ecclesiæ alterius Diœcesis uniri non possit.

Ad §. Dissolvitur.

DIssolvitur autem unio, si Temporalis sit, temporis lapsu. Quod si sit Perpetua, cessantibus (*a*) eisdem causis, ex quibus facta fuerit, ab iis itidem dissolvi poterit, quorum consensu, & auctoritate olim fuerit instituta. Cœterum, licèt etiam vacans Ecclesia alteri possit uniri, non tamen poterit unio Ecclesiarum, ipsis vacantibus, dissolvi.

a *Idem quando unio resultaret in præjudicium Ecclesiæ, & ruinam.*

De immunitate Ecclesiarum, & subjectione.

TITULUS XX.

DIctum est suprà de pluribus pertinētibus ad Ecclesias, & cum ipsis concedantur varia privilegia, & immunitates: Meritò videndum est etiam de immunitate ipsarum.

Immunitas est à muneribus indulta exemptio. Sed hoc loco immunitatem largè accipimus pro quolibet Ecclesiarū favo-

favore, indulgentia, rigoris remissione, & privilegio.

Est autem Ecclesiarum Immunitas Triplex, Localis, Personalis, & Realis. Localis immunitas est, quæ sacris ipsis domibus, aùt aliquibus sacrarum ædium intuitu conceditur. Unde sub pœna excommunicationis prohibentur sæculares (*a*) Judices causas præcipuæ criminales, in Ecclesis, vel earum, cæmeteriis agitare. Processus (*b*) quoque ibi facti, ac specialiter prolatæ sententiæ, omni firmitatis robore carēt. Contractus verò initi, & celebrati in Ecclesia, per viam tamen voluntariæ jurisdictionis, valent, licèt fieri non debeant, nisi concernant (*c*) pietatem, *gl.hic*. Publicæ quoque quarumlibet Societatum; & universitatum conciones, & concilia, nundinarum tumultus, & aliç negàtiones, vana colloquia, & confabulationes quælibet à sacris domibus penitùs amoveri debent. Sed & convivia, & hospicia in Ecclesiis, (*d*) etiam non consecratis, & in oratoriis fieri non possunt, & postremo quæcunque alia, quæ divinum possunt turbare officium, aùt oculos divinæ majestatis offendere, debent esse à Domo Dei prorsus extranea, *cap.2.hoc.eodem.tit.in 6.*

a *Judices verò Ecclesiastici licitè Judicium exercent in Ecclesia, Vide gl.hic.*

b *Processus tamen facti in domo* Ecclesiæ *valent gl.hic.*

c *Puta, quia sit contrahendum matrimonium.*

d *Et etiam si in Ecclesia nondum essent celebrata Divina, gauderet privilegiis immunitatis gl.hic, & etiam si esset polluta, seù interdicta. Vallens.in Dec. h. t. n.4.*

Ad §. Sacrorum.

SAcrorum locorum intuitu illis conceditur immunitas, qui ad ipsam Ecclesiam confugiunt. Et quicunque inde (*a*) aliquem invitum abstraxerit, tàm aliis pœnis pro sacrilegio admisso, quàm Ecclesiasticæ subjacebit excommunicationi ipso jure, à qua non poterit absolvi, nisi extractum restituat, & à Papa erit absolvendus. *Ricc. hic in add. circa finem*. Similiter quemquam invitum abstrahere non licet à domo Episcopi, & ab Ecclesiæ circuitu intra triginta passus

ab

ab ostio, vel intra quadraginta si major (*b*) sit Ecclesia *c. sicut antiquitus* 17. *q.* 4. Sud hæc immunitas ambitus usu (*c*) non observatur: Ubi tamen esset in usu, inviolabiliter est observāda. Si igitur liber homo ad Ecclesiā confugerit, quantumvis gravia perpetraverit, non debet ab Ecclesia violenter abstrahi, nisi impetrata vita, & membrorum incolumitate. Hoc autem de publicis latronibus, vel nocturnis agrorum depopulatoribus, (*d*) viarumque obsessoribus, & his, qui immunitatis (*e*) spe ducti, homicidia, & mutilationes membrorum in ipsis Ecclesiis, vel ipsarum cæmeteriis committunt, intelligi non oportet: Hi enim immunitatis privilegio non gaudent. *Vide hac de re* (*f*) *Constit. Gregorii XIV. quæ incipit: Cum aliàs nonnulli.* Quod si servus sit, qui ad Ecclesiam confugerit, Dominus, præstito clericis juramento de impunitate, poterit servum suum, etiam invitum, ab Ecclesia abducere.

a *Sed an hoc locum habeat in Judeo. Vide per gl. hic.*

b *Si matrix, seù baptismalis. Vallens. in Tit. Dec. de Immu. Ecc. num.* 4. *circa fin.*

c *Clar. Sent. lib.* 5. §. *fin. q.* 30. *num.* 2.

d *Idest, qui fructus, & vineas de nocte vastant.*

e *Idem etsi non commiserint eo animo, ut defenderentur immunitate loci.*

f *Et Ricc. hic in add. ad* §. *hæc autem.*

Ad §. Personalis.

Personalis immunitas est, quæ personis Ecclesiasticis indulgetur. Clerici igitur, & monachi ab omnibus personalibus muneribus sunt immunes. Et personalia munera sunt, quæ cum labore corporis, & animi sollicitudine, ac vigilantia principaliter sustinētur, ut sunt Tutela, & Cura. Viduarum autem, & orphanorum Curam suscipere non solùm non prohibentur clerici, sed etiam jubentur. Sed hoc fortè intelligi debet largè, & impropriè pro quadam protectione, non pro Cura, (*a*) & Tutela specifica, & formata, *gl. hic*. Cleri tamen constituti in minoribus possunt esse tutores,

res, & curatores, etiam testamentarii, etiam quod non subsit causa aliqua specialis pietatis. Excipitur etiam ab his muneribus murorum custodia, à qua si magna immineat necessitas, neminem excusari constitutum est.

a *Etiam si esset illa legitima, vide gl. hic. in verbo, Omnis tutelæ.*

Ad §. Realis.

Realis (*a*) immunitas est, per quam res Ecclesiæ à censu, vel collestis potestatum sæcularium liberæ redduntur. Qui igitur jurisdictionem temporalem obtinent, sub pœna excõmunicationis,(*b*)& interdicti (*c*), non possunt tributa, collectas, seù quascunque exactiones; sub quovis Titulo, vel colore imponere Ecclesiis, vel personis Ecclesiasticis pro domibus, prædiis, vel quibuscunque possessionibus legitimè acquisitis, etiamsi ipsæ Ecclesiæ, vel personæ, vel res sint intra illorum Territorium constitutæ. Est tamen ista generalitas restringenda, & intelligenda, ut non comprehendat onera perpetua, & annexa, ut quia fortè prædium habeat onus faciendi, vel solvendi certum quid, & nisi fortè prædium esset feudale: Nàm ratione feudi Ecclesia subiicitur laico, *gl. hic*. In verbo, quascunque. Quod si magna sit in Republica necessitas, aùt (*d*) utilitas, cui succurrendæ, vel procurandæ laicorum facultates non sufficiant, Romano priùs consulto Pontifice, Episcopus cum Clero suo poterunt aliquid in commune conferre, & laici humiliter, ac devotè cum gratiarum actione suscipere. Quando autem, & quatenus Clerici teneantur ad refectiones pontium, fontium publicorum, murorum, & aliarum id generis contributionem *Vide apud Guttierrez. Quæst. Civil. lib. 1. cap. 3. Et hæc quoad primam partem Rubricæ.*

a *Trahitur hæc immunitas etiam ad bona patrimonialia clericorum secundum multos gl. hic.*

b *Scilicèt contra particulares, & singulares personas, & hoc præcedente monitione.*

c *Contra Universitates, quæ excommunicari non possunt.*

d *Etiam*

d *Etiam laicorum tantùm. Vide gl. hic. in verbo communes.*

Ad §. Quemadmodum.

QUoad ſecundam partem Rubricæ, videlicèt, quoad ſubjectionem Eccleſiarum, notate, quod Eccleſiæ proprio Epiſcopo debent omnimodam ſubjectionem, tàm locorum ratione, quàm perſonarum, & rerum. Et hæc omnis paſtoralis poteſtas in tria principalia membra contrahitur: quædam enim ad Epiſcopum ſpectant jure ordinis: quædam lege juriſdictionis: quædam lege (*a*) diœceſana, ut explicatur hic in littera.

a *Ut jus cenſus, & cathedraticum exigendi.*

De Cenſibus, exactionibus, & procurationibus.

TITULUS XXI.

TItulus iſte pertinet ad ſubjectionem Eccleſiarũ, ideòq; præcedenti rectè ſubiicitur.

Cenſus in generali ſignificatione, ſignificat omne id quod ex provẽtibus Eccleſiaſticis annuatim ſolvitur Prælatis in ſignum ſubjectionis, vel alterius juris. Cenſus tamẽ, qui ſolvitur Epiſcopo ab Eccleſiis in ſignum ſubjectionis, ſpeciali nomine Cathedraticum (*a*) appellatur, eo quòd ob honorem Cathedræ perſolvatur.

Conſtituitur autem Cenſus Tempore fundationis, aùt conſecrationis: Cùm enim fundatur, aùt dedicatur Eccleſia, certum cenſum Epiſcopus in ſubjectionis ſignum conſtituere poterit. Imponitur etiam cenſus tempore donationis, aùt tempore immunitatis indultæ: Cùm enim Epiſcopi Eccleſias piis locis ritè conceſſerint, aùt (*b*) exemptas fecerint, poſſunt in eis cenſum aliquem ſibi reſervare. Et etiã Sedes Apoſtolica cenſum gratis (*c*) oblatum ſuſcipit ab Eccleſiis

clesiis, quibus libertatis privilegium, vel etiam protectionis indulget præsidium. Sed & patrono, qui aliquid plus contulit Ecclesiæ, quàm sit dos necessaria, poterit Episcopus fundationis (*d*) tempore moderatum (*e*) Censum constituere. Propria autem auctoritate patronus non potest aliquod servitium, vel aliquid temporale sibi reservare in Ecclesia, neque simplices Sacerdotes, vel clerici possunt Ecclesias, quibus præsunt, propria auctoritate, censuales efficere, & qui de facto per collusionem id fecerint, ab ipsis Ecclesiis removendi erunt.

a *Cathedraticum, sivè synodaticum est pensio duorum solidorum aureorum, vel argenteorum, secundum consuetudinem loci: quæ datur Episcopo à qualibet Ecclesia gl. in §. Quemadmodum, suprà Tit. prox.*

b *Quod possunt, sed non quoad omnia, ut infrà ad §. ulterius h. t.*

c *Non ergo ex obligatione. gl. hic. Sed forsàn à principio quidem gratis offertur, sed posteà, ex obligatione solvitur.*

d *Reservatio census debet fieri ante consecrationem non posteà. gl. hic.*

e *Si census ex post facto incipiat esse immoderatus, poterit, & debebit reduci ad moderationem.*

Ad §. Sed nec Episcopus.

SEd nec Episcopus ipse, aùt quilibet alius, ut puta, Abbas, potest Ecclesiis novos census imponere, aùt veterem augere (*a*) aùt partem proventuum suis usibus vindicare. Idque adeò obtinet, ut etiam si juramentum (*b*) de novo censu persolvendo quis susceperit, non propterea solvere, sed absolvi ab illicito juramento debeat. Et novus census dicitur qui non est impositus in fundatione ipsius Ecclesiæ, vel qui non est præstitus tanto tempore, quod ad legitimam præscriptionem sufficiat. *gl. hic.* Et quamvis Episcopus de novo eripuerit Ecclesias de manibus laicorum, non tamen propterea poterit aliquid ab illis exigere, præter cathedraticum, & ea, quæ cæteris imponuntur Ecclesiis. Et ratio est,

quia Episcopus tenetur ad hoc faciendum ex proprio officio. Poterit tamen Episcopus, ex justa causa, novum censum imponere, vel augere (c) veterem in commodum alterius Ecclesiæ sibi subjectæ, accedente consensu Capituli, & Ecclesiæ, cui imponitur census, si est collegiata. Si tamen causa impositionis esset urgens, & Ecclesia collegiata nollet consentire, posset Episcopus hoc facere cum consensu Capituli, *gl.hic*.

a *Etiam quod augerentur possessiones*.

b *Idem dicas de fidejussore præstito*.

c *Vel etiam minuere*.

Ad §. Sed quis.

QUod si aliqua Provincia de novo conversa ad alicujus (a) Ecclesiæ Jurisdictionem accesserit, (b) in obsequiis Metropolitano exhibendis id observandum erit: quod in vicinis Provinciis observatum reperitur. Hoc tamen non procedit quando consuetudo vicini loci esset nimium onerosa, quia negligentia unius loci non debet nocere alteri non negligenti.

a *Metropolitanę .cap. super eo h.t.*

b *Sivè nunc primum, sivè quod occupata ab infidelibus, fuit à nostris recuperata*.

Ad §. Ulterius.

ULteriùs prælatis diœcesim visitantibus, etiam procuratio debetur. Est autem procuratio necessariorum sumtuum exhibitio. Et quamvis Episcopus alicui Ecclesiæ omnia servitia remiserit, (a) non tamen censetur remittere (b) procurationem (c), sed illam dare detrectantes poterit excommunicare. Nec ulla adversus hanc procurationem currit (d) præscriptio. Cavere tamen debent Visitatores, ne inutilibus sumptibus cuiquam graves, onerosive sint. *Vide Concil.Trid.sess.24.cap.3. de reform.*

a *Quod tamen facere non potest, nisi faciat ex causa, cum sine cau-*

causa, & consensu, Capituli non possit Episcopus alienare Jura Ecclesiæ suæ.

b *In generali enim remissione, non veniunt ea, quæ in speciali non remittuntur.*

c *Neque cathedraticum neque charitativum subsidium, neque reverentia.*

d *Etiam longissimi temporis.*

Ad §. Uisitandi.

NOn solùm autem Episcopi visitare possunt, verum etiã Archiepiscopi, Patriarchæ, Sedis Apostolicæ Legati, Nuncij, Archidiaconi, (*a*) & Decani. Et secundum *gl. hic*, potest in hac materia formari regula quod omnis Prælatus habens jurisdictionem potest visitare. Visitatores verò observare debent ea, quæ sacris Canonibus salubriter constituta comperiuntur, & præsertim *in cap. Cum Apostolus, de censibus & in cap. 1. & 2. eod. Tit. in 6.* Et Archiepiscopi possunt liberè suam visitare provinciam, ac procurationes à locis visitatis recipere, licèt Suffraganei non sint negligẽtes. Poterunt etiam, dum visitant, audire confessiones subditorum sui suffraganei, ac absolvere cõfitentes, & ipsis pœnitẽtias iniunre, non obstante quavis consuetudine, *cap. ult. de censib. in 6. Vide Concil. Trid. sess. 24. cap. 3. de reformat.* Vbi statuitur quomodo per Prælatos Visitatio fieri debeat, & in specie, quòd à Metropolitanis, etiam post plenè visitatam propriam diœcesim, non visitentur cathedrales Ecclesiæ, neque diœcesses suorum comprovincialium, nisi causa cognita, & probata in Concilio Provinciali.

a *Quod dicitur de Archidiaconis, & Decanis, habet respectum ad consuetudinem quorundam locorum, in quibus Archi diaconi visitant, aùt Jure proprio, aùt vice Episcopi gl. hic.*

Ad §. Ultimum.

POstremò admonendi ſumus propter privatum Orarotiũ, procurationes exigi non poſſe. Sed nec aliis exactionibus ſubditos ſuos Epiſcopi gravare debent. Poſſunt tamen ob manifeſtam, ac rationabilem cauſam charitatiuum ſubſidium ab eis poſtulare.

De Capellis (a) Monachorum.

TITULUS XXII.

USque adeò autem omnes Eccleſiæ ſubſunt Epiſcopo, in cujus diœceſi poſitæ ſunt, niſi tamen ex ſpeciali privilegio ſint exemptæ, ut ſi Eccleſia ubi monachi (b) habitant, curam habeat animarum, cùm per monachum populus regi non debeat, Capellanus, qui populum regat, ab Epiſcopo ad conſilium monachorum ſit inſtituendus: ità ut non valeat conſuetudo (c), aùt quodvis ſtatutum, quod ejuſdem Capellani ordinatio, depoſitio, & vitæ converſatio non pendeat ab Epiſcopo, ſed ab alio. Et animadvertite, quod Epiſcopus conſilium monachorum non tenetur ſequi: Nàm hoc eſt generale, quod quoties quis tenetur quid facere de conſilio alterius, tenetur quidem conſilium requirere, non ſequi *gl.hic*. Nec id, quod diximus mirum videri debet, cum monaſteria ipſa, & monachorum diſciplina, ſi nec privilegio, nec legitima præſcriptique doceantur exempta, ad eum pertineant Epiſcopum, in cujus ſunt diœceſi conſtituta.

a *Capella unde nomen habeat, Vide per Vallenſ. in Dec. h. t. ſub num.* 1.

b *Secus ſi monachi non cohabitarent. Vide gl. hic.*

c *Valet tamen conſuetudo, quod monachus poſſit in Eccleſia, & monaſterio, in quo inhabitat, curam habere gl.hic.*

De

De Religiosis domibus.

TITULUS XXIII.

OMnia quoque Hospitalia (*a*) ad Episcoporum, in quorum sunt diœcesi, sollicitudinem (*b*) perninent, per eosdemque ad eas utilitates, quibus constituta sunt, ordinanda, ac dirigenda erunt: nec postquam hujusmodi loca ad hospitalitatis usum,& pauperum provisionem Episcopi ordinatione deputata fuerint,ad profanos usus cōverti poterunt. Cùm ea, quæ ad certum usum largitione fidelium sunt destinata, ad alium, etiam pium, salva Sedis Apostoticæ auctoritate, converti non valeant. Hodie tamen per *Concilium Trid. sess.22.cap. 6. de reform.* hæc potestas videtur communicata etiam ordinariis tamquam Sedis Apostolicæ delegatis. Et in specie, si hospitalia ad certum peregrinorum, aùt infirmorum, aùt aliarum personarum genus suscipiendum fuerint instituta, nec in loco, ubi sunt dicta hospitalia, similes personæ, aùt perpaucæ reperiantur: mandat idem *Concil.sess.25.cap. 8.de reform.* ut fructus illorum in alium pium usum, qui eorum institutioni proximior sit, ac pro loco, & tempore utilior, convertantur, prout ordinario cum duobus de Capitulo, qui rerum usu peritiores sint, per ipsum diligendis, magis expedire visum fuerit: nisi aliter fortè,etiam in hunc eventum,in eorum fundatione, aùt institutione fuerit expressum: quo casu, quod ordinatum fuit, observari curet Episcopus, aùt, si id non possit, ipse, pro ut suprà, utiliter provideat.

a *Non tamen potest Episcopus exigere procurationem, quando visitat hospitalia Ricc. in add.ad §.quinimo h.t.*

b *Vide gl. hic in Verbo, Pertinent, & Vallens. in Decr. h.t. §.2. num.2.& 3.*

Ad

Ad §. Quinimmo.

QUinimmò si talium locorum Rectores exempti (*a*) sint, si tamen diligenter suum non adimpleant officium, poterunt Ordinarii auctoritate Apostolica, loca ipsa salubriter reformare, & procurare, ut omnia in statum pristinum redigantur: contradictoresque quoscunque per censuram Ecclesiasticam, & alijs Juriis remediis compescere, etiam invocando brachium sæculare, si expedierit, licèt nullum per hoc exemptionibus, seù privilegiis, quoad alia, præjudicium generari debeat, ut hic juncto *cap.* 1. *&* 14. *in fine, de offic. Iud. ord. Vide quæ in hac materia statuuntur per Concil. Trid. in decretis reformationum sess.* 7. *cap.* 15. *& sess.* 22. *cap.* 8. *& sess.* 25. *cap.* 8.

a *Vel privilegio, vel præscriptione* 40. *annorum. Vide Vallens. in Tit. Dec. de Relig. Dom.* §. 1. *num.* 4.

Ad §. Eodem.

LOcorum autem supra dictorum gubernatio Viris providis, ac boni testimonii est committenda, quos bona eorundem locorum in alios usus præter destinatos convertere, præsumptio verisimilis non existat. Nec administratio seù gubernatio hujusmodi locorum vni, & eidem personæ ultra triennium committi potest: nisi aliter in fundatione cautum reperiatur, *Concil. Trid. sess.* 25. *cap.* 8. *in fine de reform.* Tales autem administratores instar Tutorum, & Curatorum debent jurare utilia facere, & inutilia prætermittere, ac de bonis conficere inventarium, & ordinariis, seù aliis, quibus loca hujusmodi subsunt, vel deputatis ab eis singulis annis de administratione sua rationem reddere. Sed an & satisdare etiam teneantur instar Tutorũ? ℞. negativè, cùm dentur ex Inquisitione, *gl. hic.* In verbo Præstare, ubi tamen Autor posteà addit se vidisse servari, quod hujusmodi personę satisdent.

Ad

Ad §. Prædicta.

QUæ verò suprà dicta sunt de hospitalibus, non habent locum in hospitalibus militarium (a) Ordinum, vel aliorum Religiosorum. Hi enim suorum Ordinum institutiones, & consuetudines observare cogendi erunt.

a *Ut Sancti Io: Hierosolymitani*.

Ad §. Ultimum.

SEd & circa celebrationem Missarum, & Sacramentorum exhibitionem in hospitalibus, est servanda antiqua consuetudo. Et idem est dicendum circa Jus habendi cæmeterium.

De Sepulturis.

TITULUS XXIV.

DIctum est supra de religiosis domibus, sed quia sepulturæ fiunt in locis religiosis, meritò sequitur & de sepulturis etiam videre.

Sepulturæ per fideles non nisi in (a) sacris & religiosis locis constituuntur. Et unusquisque propriam, si contemptus absit, potest eligere sepulturam. Immo posse quem sepolturæ suæ electionem alteri committere tradit (b) *Ricc. in Prax. Decis.663*. Et etiam antiqua dimissa, novam potest quis, etiã in loco minus religioso, sibi deligere. Qui verò sepulturam non elegerit, sepeliendus erit in Parochiali Ecclesia, aùt in sepulcro majorum suorum. Nec ulla circa electionem sepulturæ, inter virum, & uxorem est facienda distinctio: sed utrique æqualis erit eligendi facultas. Si tamen ipsa sibi sepulturam non eligat, & plures fortè viros habuerit, cum viro (c) ultimo, cujus domicilium retinet tumulanda erit. Ut autem probetur electio sepulturæ satis est, ut quovis modo id

do id Judici constet, veluti, per Testamentum, vel per dictum Confessoris, vel per (*d*) Testes

a *Rationes, ob quas fideles sepelliuntur in locis sacris, habes hic in litera.*

b *Vallens. in Decret. h.t.* §.3. *num.6.*

c *Sed pone, quod uxor priùs decedat, quàm maritus, an debeat sepeliri in sepulcro majorum mariti, an verò maiorum patris sui?* ℞. *ut per gl. hic.*

d *Etiam singulares.*

Ad §. De Filiofamilias.

DE filiofamilias, (*a*), an sibi sepulturam eligere valeat, dubitatur, & distinguitur, si est impubes, sepulturam eligere non poterit, permittendum tamen erit patri, si id loci consuetudo patiatur, ubicunque voluerit illum sepellire. Quòd si consuetudo id non habeat, cum suis majoribus, vel in parochiali Ecclesia tumulandus erit. Si verò sit pubes, liberè absque patris assensu sibi sepulturam eligere poterit. Et secundum *gl.hic*. puberes sunt in hoc proposito, masculi majores annis 14. fœminæ verò majores annis 12. Aliqui tamen volunt, quod filiifamilias, si essent proximi pubertati, possent etiam sibi eligere sepulturam.

a *De patre familias impubere quid dicemus, an cum auctoritate Tutoris possit eligere sepulturam?* ℞. *non.*

Ad §. Impuberi.

REligiosi quoque eligere sibi sepulturam nequeunt, sed apud propria monasteria tumulandi sunt, nisi fortè moriantur in loco adeò remoto, ut commodè non possint ad ea exportari. Quo casu, secundum opinionem plurium, poterunt sibi eligere sepulturam. Alias autem si non eligant, sepeliuntur in Ecclesia Parochiali illius loci, in quo decedunt, *gl.ult.hic*.

Ad

Ad §. Alias.

NOn potest autem quis ad vovendum, jurandum, (*a*) vel fide interposita, vel aliàs promittendum induci, ut apud aliquam Ecclesiam sepulturam eligat, vel jàm electam ulterius non immutet. Quòd si secus factum fuerit, electio talis nullius penitus existet firmitatis. Et hi, qui sic elegerint, nec apud sic electas Ecclesias ullatenus sepelliri, nec alibi poterunt eligere sepulturam, *cap.1.de sepult. in 6.*

a *Nota, quod papa ex causa facit interdum, quod Juramentum non liget.*

Ad §.Illud tamen.

MOrtuus verò ruri, non electa sepultura, si absque periculo inde valeat exportari, non in Ecclesia ruri posita, sed in sua parochia, vel in majorum suorum sepultura, sepeliendus erit. Nec debet Ecclesia loci, in quo decedit, habere parochialem *gl.hic*.

Ad §. Non tamen.

NOt.quod nõ possunt tradi Ecclesiasticę sepolturę hi, qui prius erant ab Ecclesiastica unitate præcisi: (*a*) Quibus enim non communicamus vivis (*b*) nec defunctis cõmunicare debemus. Igitur nec Paganus, nec Judeus, nec hæreticus, nec Usurarus, nec alii plures, qui numerãtur hic in litera Ecclesiasticæ sepulturę tradi poterunt, si impenitentes (*c*) decesserint. Et corpora sepulta contra Juris prohibitionẽ, si ab aliis corporibus discerni poterunt, exhumari debẽt(*d*)& ab Ecclesiastica sepultura procul *jactari*: alias cum iis corpora fidelium exhumanda non erunt. Qui verò contemptis Ecclesiæ claudibus, hujusmodi personas, aùt interdicti (*e*) tempore quoslibet in Ecclesiis, vel cœmeteriis sepelire ausus fuerit, ipso facto, excommunicationem incurrit, à qua non est absolvendus antequam arbitrio Episcopi eis satisfecerit, quibus injuria

juria irrogata fuerit, nullo privilegio ipsi contrafacienti suffragante. Sed qui sunt hi, quibus satisfactio exhibenda est propter injuriam per præmissa eis irrogatam? Fortè intellexit de iis, quorum favore fuerant latæ sententiæ excommunicationis, vel interdicti in loca, vel personas, & quoad Usurarios, illos, quibus fieri debebat restitutio; Si qua etiã violentia in his fuisset illata clericis, vel ministris, illis etiam fiet satisfactio. Item si illorum corpora, vel ossa discerni possunt, exhumanda sunt, ut suprà diximus. *Vide gl. in Clement. prima, de sepult. in verbo, eis quibus*. Si verò dictæ personæ, etiam in mortis (*f*) articulo, Ecclesiæ reconciliatæ fuerint, eis cœmeterium, & alia Ecclesiastica suffragia denegari non debent: hi tamen, ad quos ipsorum bona (*g*) pervenerint, ut pro eisdem satisfaciant, si casus exigat, Ecclesiastica sunt censura compellendi. Ex jam dictis apparet cadavera punitorum pœnitentium, ad Ecclesiam esse deferenda, & oblationes pro eis offerendas. Quin etiam deprehensi in scelere, & vulnerati, si confessi ex vulneribus mortui fuerint, Ecclesiastica sepultura non privantur. Nec etiam privantur oppressi improviso casu, si nihil aliud obsistat.

a *Præcisi dicuntur excommunicati, suspensi, & interdicti, gl. hic.*

b *Not. ex hac Regula, quod etiam cum defunctis potest esse communio, ut lauando mortuum, vestiendo, sepeliendo, associando ad sepulturam, & sic communicans incidit in minorem excommunicationem, ut si cum viuo communicasset. gl. hic.*

c *Si verò viventes reconciliationem petierint, nec per eos steterit quominùs Ecclesia reconciliati fuerint, etiam post mortem sunt absolvendi.*

d *Et Ecclesia, vel cæmeterium reconciliari debet, priusquam alii Christiani ibi inhumentur, cap. consulvisti, de consecr. Eccles.*

e *Quo tempore est interdicta Ecclesiastica sepultura. Clerici tamen, qui servaverint interdictum, cum silentio sepeliri in Cæmeterio possunt Vide Vallens. in Decret. h. t. §. 7. num. 5.*

f *Quo tempore absolvi poterunt per sacerdotem à vinculo ex-*

com-

communicationis etiam in casibus Papæ reservatis.

g *Videtur ergo, quod hoc onus sit non tam hæredis, quàm bonorum, quod fortè poterit procedere, quando bona non sufficerent, quæ pervenerunt ad hæredem.*

Ad §. Ultimum.

DEmum not. quod non potest quis terram pro sepulcro vendere in loco jàm religioso, & cœmeteriato, aùt pro hominibus sepeliendis quoquomodo aliquid petere, vel exigere: Spontè verò oblatum licitè recipi poterit: Nec obtentu cujusquam consuetudinis, nisi pia, (a) & laudabilis fuerit, reatum suum quis excusare poterit. Pia verò, & laudabilis erit illa consuetudo, quæ non ex coacta solutione, sed ex devotione fidelium introducta fuerit, *Vallens. in Decret. h. t. §. 8. num. 2.*

a *Quo casu laici poterunt compelli illam servare, si non jure actionis, saltem officio Judicis, Vallens. in Decret. h. t. §. 8. num. 2. vide infrà in Tit. de Simon. §. sed & tunc.*

De Canonica Portione.

TITULUS XXV.

MEritò post Titulum de Sepulturis, videndum sequitur de Canonica portione parochiali, quæ detrahitur occasione sepulturæ, & quia Canonica parochialis est in multis similis Episcopali, ideò in eodem Titulo tractatur de utraque.

Canonica portio est, quæ de relictis, & proventibus Ecclesiis obvenientibus detrahitur, & Prælatis debetur. Et verbum, Prælatis, in hac definitione debet accipi largè, ut comprehendat etiam Rectorem, & Curatum Parochialis Ecclesiæ.

Est autem Canonica portio duplex, Parochialis, & Episcopalis. Parochialis est, quæ Parochiali Ecclesiæ, vel ipsius Curato, & Rectori debetur. Debet enim Curatus de his

rebus, quas defunctus pro anima sua in ultima dispositione reliquit Ecclesiæ, in qua posthabita parocchiali Ecclesia, sepelliri (*a*) elegit, quartam partem habere, aùt aliam, quam legitima consuetudo præfixerit, & sufficit consuetudo decem annorum, quia non est contra Jus, sed præter Jus: maximèque attendi hic debent Statuta, & concordata, si quæ sint. *Vallens. in Tit. Decret. de sepult.* §. 5. *num.* 2. Sed & si nihil quidem Testamento quis reliquerit, sed in egritudine constitutus cum bonis suis ad loca religiosa se transtulerit, Ecclesiæ parochiali, canonica portio debetur: modò ille de eadem ęgritudine decesserit. Secùs est si sanus cum bonis suis ad ea loca se transtulerit. Not. ergo, quod de relictis, seù traditis alicui Ecclesiæ in vita, non debetur Canonica portio, quod intellige nonsolùm de parochiali: sed etiam de Episcopali, *Vide gl. hic in verbo, non poterit.*

a *Vel in qua sepelitur ob sepulcrum majorum, suorum. Vide infra ad* §. *Dubitari.*

Ad §. Dubitari.

Si autem quis, dimissa Ecclesia, in qua majores sui antiquitus sepelliri consueverant, alibi sepulturam elegerit, dimissæ canonica portio non debetur, sed parochiali. Quid si non dimiserit, sed in ea sepelliatur, & aliquid eidem relinquat? ℞. adhuc parochialis habebit canonicam, *gl. hic*, *Vallens. in Tit. Decret. de sepult.* §. 5. *in princ.*

Ad §. Quod si.

Quòd si is, qui duo habet domicilia, seque in utroque collocat æqualiter, in loco tertio sepulcrum eligat, vel aliàs de Jure in eo veniat sepelliendus, putà quia in eo est sepulcrum majorum suorum, inter Ecclesias Domiciliorum Canonica portio erit dividenda.

Ad §. Sunt tamen.

SUnt tamen quædam relicta, ex quibus Canonica portio detrahi non debet, ut puta si quid pro fabrica, pro luminariis, pro anniversario, pro equis, vel armis contra infideles exercendis, vel alias ad perpetuum cultum divinum, vel particulari personæ legatur, v. g. Rectori illius Ecclesię, in qua eligit quis sepelliri, tamquam amico, vel consanguineo.

Ad §. Sed istud.

MInores tamen, & Prædicatores, si in eorum Ecclesiis quis sepulturam sibi elegerit, de omnibus obventionibus indistinctè quartam Parochialem integrè solvere tenentur. Quod fuit inductum in recompensationem damnorum, quæ sustinent Ecclesiæ parochiales propter privilegia concessa dictis fratribus, *gl.ult.hic. Et novissimè Concil. Trid. sess.25. cap. 13.de reform.* decrevit, ut quibuscunque in locis jàm antè annos 40. Quarta, quæ funeralium dicitur, cathedeali, aùt Parochiali Ecclesiæ solita esset persolvi, ac postea fuerit ex quocunque privilegio, aliis monasteriis, hospitalibus, aùt quibuscunque locis piis concessa, eadem posthac integro Jure, & eadem portione, quæ anteà solebat, Cathedrali seù Parochiali Ecclesiæ persoluatur: non obstantibus concessionibus, gratiis, privilegiis, etiam Marimagno nuncupatis, aùt aliis quibuscunque.

Ad §. Canonica.

CAnonica portio Episcopalis est, quæ de relictis alicui Ecclesiæ pro (*a*) anima ab Episcopo deducitur. Et hæc quoque est (*b*) quarta pars, aùt alia, quam legitima consuetudo præfixerit. Et licebit ipsi Episcopo, nisi sibi quadragenaria obstet præscriptio, hanc canonicam sumere portionem, etiam si Testator expresserit, quòd non Episcopo velit esse

reli-

relictum, sed tantùm (*c*) Ecclesiæ: cùm privata Testatoris dispositio generalem canonis constitutionem immutare nequeat. Non tamen Canonica portio debetur Episcopo de donationibus inter vivos factis Ecclesiis, *Abb. in cap. requisisti 15. de Testam. sub num.* 17.

a *Quod præsumitur eo ipso, quod relictum est Ecclesia, gl. hic.*

b *Vide gl. in princ. h. t. in verbo, portio.*

c *Sed quando relinquitur Episcopo tantùm, Ecclesia nihil habet, ut in §. seq.*

Ad §. Item ex contrario.

ITem ex contrario, si quid Episcopo relictum fuerit, Ecclesia Cathedralis de illo Canonicam portionem petere poterit: (*a*) Sed hoc casu si Testator exprimat, quòd velit illud Episcopi tantùm esse non Ecclesiæ, tæstatoris erit servanda dispositio. Aliud est in casu contrario, cum relinquitur Ecclesiæ tantùm, quo casu Episcopus habet suam Canonicam portionem, non obstante dicta taxativa, ut suprà §. proximo. Et ratio diversitatis est, quia impossibile est, quod fiat relictum Ecclesiæ, quod non & Episcopo, qui est caput, & consequenter pars, & potissima, Ecclesiæ. At cum relinquitur tantùm Episcopo, quia intuitu personæ, non dignitatis intelligitur esse relictum, non magis Ecclesiæ portio aliqua debebitur, quàm si cuilibet privato fuisset aliquid relictum, *gl. in §. prox. præced. In verbo tantùm Ecclesia.*

a *Hoc de facto hodie non servatur, quia Episcopi omnia ferè jura capitulorum præscripserunt.*

Ad §. Sed in hac specie.

QUamvis autem, ut suprà diximus, de eo, quod simpliciter Episcopo relictum fuerit, Ecclesia Cathedralis Canonicam portionem petere possit: Si tamen Episcopi propinquus aliquid simpliciter (*a*) relinquat Episcopo, cùm non Ecclesiæ, sed personæ relictum præsumatur (*b*) intuitu, nisi fortè contrarium probetur: De relicto Cathedra-

thedra-

thedralis Ecclesia Canonicam porrionem petere non poterit. Contraria obtinet præsumptio, & dispositio, si ab extraneo quid simpliciter Episcopo relictum fuerit.

a *Non exprimendo, quod velit illud Episcopi tantum esse, non Ecclesiæ.*

b *Circa hanc, & seq. præsumptionem Vide gl. hic in verbo, probetur.*

Ad §. Quod si.

QUòd si conjunctim Episcopo, & Cathedrali Ecclesiæ aliquid relinquatur, de eo inter ipsos canonica (*a*) divisio facienda erit: quæmadmodum etsi istud Episcopo, & illud Ecclesiæ relinquatur, nisi ambo Testatoris velint esse dipositione contenti. Secus autem est, si quid legetur Episcopo, & Ecclesiis (*b*) inferioribus: Nàm hoc casu, quod Episcopo legatur, ejus præcipuum est cum Ecclesia Cathedrali, & de illis, quæ aliis Ecclesiis legantur, portionem Canonicam nihilominus obtinebit. Et ratio est, quia non tanta inter Ecclesias inferiores, & Episcopum est communio, quanta inter Ecclesiam cathedralem, & Episcopum, qui cathedrali specialiter spirituali conjugio copulatus est. Nunquid autem idē sit in Canonia parochiali, hoc est, quod presbyter parochialis possit capere relictum sibi à testatore factum & petere canonicam portionem de relictis factis Ecclesiis, in quibus relinquens eligit sepulturam? Videtur respondendum negativè. *Vide Abb. in cap. officii* 14. *sub num.* 5. *de Testamentis.* Si tamen testator aliquid Episcopo, aliquid Ecclesiis legavit, ea adiecta conditione, ut Episcopus suo legato sit contentus, & ipse legatum agnovit, de cœteris portionem exigere non poterit. Sed si constiterit, quod testator, eadem adiecta conditione, fraudulenter modicam portionem reliquit Episcopo, poterit Episcopus, non obstante (*c*), quod ipsam conditionem acceptaverit, debitam portionem (*d*) exigere.

a *Ideſt æqualis.*

b *In litera legitur: Et capellis, vel monasteriis, aùt aliis locis piis.*

c *Gl.*

c *Gl.in cap. officii, de Testam.in verbo, constiterit.*
d *Scilicèt exigendo supplementum.*

Ad §. Illud etiam.

NOtate, quod relictum ei, qui potest proprium possidere, non habenti (*a*) prælationem, vel administtationem Ecclesiæ, nonsolùm à propinquo, verùm etiam ab extraneo, non intuitu Ecclesiæ, sed personæ esse relictum (*b*) intelligitur, nisi probatio in contrarium appareret: & idcircò de illo nec Episcopus, nec Ecclesia potest in vita ejus sibi aliquid vindicare. Secus est post mortem, si intestatus decedat, ità tamen quod non habeat propinquos. Et animadvertite, quod in hac materia, etiam Rector, & Curatus Parochialis Ecclesiæ venit Prælatorum appellatione. Item notate, quod de quibus relictis parochialis portio non detrahitur, nec Episcopalis detrahenda erit. Quæ autem sint hæc relicta, *vide suprà hoc eodem Tit.ad §. Sunt tamen.*
a *Exemplum erit in Canonicis.*
b *Sivè habeat officium Ecclesiæ, sivè non.*

De Decimis.

TITULUS XXVI.

NOn solùm Canonicæ portionis, sed etiam decimarum perceptio pertinet ad parochiales (*a*) Ecclesias. Et decimæ mediam quandam inter spirituales res, & temporales naturam obtinent, quippe, quod ipsum Jus decimandi spirituale sit: fructus verò ipsi decimarum, temporales, & prophani.

Decima est quota bonorum mobilium portio, Deo tam Divina, quàm humana constitutione, debita. Quota autem ista non exprimitur in definitione, vel quia ipsum nomen, Decima, satis id per se ostendit, vel quia, cùm hodie consuetudo attendatur in cognoscendo quotam istam, non potuit id exprimi, cùm consuetudo sit varia, & quid facti,

gl. hic.

gl.hic in verbo, *Quota*. Et dicitur, tam divina, quàm humana constitutione debita, quia decimæ originaliter à Deo sunt institutæ, & ab homine (*b*) acceptatæ. *Vide gl. ult. hic*, *& Vallens. in Decret.h.t.* §.4.*num.*2.*& seq.*

a *Et Parochis quantumvis divitibus decimæ persolvendæ sunt Vallens.in Decret.h.t.*§.6.*num.*14.

b *Vel humana constitutio habet se circa decimas declarando*, *& interpretando Jus divinum*, *gl.ult.hic*.

Ad §. Decimarum.

Decimarum aliæ sunt personales, (*a*) aliæ prædiales, Personales sunt, quæ ex his proventibus deducuntur, qui ex propria cujusque solertia, & industria obveniunt, ut puta, de negotiatione, artificio, & militia, justa tamen. Prædiales sunt, quæ ex fructibus prædiorum solvuntur, vt de vino, Tritico, & his similibus.

Differunt autem prædiales à personalibus, quod personales illi solùm parochiæ debentur, in qua quis Ecclesiastica sacramenta recipit, (*b*), & divina audit, tametsi lucrum alibi contigerit. Prædiales verò ei debentur Ecclesiæ, in cujus Territorio prædia sunt constituta, nisi aliud inducat consuetudo. Item personales decimæ, quæ solvuntur ex rebus venditis, quæ sunt acquisitæ, vel factæ ex pecunia decimata, solvuntur deductis prius expensis, quas quis in rebus parandis fecerit. De prædialibus verò expensæ etiam seminis, non deducuntur, quamvis illæ expensæ fuerint decimatæ. Nec possunt fructus alienari, nisi cum onere decimarum. Illud tamen commune est, tam personalibus, quàm prædialibus, quod expensæ factæ pro restauratione rerum, ex quibus decimæ persolvuntur, v.g. pro refectione Vineæ, non deducuntur. Cujus rei illa est ratio, quod penes dominum res instauratæ remanent. Planè personales decimas, seù ex lucro industriæ, (*c*) nullibi ferè solvi testatur *Navar.in Manuali cap.*21.*num.*31.

a *Decimæ animalium videntur prædialibus annumerandæ.Vide gl.hic*, *in verbo*, *similibus*.

b *Seù recipere, & audire debet.*

c *Ex Vallens. in Decretal. h. t. §. 8. num. 3.*

Ad §. Sed nec census.

SEd nec Census, nec Tributa de fructibus, de quibus decimæ solvendæ fuerint, primitus deduci poterunt, vel saltem hi, ad quos census, vel Tributa pervenerit, decimas solvere per censuram Ecclesiasticam compelluntur.

Ad §. Eadem ratione.

ET generaliter decimæ persolvi debent de omnibus bonis, & proventibus omnibus, licitè tamen quæsitis, & qui de his eas cum integritate solvere neglexerint, excommunicari (*a*) debent. Quemlibet etiam teneri ad solutionem decimarum indubitatum est, nisi quis speciali (*b*) privilegio ab ipsarum præstatione doceatur exemptus. Et potest solus Papa tale Privilegium dare.

a *Et etiam Ecclesiastica sepultura privari, qui decimas non restituit.*

b *Papa contra Jus naturale dispensare potest, remittendo decimas alicui specialiter, non tamen posset facere constitutionē, quæ omnino tolleret illud præceptum: quia Jus naturale immutabile permanet gl. hic.*

Ad §. De Monachis.

MOnachi verò, & Regulares, seù clerici communiter viventes, de laboribus, ac nutrimentis propriis decimas solvere non tenentur: ad prædiales tamen, etiam de novalibus, de quibus antea decimæ solvebantur, tenentur. Et etiam tenentur de prædiis quoquo modo recenter acquisitis, etiam si ea propriis manibus, aùt sumptibus excolant, decimas solvere Ecclesiis, quibus ratione talium prædiorum anteà solvebantur: Nisi super hoc muniti esse probentur speciali

ciali Jure, vel Privilegio, quod re iudicata, vel præſcriptione quadraginta annorum non fuerit ſublatum.

a *Novale quid ſit habes hic in littera. Et de decimis Novalium Vide Vallenſ. in Decret.h.t.§.9.*

Ad §. Item ſi.

ET quia Privilegia ita ſunt accipienda, ut nemini læſionem præcipuè enormem, inferre debeant: Si poſt initam inter aliquos clericos ſuper decimis conventionem, certi tenoris privilegia obtenta fuerint, niſi conventioni per ea derogetur (*a*) expreſsè, illis non obſtantibus, erit conventio inviolabiliter obſervanda. Not. ergo, quod inter clericos nomine ſuarum Eccleſiarum poteſt intervenire compoſitio ſuper decimis in futurum ſolvendis, etiam citra Superioris auctoritatem: Sed tunc compoſitio non excedit vitam Tranſigentium, *ut in cap.Veniens* 8. *de Tranſact.* Item ſi per hujuſmodi privilegia parochiales Eccleſias ultra modũ gravari contingat, ordinarius ità providebit, ut Rectores competentem ſubſtentationem habere, aliàque onera debita ſupportare valeant.

a *Poteſt ergo Papa derogare pacto, & conventioni facta inter perſonas Eccleſiaſticas ſuper Juribus Eccleſiarum. Vide gl.hic.*

Ad §. Super decimis.

PRivilegiati quoque ſuper decimis non ſolvendis, ſolitas decimas de (*a*)conductis prædiis ſolvere tenentur. Et etiam hi, qui ſunt privilegiati, ut de prædiis ſuis, quæ propriis, vel manibus, vel ſumptibus excolunt, decimas non perſolvant, eas de locatis prædiis ſolvere tenentur.

a *Religioſi poſſunt conducere prædia, quando propria non ſufficiunt, aliàs ſecus, gl. hic.*

Ad §. generaliter.

SOlus autem Papa hujusmodi privilegia super decimis non solvendis concedere potest, ideòque etiam ab Imperatore concessa, nullam habent efficaciam. Ex contrario quoque laicus etiam de manu clericorum non potest decimas recipere sub pœna excommunicationis, & privationis Ecclesiasticæ sepulturæ, si decimas Ecclesiæ non reddiderit. Immo clericus concedens deponitur, & excommunicatur. Papa tamen potest laicum (a) reddere capacem Juris spiritualis, & consequenter decimarum, *gl. hic*.

a *Et etiam hodie laici retinere possunt decimas acquisitas ante Concilium Lateranense cap. prohibemus 9. h. t. Vide Vallens. in Decret. h. t. §. 6. in princ.*

Ad §. Si quis tamen.

POssunt tamen decimarum proventus locari dummodò hujusmodi locatio ad feudum, vel alienationem non videatur extendi. Hodie locatio (a) rerum Ecclesiasticarum ultra Triennium (b) prohibetur sub pœna excommunicationis, & nullitatis actus, *cap. unico. de reb. Eccles. non alien. In Extravag. Commun.*

a *Vide Concil. Trid. sess. 25. cap. 11. de reform. ubi variæ locationes bonorum Ecclesiasticorum prohibentur, & quædam facta irritantur.*

b *Vide Vallens. in Tit. Decret. de reb. Ecc. alien. vel non §. 1. num. 4. in fine.*

Ad §. Ultimum.

POstremò sciendum est, quòd Episcopo debetur quarta decimarum à Rectoribus Ecclesiarum, nisi legitima obstet præscriptio.

De

De rebus Ecclesiæ alienandis, vel non.

TITULUS XXVII.

TRactemus nunc de rebus Ecclesiarum merè temporalibus, illarumque administratione, & alienatione.

In primis autem sciendum est, nihil Episcopum (*a*) regulariter posse super his rebus statuere sine consensu,(*b*)vel consilio sui Capituli, saltem pro majori, & saniori (*c*) parte. Itaque rerum Ecclesiasticarum absque clericorũ (*d*) subscriptione(*e*),& Ecclesię utilitate,& Romano inconsulto Pontifice ab Episcopo facta donatio, vel alienatio, vel suppositio non tenet: nisi eam postmodum ratam habeant. Quod si alienatio fiat servata forma in casu non concesso, tenet alienatio, licet Ecclesia tamquam læsa restituatur, *gl.hic*.

a *Quia quædam potest Episcopus explicare absque consilio Capituli, ut sunt minora negotia.*

b *Neque enim in omnibus negotiis Ecclesiæ est necessarius consensus Capituli.*

c *Quod tamen præsumitur si constet de majoritate, vide gl.hic.*

d *De quibus clericis sit hoc intelligendum, vide per gl.hic.*

e *Quod hic dicitur de subscriptione, hodie in pluribus locis non servatur.*

Ad §. Sed nec commissam.

SEd neque potest quis sibi commissam Ecclesiam gravare pro debitis (*a*) alienis. Debita tamen à prædecessore suo pro Ecclesiæ necessitate contracta,solvere tenetur successor. Idem si fidejusserit, vel mutuam pecuniam acceperit prædecessor de mandato Prælati, & majoris partis Capituli, aut si non de mandato,in Ecclesiæ tamen utilitatem mutuum verterit, *cap.penult.de fidejussoribus*.

a *Pro sua verò sustentatione potest Prælatus obligare Ecclesiã, quia hæc sunt Ecclesiæ debita.*

Ad §. Excipiuntur.

POteſt tamen Prælatus (*a*) rem non magni valoris, præſertim ſuadente conſuetudine, alicui ob benemeritum; aliamve rationabilem cauſam donare. Et multo magis concedere ad Eccleſiæ fabricam erigendam tantum terræ, quantum Eccleſiæ parietes concludere poſſunt.

a *Etiam Regularis, gl. hic.*

Ad §. Idem Juris.

POſſunt etiam vendi redditus, (*a*) & fructus Eccleſiaſtici ad modicum (*b*) tempus. Et de Eccleſiarum poſſeſſionibus poſſunt fieri præcariæ, quæ de quinquennio in quinquennium renovandæ erunt. Non eſt tamen de ſubſtantia hujus contractus, quod fiat ad quinquennium. Nàm poteſt in perpetuum, vel ad vitam accipientis, vel aliud tempus magnum, vel modicum fieri: ſed renovatio fit de quinquennio in quinquennium, ne temporis longinquitate Juris Eccleſiaſtici pereat memoria. *Abb. in cap.* 1. *ſub. num.* 3. *de Præcariis*. Diſtat autem præcarium (*c*) à precaria, quia precarium ad beneplacitum concedentis revocatur: Præcariæ verò non ſunt pro voluntate concedentium revocandæ, niſi ſint irrationabiles: quo caſu poterit ſucceſſor à prædeceſſore conceſſam præcariam reſcindere, & revocare, abſque timore pœnæ appoſitæ reſciſſioni à prædeceſſore, *cap.* 1. 2. *&* 3. *de Precariis*.

a *Differentia eſt inter fructus, & redditus, quia quidquid eſt in fructu, eſt in reddit u, ſed non contra.*

b *Vide ſuprà tit. præced. ad* §. *ſi quis tamen, & gl. hic.*

c *Aliqui faciunt differentiam inter hæc duo Precaria, & Præcaria. Abb. tamen non approbat differentiam ſingularis, & pluralis numeri.*

Ad §. Ruinæ quoque.

RUinæ quoque, & inculta prædia possunt sub annuo censu in emphyteusim concedi. Si tamen per biennium in solutione canonis cessaverit emphyteuta; nisi celeri satisfactione moram (a) purgaverit, expelli poterit, etiam si ut canonem solveret (c) sibi nunciatum non fuerit. In emphyteusi verò privata, ut cadat emphyteuta à Jure suo, exigitur cessatio à solutione pensionis per Triennium nisi aliud convenerit *l.2.C.de jure emphyteut.* Utrùm autem emphyteuta privati possit moram purgare, *Vide per Fachin. lib.1. Controvers. jur.cap.98. Et de emphyteusi vide quæ dixi in Tit. Instit. Civil.de locat. & conduct.ad §.adeò autem.*

a *Quantum autem temporis sit dandum ad purgandam hanc moram vide in cap ult.de locato, & conduc. Ingl.in verbo, celeri.*

b *Sed Judicis ne auctoritate, an propria? Vide in dict.cap.ult. in gl.in verbo, expelli.*

c *Cum hoc casu præfixus dies pro domino interpellet. Quod tamen non militat in foro pœnitentiali, & quo ad peccatum inducendum gl.hic.*

Ad §. Terrulas.

POterit quoque Episcopus (a), si necessitas fuerit, alienare Terrulas, aùt Vineolas exiguas, & Ecclesiæ minus (b) utiles, aùt longè positas, vel domos, quæ Ecclesiæ plus incommodi, quàm utilitatis afferunt, *c. Terrulas 12. q.2. Cui neque per Extravagantem, Ambitiosæ, in Commun. h.t. neque per Concil.Trid.derogatum est.* Quæ autem dicatur res exigua, arbitrio relinquitur Judicis, seù boni viri, qui consideratis Ecclesiæ alienantis facultatibus, valore rei alienandæ, & loci consuetudine, æstimabit, & judicabit, an res sit modica, *Vallens. in Decretal.h.t. §.2.num.3.& Ricc.hic in add.*

a *Sed nunquid intervenire debeat consensus Capituli, vide per gl.hic. in verbo, habebit.*

b *Idest*

Ad §. Episcopus quoque.

EPiscopus quoque poterit permutare Terras duarum Ecclesiarum suæ diœcesis, illarum accedente consensu: & pro minus valentibus, pecuniam refundi jubebit. Non tamen fieri potest permutatio de temporalibus ad spiritualia. Sed spiritualia spiritualibus possunt benè permutari, intercedente auctoritate Superioris, *gl. ult. hic. & ibi in add.*

Ad §. Præterea.

PRæterea possunt res Ecclesiæ præscribi, atque ita alienari. Dummodò tamen per Tempora (*a*) Sacris Canonibus definita justo titulo, & bona fide ità fuerint possessæ, ut nullo tempore possessor habuerit conscientiam rei alienæ. Proventus tamen primitiarum, & decimationum præscriptione tolli non poterunt, *c. jubemus §. sic etiam 16. q. 3.*

a *Quadraginta annorum, vel centum, si præscribantur res Ecclesiæ Romanæ.*

De Peculio Clericorum, relictis, & successionibus eorum.

TITULUS XXVIII.

ERgo res Ecclesiasticas ab Ecclesiæ Iuribus abdicare non licet. Ecclesiasticas autem res intelligimus non modò, quas Ecclesiæ rationibus Sacerdos compererit adscriptas, sed etiam eas, quas is emerit, cum tempore suæ promotionis nihil haberet. Hæc enim de bonis Ecclesiæ intelliguntur quæsitæ. Poterit tamen per heredem clerici probari, quòd licèt non habuerit patrimonium, lucratus tamen fuit ex aliquo licito artificio, (*a*) & ex industria, quo casu acquisita non acquiruntur Ecclesiæ, *gl. hic.*

a *Puta, quia erat bonus scriptor, vel quid simile, Abb. in cap. 1. sub num. 5. h. t.*

Ad §. Sed etsi.

SEd & relictum sacerdoti pro anima intuitu (*a*) Ecclesiæ, eidem Ecclesiæ acquiritur. Si quid tamen sub onere fideicommissi, aut Sacerdoti, aut Ecclesiæ relictum fuerit. id inter Ecclesiasticas facultates computandum non erit. Poterit tamen detrahi Trebellianica, nisi fortè Ecclesia vellet imitari Principem, qui licèt possit detrahere hujusmodi quartas, consuevit tamen donare, *gl. hic*.

a *Vide suprà in Tit. de canon. port. ad §. sed in hac specie.*

Ad §. Generaliter.

GEneraliter igitur bona quælibet ob(*a*)Ecclesiam acquisita Sacerdotibus, sive mobilia, sive immobilia, post illorum obitum debent apud eandem remanere nec super his ullum de Jure testamentum fieri poterit. Nomine autem Ecclesiæ ubi Clericorum est Collegium, ipsum Collegium intelligitur. Ubi autem in locum defuncti unus tantùm substituendus erit, is venit appellatione Ecclesiæ. Permittitur tamen clericis, ut de bonis Ecclesiasticis mobilibus aliqua pauperibus, & Religiosis locis, & his, qui ipsis viuentibus servierint, juxta servitii meritum conferant, non testamenti ratione, sed eleemosinæ duntaxat intuitu. Item si Clericus de suo proprio tantum Ecclesiæ contulerit, quantum de Ecclesiasticis bonis legaverit, legatum sustinebitur. Possunt tamen Clerici de reditibus beneficiorum suorum testari, etiã in usos profanos cum facultate Papæ.

a *Bona intuitu Ecclesiæ acquisita sunt fructus, & proventus beneficiorum collecti, & percepti, aliaque generaliter, quæ quavis Ecclesiæ, vel beneficii occasione clericis acquiruntur. Vallens. in Decret. h. t. sub num. 3. in fine.*

Ad §. De his verò.

DE his verò, quæ aùt paternæ successionis, vel cognationis intuitu, seù consanguineorum, vel amicorum munere, respectu non habito ad Ecclesiam, ad clericos pervenerint, liberè (*a*) testari poterunt. Idem si ex aliquo condecenti artificio, aut ex doctrina aliquid clericus lucraretur, putà quia assumpsisset lecturam, *cap. Relatum* 12. *in fine, de Testamentis*. Idem etiam si clericus aliquid acquirat ratione clericalis ordinis, vel officii, sed alia ratione, quàm beneficii, veluti celebrando, concionando, canendo, confessiones audiendo, Vicariæ temporali deserviendo, aùt alias similes actiones spirituales exercendo. Idem dicendum de iis, quæ beneficiatus sibi subtrahit ex debita sustentatione parciùs vivendo. *Vallens. in Decretal. h. t. sub. n.* 2. *&* 3.

a *Etiam si sit filiusfamilias, quia nihilominus de adventitiis testabitur; quod intellige ut per Abb. & alios in cap. quia nos, de Testamentis.*

Ad §. Quod si:

QUòd si clerici decesserint sine Testamento, & sine cognatione, si ingenuis gaudeant natalibus, in integrum Ecclesia succedet. Quòd si clericus non habeat Ecclesiam, bona devenient ad Episcopum, & ipse disponet secundum Deum. Bona verò servi promoti ad sacros ordines ab intestato decedentis dividuntur in quatuor partes: quarum una Episcopo, altera Ecclesiæ, Tertia pauperibus assignabitur, quarta parentibus, & si non sint (*a*) capaces parentes, Episcopus eam in usum Ecclesiæ distribuet, *cap.* 2. *de success. ab intest.*

a *Puta, quia sint hæretici.*

FINIS LIBRI SECVNDI.

AURELII AUGUSTINI MILLIARII

IN ARCHIGYMNASIO ROMANO
Pandectarum Publici Interpretis.

SELECTORUM
EX LIB. III. INSTITUTIONUM Juris Canonici

A Lancelotto Conſcriptarum, *Compendioſa Explicatio*.

De Judiciis, & illorum diviſione.

TITULUS PRIMUS.

JUS Canonicum circa tria verſatur, circa perſonas, res, & Judicia §. *ult. de Eccleſ. conſtit.* Explicito igitur Tractatu perſonarum, & rerum: reſtat, ut videamus de (*a*) Judiciis.

Judicium eſt diſcuſſio (*b*) cauſæ, quæ ritè fuit in foro coram Judice. Cauſa verò eſt origo negotii, & materia judicii. Forus autem eſt exercedarum litium locus, *cap. forus de verborum ſignificatione*.

a *De quibus auctor tractat duobus libris, uno complectitur Judicia Civilia, alio Criminalia.*

b *Sumitur enim hic Judicium pro inſtantia cauſæ diſcutiendæ, & partibus ejus.*

Ad

Ad §. Summa divisio.

SUmma (*a*) divisio Judiciorum hæc est, quòd aùt sunt secularia (*b*), aùt Ecclesiastica. Judicia sæcularia sunt, quæ coram Judice laico inter personas sæculares exercentur. Ecclesiastica verò quæ coram Judice Ecclesiastico inter personas Ecclesiasticas agitantur. Et in tantum clerici sunt ab Ecclesiastico Judice judicandi, ut nec Papa subiicere possit clericos potestati sæculari, nisi ex causa, *gl.hic*.

a *Idest, prima, præcipua, & principalis divisio.*

b *Sunt tamen quidam casus mixti fori, quos vide per Ricc. hic in add.*

Ad §. Laicus ergo.

LAicus ergo à laico debet conveniri coram Judice sæculari, non autem coram Ecclesiastico. Si tamen causa sit hujusmodi, quæ ad Ecclesiasticum forum pertineat, qualis est matrimonii, usurarum, perjurii, (*a*) & similes (*b*), licèt inter laicos disceptatio sit, Judex Ecclesiasticus adeundus erit. Quod autem causæ matrimoniales, & criminales, non Decani, Archidiaconi, aùt aliorum inferiorum judicio, etiam visitando, sed Episcopi tantùm examini, & jurisdictioni relinquantur, mandat *Concil. Trid. sess. 24. cap. 20. de reform.* Potest etiam Ecclesiasticus Judex inter laicos judicare, si vel à sæculari Judice justitia impetrari (*c*) non potest, vel consuetudo loci, vel miserabilitas personarum id suadeat. Quæ autē sint miserabiles personæ, & quando possint immediatæ Judicem Ecclesiasticum adire *Vide per Abb. in cap. licèt ex suscepto, sub num. 7. de foro compet.*

a *Potest tamen de juramento esse cognitio Judicis sæcularis, puta, si agatur de observantia juramenti, non de validitate, gl. hic.*

b *De quibus vide gl. penult. in cap. licèt, de foro comp. & etiam Vallens. in Tit. Decret. de foro comp. §. 1. num. 12.*

c *Puta, ex negligentia Judicis sæcularis.*

Ad

Ad §. Pari ratione.

CLerici (*a*) verò clericos coram Judice laico convenire non poſſunt:cui beneficio,neq;cum juramento poſsunt: clerici renunciare. In Judicem tamen non ſuũ,ſi is perſona ſit Eccleſiaſtica,& Epiſcopi diœceſani conſenſus acceſſerit,clerici conſentire poterunt. Juriſdictio enim Eccleſiaſtici poteſt prorogari in Eccleſiaſticum, non tamen juriſdictio laici in Eccleſiaſticum. *Hodie per Concil.Trid.ſeſſ.23.cap.6. de reform.* ſtatum eſt, quod Clericus prima Tonſura initiatus,aùt etiam in minoribus ordinibus conſtitutus fori privilegio non gaudeat, niſi beneficium Eccleſiaſticum habeat; aùt clericalem habitum, & Tonſuram deferens, alicui Eccleſiæ ex mandato Epiſcopi inſerviat; vel in ſeminario clericorum, aùt in aliqua ſchola, vel Univerſitate, de licentia Epiſcopi, quaſi in via ad majores ordines ſuſcipiendos, verſetur.

a *Si laicus trahat clericum ad forum ſæcularem perdit cauſam, gl.hic.*

Ad §.Quod ſi inter.

QUod ſi inter clericum, & laicum ſit contentio, & clericus ſit reus, cauſa dirimenda erit apud Eccleſiaſticũ forum, ſi verò laicus ſit Reus, cauſa erit agitanda apud forum ſæcularem. Cùm generale ſit, ut actor forum Rei (*a*) ſequatur. Ualet tamen conſuetudo, quod laicus conveniatur coram Iudice Eccleſiaſtico per clericum, *cap ſi clericus 5.de foro comp.* Sed è contra, non valet conſuetudo, quod clericus conveniatur coram Judice laico. Non poteſt igitur laicus judex clericos condemnare, quod ſi fecerit, excommunicandus (*b*) erit.

a *Hoc tamen non procedit in caſibus de quibus ſuprà, ad §.laicur ergo, h.t.*

b *Per ſententiam.*

Ad §. Dubitari.

QUod si judex laicus delinquentem captum detineat, qui se clericum asserat, an sit, nec ne, ad Ecclesiasticum judicem cognitio pertinebit. Judex tamen sæcularis, vel alius, cuius intersit, dum res hujusmodi cognoscitur, vocandus erit. Sed si notorium fuerit, vel fama publica extiterit, reum captum talem esse clericum, qui clericali privilegio gaudere debeat, aùt ipse pro clerico communiter habeatur, statim antè ullam de clericatu cognitionem Ecclesiasticæ curiæ restituendus erit. Et debet clericus honestè remitti, & sine ignominia, aliàs punitur judex ignominiosè remittens clericum. *Caval. hic sub num.* 8. Ubi refert fuisse privatum quemdam judicem laicum, qui clericum delinquentem remiserat Ecclesiasticæ Curiæ cum ignominia. Item si quis ante deprehensionem pro clerico publicè se gerens, in habitu clericali deprehensus fuerit, statim ante ullam de clericatu cognitionem Ecclesiasticæ Curiæ restituendus erit: donec enim contrarium constiterit, talis, qualem eum demonstrat habitus, præsumendus erit. Si verò antequàm deprehenderetur, publicè se pro laico gerebat, ac pro tali communiter habebatur: quanvis tempore deprehensionis repertus fuerit in habitu clericali, non tamen anteà restituendus erit, quàm de clericali Titulo per publicum Instrumentum suæ ordinationis, vel per testes, coram judice Ecclesiastico fidem fecerit. Pendente tamen probatione Tituli clericalis, quivis processus judicis contra eum penitus conquiescet.

Ad §. Est & alia.

Est & alia divisio (*a*) judiciorum, nàm Ecclesiasticorum, quædam sunt ordinaria, quædam verò extraordinaria, sive delegata. Judicium ordinarium est, quod (*b*) coram judicibus ordinariis exercetur, Ordinarius Iudex est, qui suo jure, vel superioris beneficio universalem jurisdictionem exer-

execere poteſt, ut Epiſcopus, Archiepiſcopus, Legatus, & ſimiles. Conſtituitur autem Judex ordinarius à lege, à Principe, conſuetudine, vel Univerſitate. Et Univerſitas dat ordinariam juriſdictionem, dum eligit Rectorem, & quando Princeps, vel lex, ſeù conſuetudo tribuit ſimpliciter juriſdictionem ſuper unam Provinciam, ſeù ſuper unam Civitatem, vel Caſtrum, ſeù concedit juriſdictionem ſimpliciter ſuper univerſitate cauſarum, videtur concedere ordinariam, niſi exprimat verbum, delegamus, vel facias auctoritate noſtra, nàm tunc facit eum delegatum. *Abb. in cap. Relatum ſub num. 5. de offic. & poteſt. jud. deleg.* Igitur cum Epiſcopus in tota ſua diœceſi habeat juriſdictionem (*c*) ordinariam, poterit in quolibet loco ſuæ diœceſis non exempto, per ſe, vel per aliũ, pro Tribunali ſedere, & ea, quæ ad ipſius ſpectant officium, libere exercere. Idem intellige de Legato circa ſuam Legationem, & de Archiepiſcopo circa propriam diœceſim, ſed non quoad Provinciam, *gl. hic*.

a *Subdiviſio, quia hic dividuutur judicia Eccleſiaſtica.*

b *Ordinaria interdum alio ſenſu ſumuntur, ut infrà eodem §. ult.*

c *Noviſſimè in favorem ordinariorum multa conſtituit Concil. Trid. ſeſſ. 6. cap. 3. & ſeſſ. 24. cap. 11. & 20. de reform.*

Ad §. Extraordinarium.

EXtraordinarium, (*a*) ſive delegatum judicium eſt, quod coram judice delegato exercetur. Judex delegatus eſt is, cui ab eo, qui demandare poteſt, cauſa committitur. Poſſunt autem juriſdictionem mandare, nonſolùm Princeps, verum etiam alii ordinarij. Delegatus tamen à Principe, cæteris longe præſtat. Nàm & alteri ex cauſa poteſt (*b*) ſubdelegare, niſi illius electa fuerit induſtria, & ſubdelegatum compellere ad acceptandam ſubdelegationem. Sed delegatus ordinarii ſubdelegare (*c*) non poteſt. Si vero delegatus à Principe vult ſubdelegare ſine juſta cauſa, diſtinguendum eſt, aùt non facit in fraudem alicujus: ſed quia non vult ſe implicare litigiis: & poteſt ſubdelegare, ac compellere ſubde-

legatum ad acceptandam subdelegationem: aùt malitiosè vult subdelegare, & in fraudem alicujus, & tunc licèt valeat subdelegatio, tamen non potest compellere renitentem: In dubio tamen non præsumitur in fraudem subdelegare, *gl. hic*. In verbo, ex causa. Potest etiam delegatus Principis propriam sententiam (*d*) exequi, & contra ipsum ordinarium procedere: quæ in cœteris delegatis non obtinent. Non tamen in civili causa alteri parti, ut coram se personaliter in judicio compareat jubere (*e*) poterit, nisi vel mandatum ad hoc speciale receperit, vel nisi juris (*f*) necessitas partes coram eo exigat personaliter præsentari. Cùm enim liberum sit cuilibet per se, vel per Procuratorem respondere, beneficium juris nemini est auferendum. Sed nec omnibus promiscuè vices suas delegatus à Papa demandare poterit: sed illis duntaxat quibus auctoritate literarum Sedis Apostolicæ, vel legatorum ejusdem causæ committuntur: hoc est nonnisi dignitate præditis, aùt personatum (*g*) obtinentibus, vel Ecclesiarum Cathedralium Canonicis, *cap. Statutum 9. de rescript. in 6. Et novissimè Conc. Trid. sess. 25. cap. 10. de refor. statuit* in singulis Conciliis Provincialibus, aùt diœcesanis aliquot personas, quæ qualitates habeant juxta Constitutionem Bonifacii VIII., quam habemus *in d. cap. Statutum*, & alioquin ad id aptas designari, ut præter ordinarios locorum, iis etiam causę Ecclesiasticæ, ac spirituales, & ad forum Ecclesiasticum pertinentes, in partibus delegandæ committãtur: ita ut habeat quæque Diœcesis quattuor saltem probatas personas, ac ut suprà qualificatas; quibus hujusmodi causæ à quolibet Legato, vel Nuntio, atque etiam à Sede Apostolica committantur: alioquin post designationem factam, quam statim Episcopi ad Summum Romanum Pontificem transmittere debent, delegationes quæcunque aliorum judicium aliis, quàm his factæ, surreptitiæ censeantur.

a *Judicium delegatum appellatur extraordinarium, quia exercetur coram Judice non ordinario.*

b *Non potest tamen subdelegare, cum potestate subdelegandi. In eòque distinguitur ab ordinario, vide Vallens. in tit. Decret. de offic. del. §. 1. num. 5.*

c *Potest*

c *Potest tamen ordinarius delegare cum potestate subdelegandi. Vide Vallens. in Tit. Decret. de offic. del. §. 1. num. 5.*
d *Intra annum, cap. quarenti 26. de offic. deleg.*
e *Dic idem in ordinario.*
f *Veluti pro veritate dicenda.*
g *Idem de officialibus Episcoporum principalibus, & foraneis, & de prioribus religiosis conventualibus, & claustralibus. gl. hic.*

Ad §. Item mandari.

JTem mandari potest jurisdictio, tàm uni quàm pluribus, certis tamen. Et quando pluribus mandata est, non adjecta Clausula: Quod si omnes interesse nequiverint, vel noluerint, reliqui exequantur: debent simul omnes conjunctim procedere. Potest tamen is, qui interesse non potest, vel conjudici (*a*) suo, vel alii vices suas committere. Et quando plures Judices dati discrepant in prolatione sententiæ, valet sententia majoris partis. Et si essent in pari voto, utraque sententia in pendenti esset, donec superior unam earum confirmaverit, *l. duo Judices, & ibi gl. ult. ff. de re judic.* Si verò pluribus mandata jurisdictione, dicta clausula adiecta sit: collegarum impeditorum subdelegatos admittere cogendi non erunt qui interesse possunt, & volunt, & quod pars illorum fecerit, ratum habendum erit. Hoc tamen ita demum obtinet, si his procedere volentibus, alios interesse non posse, vel omninò nolle legitimè constiterit. Porrò uno illorum commissum negotium incohante, etiam per solam citationem, alii ulterius se intromittere non poterunt, nisi aùt infirmitate, vel alia justa causa, ille impediatur (*b*) causam finire, aùt idem nollet, vel malitiosè in ea procedere recusaret. Jurisdictione verò perpetuata mandatore vivente per unum ex judicibus delegatis: perpetuata intelligitur quoad omnes. Et perpetuatur etiam per solam (*c*) citationem, *cap. gratum* 20. *de offic. & potest jud. deleg.*

a *Non tamen is poterit tunc ea ratione ferre duas sententias. gl. hic.*
b *Et subdelegatum non dederit.*

c *Vide Vallens. in Tit. Decret. de offic. deleg. §. 5. num. 1.*

Ad §. Sed sive uni.

SEd sive uni, sive pluribus, sive à Principe, sive ab alio mandata fuerit jurisdictio, mandati fines diligenter custodiēdi erunt. Aliàs si fecerit delegatus contra mandatum, sive excesserit formam rescripti, processus erit nullus, *cap. Venerabili 37. de offic. deleg. cap. cum dilecta 22. de rescript.* Planè jurisdictionem impedientes, vel in judicium venire detrectantes, delegatus à Principe Ecclesiastica districtione, etiam si id expresè mandato non comprehendatur, coercere poterit, vel secundum arbitrium suum, inspecta delicti, causæ, & personæ qualitate, si non sit certa pœna in jure expressa, eos mulctare. Rationabiles quoque, & honestas exceptiones admit- delegatus, nisi exprimatur(a) in literis quod nullæ debeāt exceptiones admitti. Et, secundum quosdam, constet talem fuisse intentionem Papæ, quod voluerit quamcumque exceptionem removere: alias non obstante generali remotione admitti poterunt rationabiles exceptiones: quod quomodò procedat, latè per Doctores *in cap. ex parte 13. de offic. & potest. jud. deleg.*

a *In cap. ex parte 13. de offic. deleg. additur: Quod nec nos, nec antecessores nostros credimus unquam expressisse.*

Ad §. Sed etsi literas.

ET quamvis delegata jurisdictio ad personas rescripto non comprehensas, etiam ipsis volentibus prorogari non possit: Tamen extenditur aliquando rescriptum ad personam in eo non expressam, ut si literas adversus Titium à Papa impetraveris, & is, ut mandatum eludat, de possessione, de qua controversia vertitur, commutationem fecerit: Tunc enim eum, qui in possessionem se ingesserit, poterit delegatus cogere, ut coram se juris pareat æquitati: generaliter enim omnis venditio, cessio, & alienatio judicii mutandi causa facta, utroque jure prohibetur. Ut tamen habeat

locum,

locum, quod hic dicitur, non solùm requiritur dolus ex parte alienantis, sed etiam ex parte ejus, in quem fuit alienatio facta.

Sic de loco ad locum fuit extensio Apostolici (*a*) mandati, quoties mandatum in loco expresso in mandato, securè, aùt commodè executioni mandari nequit: Tunc enim ad id exequendum locum securum, & idoneum poterit delegatus eligere.

a *Non tamen est idem in mandato ordinarii, vide gl. hic, in verbo, ab Apostolica Sede.*

Ad §. Solvitur.

SOlvitur autem delegatio Primò Revocatione mandati facta à mandante re integra. Et res dicitur integra antequàm is, cui mandata fuit jurisdictio, ea uti (*a*) cœperit.

Secundò solvitur delegatio (*b*) morte, tam delegantis, si re (*c*) integra decesserit, quàm delegatorum. Et quamvis unus tantùm ex pluribus delegatis moriatur, adhuc delegatio etiam quoad superstites expirat: nisi aliud in delegatione sit expressum, vel nisi delegatio sit facta sub nomine dignitatis, quia tunc mortuo eo, qui est in dignitate constitutus, jurisdictio transit in successorē, etiam re intera. Quod si delegatus à Papa quoties eum abesse contigerit, vices suas alicui commiserit, vel donec eas revocandas duxerit, & deinde moriatur, poterit nihilominus subdelegatus commissum sibi negotium liberè definire, si, illo vivente, jurisdictione uti (*d*) cœperit.

Tertio extinguitur delegatio impedimento delegati tàm juris, quàm facti. Juris, ut si infamis factus fuerit. Facti, vt si infirmitate impediatur.

Quartò jurisdictio delegati à Principe cessat si delegatus per se, vel per alium sententiam executioni mandavit, vel mandari (*e*) præcepit. Delegati verò ab aliis ordinariis propriam sententiam non exequuntur §. *possunt autem h.t.* Ideòq; eorum jurisdictio expirat lata sententia.

Quintò expirat jurisdictio Judicis delegati si delegatus

ipse

ipſe interloquendo pronunciaverit ſe ſuper aliqua cauſa Judicem incompetentem. Quo Caſu nec etiam ex litigatorum conſenſu juriſdictionem reaſſumere poterit.

Sextò ſolvitur delegatio, temporis fluxu; Cùm enim cauſa intra certum terminum decidenda committitur, termino tranſacto, mandatum expirat: niſi tempus communi partium (*f*) conſenſu prorogatum fuerit. Nàm licèt conſenſus partium nequeat facere Judicem, *l.3. C. de juriſdic. omn.jud.* poteſt tamen veri Judicis juriſdictionem, priuſquam ea expiraverit, prorogare, *l.2.§.Si & judex ff.de judic.* Hoc tamen intelligendumeſt, quando terminus appoſitus eſt fauore partium, aliàs ſecus. Terminus autem tunc incipit currere cum judices literas recipiſſe contigerit.

a *Qualitercunque.*

b *Secus eſt in excitatione antiquæ poteſtatis.*

c *Ideſt antequam deventum ſit ad citationem. Vide Abb. in cap.relatum 19. de offic.del ſub num. 5. & 6. & Vallenſ. in Dec.eod.tit.§.5.n. 1.*

d *Qualitercunque, etiam citra litis conteſtationem, gl. hic.*

e *Et effectum habuit mandatum.*

f *Et etiam judicis l.2. §.ſi & judex.ff.de judic.*

Ad §. Non abſimili.

ITem ſi quis impetret literas delegationis à Papa, & deinde infrà annum poſtquam copiam judicum habuerit, ex malitia, vel negligentia eis uſus non fuerit, auctoritate poſteriorum literarum, quas ejus adverſarius impetraverit, (*a*) conveniri poteſt: licèt poſteriores de prioribus non faciant mentionem. Sed quis probabit hanc negligentiam. ℞. Tranſitus anni, nec alia interpellatio erit facienda: niſi ille vellet oſtendere contrarium, *gl.hic.*

a *Aliàs non data impetratione & præſentatione ſecundi reſcripti, valet primum perpetuò, gl.hic.*

Ad

Ad §. Recusatione.

Recusatione quoque extinguitur delegatio, cùm scilicèt Judex datus actore, vel reo petente, ob probabilem aliquam suspicionis causam à judicio removendus pronunciatur: ut puta si Judex datus dicatur alterius partis consanguineus, aùt advocatus. Effectus autem recusationis est, quod postquam fuerit proposita, pendente desuper cognitione, Judex in causa supersedere, nec ad ulteriora procedere debeat: aliàs processus erit nullus ipso jure, & sententia, si quam tulerit, ipso jure nulla.

Recusationis autem Causa variè cognoscitur, nam si contra unum (*a*) ex duobus à Papa delegatis, suspicionis causa proponatur, siquidem in rescripto delegationis illa Clausula apposita sit: Quòd si ambo interesse non possunt, alter in causa procedat, causa ipsa suspicionis coram non recusato (*b*) conjudice probari, & ab eo expediri debebit. Ubi verò non est dicta Clausula in rescripto delegationis apposita, super hoc assumendi sunt arbitri. Cùm autem delegatus (*c*) Episcopi recusatur, recusationis causa coram Episcopo probanda erit: licèt coram ipso, qui recusatur, sit allleganda. Idem in subdelegato delegati ipsius Papæ, *cap. super quæstionem* 27. §. *quem verò, de offic. & potest. jud. deleg.* Idem si officialis Episcopi recusetur: licèt ad ipsum, ab eodem Officiali nequeat appellari, *cap. Si contra* 4. *in fine, de offic. & potest jud. deleg. in* 6.

a *Si vero suspicionis causa proponatur contra omnes, pro cognoscienda causa suspicionis eligendi sunt arbitri. Caval. hic, sub num.* 3.

b *Qui interim non poterit in principali causa procedere.*

c *Si antē Episcopus ipse recusaretur, eligerētur arbitri jure enim Canonico etiam ordinarius recusari potest ut suspectus, cap. secundo requiris.* §. 3. *& cap. cum speciali, de Appell. vide Vallens. in Tit. Decret. de appell.* §. 18. *num.* 9. *&* 10.

Ad §. Rursus.

RUrsus judiciorum quædam sunt Summaria, quædam ordinaria, & solemnia. Summaria sunt, in quibus subtili, & solemni ordinis judiciarii observatione prætermissa, simpliciter, & de plano sine strepitu, ac figura judiciali, proceditur. Ut sunt Causæ electionum, provisionum, matrimonii, usurarum, & (*a*) similes. Itaque de his Judex etiam tempore feriarum, ob hominum necessitates (*b*) indultarum cognoscet. Judicicium ordinarium, & solemne est, in quo exquisito, & solemni juris ordine (*c*) servato proceditur: ut puta, libellum porrigendo, litem contestando, & alia faciendo, de quibus infrà latius videbimus. Ità tamen in judiciis summariis remittuntur solemnitates judicii, & solemnis ordo procedendi, ut probationes necessariæ, & defensiones legitimæ non excludantur.

a *Puta super beneficiis, super decimis, & aliis, quę enumerantur in Clement. dispendiosam, de judiciis.*

b *Secus in honorem Dei.*

c *Et propterea fortè appellatur ordinarium.*

De Procuratoribus.

TITULUS SECUNDUS.

EXpositis generibus judicorum, consequens nunc est ut videamus, per quas personas illa exerceri possint. Exercemus igitur judicia non solùm per nos metipsos, verum etiam per Procuratores nostros, aùt syndicos. Procurator est, qui aliena negotia mandato domini, vel quasi domini administrat. Quòd si quis sine mandato negotia aliena gerat, non est verus procurator, sed propriè dicitur negotiorum gestor §.igitur cum quis, *Inst. de oblig. quæ ex quasi contr. nasc.* Atque in definitione addita sunt verba illa: vel quasi domini: Quia jure Canonico nomine Procuratoris venit etiam is, qui à non domino constituitur, veluti à Prælato,

to, vel aliis clericis in causis Ecclesiasticis *cap. 1. & passim, de procur.* Syndicus est Universitas defensor, & Procurator. Et licèt constitutus fuerit ad unam tantùm causam, nihilominùs dicitur Syndicus, secundum communem opinionem.

Porrò Procuratorum duæ sunt species: alii enim dantur ad judicia; alii ad negotia extra judicium explicanda. Et quia supradicta definitio (*a*) pertinet potiùs ad procuratorē constitutum ad negotia, quàm ad procuratorem datum ad judicia, ideò Procurator ad judicia poterit specialiter definiri, ut sit, qui ad agendum, vel defendendum ex mandato domini, vel quasi domini constituitur. Qui tamen ad defendendum ex mandato constituuntur, etiam defensores dicuntur, & qui mandatum non habent, quasi procuratores, quasi defensores sunt, *l. Pomponius* 40. *§. sed & is, & l. Plautius* 61. *ff. de procurat. & defens.*

a *Vide in meis côment. Inst. ad §. Procurator, de iis, per quos agere possumus.*

Ad §. Potest autem.

POtest autem ad judicia procurator constitui tam paterfamilias quàm filiusfamilias, etiam sine patris consensu; dummodò legitimam habeat ætatem. Licèt enim major annis decem et septem procurator ad negotia licitè constituatur: ad judicia tamen solùm major 25. annis constitui potest. Iure verò Civili ad hoc, ut quis possit esse procurator ad agendum, vel defendendum, sufficit, quod decimumseptimum annum impleverit, ut diximus *in Tit. Inst. qui, & quib. ex caus. man. non poss. ad §. eadem lege, in fine.*

Ad §. Aliud tamen.

PRincipalis tamen in causis beneficialibus, & aliis spiritualibus, (*a*) nec non ab eisdem dependentibus, (*b*) si major sit annis (*c*) quatuordecim, ad agendum, defendendumque per se, vel per procuratorem perinde admittendus erit, atque si major esset (*d*) annis 25. nec ulla erit habenda ratio patriæ potestatis. Quòd si principalis sit minor qua-

 tuor-

tuordecim annis, ad causas (*e*) suprà dictas ei dandus erit Curator ab Episcopo, vel ejus Officiali, vel etiam à Papæ delegato, & ab eodem subdelegato, ad eas tamen causas, (*f*) quæ coram ipsis agitantur. Vel si dictus impubes major (*g*) infante fuerit, procuratorem constituere poterit cum auctoritate Episcopi, vel ejus Officialis, vel etiam delegati, aùt subdelegati suprà dicti.

a *Puta, matrimonialibus, & aliis similibus.*

b *Ut dote, quæ dependet à matrimonio.*

c *Annum 14. intellige in mare, in muliere 12. gl. hic.*

d *Et propterea etiam sine Curatore.*

e *De temporalibus verò, & non dependentibus à spiritualibus Episcopus se intromittere non debet: nisi fortè ratione personæ, puta si clericus esset.*

f *Delegata enim causa, & omnia delegata videntur sine quibus causa &c.*

g *Sed quam Causam spiritualem tractare poterit minor infante? ℞. fortè dispensatione Papæ adeptus est beneficium, de quo agit, vel defendit.*

Ad §. Constitui autem.

Constitui autẽ poterit procurator non solùm clericus verùm etiam laicus. Regulariter enim quilibet potest esse procurator, nisi specialiter sit prohibitus. Et tam unus, quàm plures possunt in una Causa constitui procuratores. Et si duo (*a*) sint in solidum constituti: melior erit conditio illius, qui per litis contestationem negotium primus occupaverit: nisi in mandato fuerit expressum, quòd occupantis conditio melior esse non deberet. Tunc enim si is, qui occupavit, aùt legitimè impediatur, aùt prosequi nolit, poterit alter negotiùm ab alio inchoatum suscipere, ac perficere, dum tamen is, qui cessat prosequi, alium non substituerit. Si verò duo non insolidum eodem tempore constituantur procuratores, unus sine altero procedere (*b*) non poterit. Secus si diversis temporibus, quia constituendo secundum, videtur primum revocare, etiam si secundus nolit suscipere mandatum.

a *Omnia*

a *Omnia, quæ sequuntur sunt desumpta ex cap. si duo, de procurat. in 6.*

b *Quia hi duo censentur pro uno.*

Ad §. Sed sive unus.

SEd sive unus sit procurator, sive plures, fines mandati diligenter custodiendi erunt, usque adeò ut si generaliter quis ad omnia, etiam speciale (*a*) mandatum exigentia, constitutus procurator fuerit, ex vi generalitatis hujusmodi non possit explicare ea, quæ exigunt mandatum speciale: nisi, adiecta clausula generali, aliquis, vel aliqui de articulis speciale mandatum exigentibus specificati sint, ut si dicatur: Constituo Titium procuratorem ad omnia, etiam speciale mandatum exigentia, puta ad Transigendum, & jusiurandum deferendum: Tunc enim (*b*) cętera quoque exigentia speciale mandatum, poterit Titius explicare. Non tamẽ opponere poterit (*c*) crimina, (*d*) vel defectus cõtra electum, vel provisum, eligendum, vel providendum, nisi aliud super hoc in mandatis habeat.

a *Quæ sint ista per DD. in cap. qui ad agendum, eod. tit. in 6.*

b *Non tamen omnia: quia nec tunc poterit contrahere matrimonium.*

c *Nisi de hoc habeat mandatum. Non est tamen necessè, quod crimina, vel defectus specificentur in procuratorio.*

d *Graviores enim, vel majores sunt obiectus criminis, vel defectus, quam exigentia speciale mandatum.*

Ad §. Sed & illud.

QUamvis autem procurator ad negotia possit liberè aliũ (*a*) substituere quandocunque. Procurator tamen ad judicia non potest alium procuratorem dare, nisi post litem (*f*) contestatam, vel nisi in rem (*g*) suam datus sit, vel à domino substituendi sibi fuerit concessa potestas, *cap. 1. §. 1. & 2. h. t. in 6.*

a *Hoc fallit in procuratore dato ad contrahendum matrimo-*

 nium

nium, cap. vlt. de procur. in 6.

b *Ab ipso procuratore, qui vult substituere.*

c *Puta, quia mihi nomine donationis sunt actiones cessæ, & datus sum procurator ad eas intentandas.*

Ad §. Non tamen.

NOn tamen in omni judicio procurator intervenire potest. In criminalibus enim causis non admittitur pocurator, neque ad agendum, neque ad defendendum. Quandoque tamen, licèt de crimine tractetur, procurator admittitur. Et primò si ab illustri propulsanda sit iniuria. Secundò si rei contumacia sit excusanda. Tertiò si contra actorem sit excipiendum. Quartò si de levi crimine tractetur. Quintò si de gravi crimine agendum sit, civiliter tamen agatur. Et levia delicta dicuntur ubi dolus non intervenit, ut quando aliquid contingit per imperitiam, uel culpam sine dolo: vel quando dolus intervenit sed circa rem modicam. Delicta verò gravia sunt, in quibus intervenit dolus, & tendunt in grave præjudicium alterius, seù Reipublicæ, ut furtum, perjurium. *Vide Abb. in cap. tuæ discretionis, sub num. 3. de pœnis.*

Ad §. Sed nec omnes.

SEd nec omnes possunt esse procuratores. Nàm Episcopus, & universi Sacerdotes ab hujusmodi ministerio excludendi sunt. Monachi quoque prohibentur esse procuratores: nisi monasterii exigente utilitate, vel necessitate, & Abbatis jussu (*a*) accedente.

a *Gestum tamen à monacho utiliter, posset Ecclesia ratum habere, gl. hic.*

Ad §. Postulandi.

ADvocationis quoque officium clericis, in minoribus etiam ordinibus constitutis, si stipendiis sustentantur. Eccle-

Ecclesiasticis, coram sæculari judice in sæcularibus (a) negotiis interdicitur: nisi in propria causa, vel Ecclesiæ suæ, vel nisi urgente necessitate pro conjunctis, aùt miserabilibus personis postulare velint. Quid si non habeat Clericus beneficium Ecclesiasticum, & tamen est in sacerdotio, vel sacris constitutus, an possit postulare, ut inde vivat? R̷.affirmativè. Idem in eo dicendum, qui non habet sufficientia stipendia, *gl.hic.*

a *Secus igitur in Ecclesiasticis. Veluti si persona Ecclesiastica sequendo forum Rei litigaret coram sæculari judice.*

Ad §. Hi verò, cum §.seq.

EXcommunicati verò, non solùm procuratorio nomine in judicio esse non possunt, verùm etiam nec proprio. Si tamen sint Rei, legitimæ defensionis copia non est eis adimenda. Non tamen possunt reconvenire, ne quod in defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendatur, *cap.Cum inter de exceptionibus.* Procurator autem Universitatis non potest à judicio repelli, ex eo quod majores, & jurati, (a) per quos eadem Universitas regitur, tempore quo injunctum fuit procurationis officium erant excommunicati, nisi essent illi expressi in literis procurationis, vel aliàs eorum auctoritate procuratoris institutio facta fuisset: aùt ipsa Universitas sciens eos esse tales unà cum eis eundem procuratorem constituisset, *cap.ult.de procurat.*

a *Sic appellantur à juramento, quod præstant de officio fideliter exercendo.*

Ad §. Tandiu, cum pluribus seq.

POtest autem Procurator revocari non solùm expresè, sed etiam tacitè: puta si dominus per se incipiat causam (a) tractare, sivè antea litem contestatam, sivè (b) post. Nisi expresè protestetur, quod ipsum revocare non intendit: vel aliàs hoc appareat ex probabilibus conjecturis, ut si forsam aliquis immineat articulus, in quo dominus noscit melius

lius veritatem, aùt si sit procurator ipse infirmus, vel forsitam se absentet, *cap. si quem, in fine de procurat. in 6.* Si quem tamen sub ea forma: Quoties te abesse contigerit: constitueris procuratorem; licèt postmodum per te ipsum causam tractes, non propterea tamen procuratorem revocare videris. Quin immò idē procurator quandocunque abesse te cōtigerit, procuratoris assumet officium. Hæc autem de revocatione domini sunt intelligenda. Nàm si procurator tuus alium procuratorem legitimè (*c*) substituat, non potest substitutum, postquam mandatum suscepit, revocare, nisi ultra potestatem substituendi, etiam potestas revocandi fuerit eidem concessa. Si autem quis erat procurator ad plures causas, & in una, vel altera substituit, (*d*) in reliquis se intromittere non prohibetur. Ratum etiam esse debet judicium, in quo procurator revocatus, quasi procurator postmodum versatus est, si revocationem judex, & adversarius (*e*) ignoraverunt. Non sic tamen in matrimonio statuitur matrimonium enim contractum per procuratorem (*f*) revocatum, licèt revocatio non venerit ad notitiam partium, non tenet; cùm defecerit constituentis consensus, sine quo matrimonium firmitatem habere non potuit. Quòd si scientibus judice, & (*g*) parte fuit in judicio processum per procuratorem revocatum, tam alia acta, quam ipsa sententia non tenet.

a *In prima instantia vel in secunda. Idem in procuratore substituente alium.*

b *Hoc intellige quando domino post litem contestatam non contradicitur litis assumptio. Si autem contradicitur, causa cognita revocabitur, alias non, gl. in cap. Si quem §. ult. in verbo, sivè post, de procurat. in 6.*

c *Ut quia habet potestatem substituendi.*

d *Cap. 3. §. ult. de procurat. in 6.*

e *Maximè post contestatam litem. vide cap. 13. juncta gl. de procurat.*

f *Et potest dominus revocare, etiam si juraverit non revocare, licèt perjurus sit.*

g *Sufficit scientia judicis. aùt partis. Vide Abb. in cap. 13. sub num. 5. de procurat.*

Ad

Ad §. Non idem, cum §. seq.

NOtate, quòd is, qui absens procurator (*a*) constitutus refutaverit mandatum suscipere: illud nihilominus acceptare poterit, quamdiu constituens in eadem perseveraverit voluntate. Qui verò scienter recepit (*b*) literas, vel instrumentum, quibus eum aliquis in causis suis procuratorem constituens pro eo debito modo (*c*) cavit, non potest postea recusare illius defensionem.

a *Tam ad judicia, quàm ad negotia.*

b *Per quas etiam constituitur procurator et est casus, quo literæ, & sigillum privati facit fidem.*

c *Scilicet de judicato solvendo. Loquitur enim hic de procuratore rei.*

Ad §. Ultimum.

ITem notate, quod morte quoque constituentis desinit quis esse procurator, quòd interdum obtinet, etiam re non integra, veluti si esset constitutus procurator à Prælato, vel Rectore pro beneficio suo, (*a*) vel Ecclesia.

a *Secus si pro Causa sua propria, & privata, quia tunc mandatum finiretur morte, re integra, secus non integra.*

De Pactis, & Transactionibus.

TITULUS TERTIUS.

VIdimus per quos exerceantur judicia, videndum nunc est de serie, & actis ipsorum judiciorum. Sed quia interdum accidit, ut judiciorum metu veniant litigaturi ad pacta, & transactiones, aut ad arbitros declinent, ideò ponitur hic de pactis, & transactionibus, & de Arbitris in titulo sequenti.

Pactum genericè sumptum comprehendit tanquam species omnes contractus, transactiones promissiones, & conven-

ventiones, atque ità in genere definitur quod sit duorum plriumve in idem placitum consensus, *l. 1. ff. de pactis*. In specie verò sumitur pactum pro conventione gratuita de re certa, & non litigiosa. Et à transactione distinguitur quia transactio est de re dubia, & lite incerta, neque finita, non gratuita pactio, *l. 1. ff. de Transactionibus*, *l. Transactio 38. C. eod.* Et quamvis etiam pactum actu fieri possit ob causam, tamen natura sua, quæ magis spectari debet, est gratuitum. transactio verò semper fit ob causam: Nullo enim dato, vel retento, seù promisso Transactio minimè procedit, *dicta l. Transactio 38. C. de Transactionibus*.

Ad §. Et quidem, usque ad §. Transactiones.

ET quidem pacta inter quoscunque quacunque (*a*) de re inita, regulariter sunt observanda. Et tantam habent firmitatem, ut ex eis, licèt nuda sint, etiam Actio de Jure Canonico oriatur. Et etiam pactum, per quod filia dotata renunciat (*b*) hereditati paternæ, si juramento vallatum sit (licèt lege Civili improbetur) servari (*c*) debet: Cùm tale pactum non vergat in æternæ salutis dispendium. Renunciatio tamen facta, etiam cum juramento, ab ea, quæ est ingressura monasterium, non valet nisi cum licentia Episcopi, sivè ejus Vicarii fiat intra duos menses proximos ante professionem. *Concil. Trid. sess. 25. cap. 16. de regular. & monial.* Quod si pactum servatum in animæ tendat detrimentum, nullam inducet obligationem.

a *Ista generalitas verè restringitur, & præsertim ut in fine hujus §.*

b *Dum nuptui traditur, vel antè, vel jàm tradita.*

c *Sivè sit factum cum patre, sivè cum fratribus, vel aliis consanguineis, & possunt Iudices sæculares compelli per censuram Ecclesiasticam ad servandum hoc jus Canonicum. gl. hic.*

Ad

Ad §. Transactiones.

TRansactiones quoque juri non contrariæ, sunt omninò servandæ, & juribus omnibus, quæ partibus quocunq; modo suffragari poterant, vires adimunt. Si verò sint juri contrariæ, veluti quia super re (*a*) sacra litigiosa, aùt in causa matrimonii interpositæ sint, nullum robur obtinent.

a *Possunt tamen litigantes super re sacra inter se gratis, & amicabiliter componere gl. hic.*

De Arbitris.

TITULUS QUARTUS.

COntinuatur Titulus iste ut suprà in continuatione Tituli proximi.

Arbitri dicuntur propriè, qui nullam potestatem habentes, consensu litigantium in judices eliguntur, in quos compromittitur, ut eorum sententiæ stetur. Et arbitrorum tres sunt species: quidam sunt, qui de partium consensu sic adsumuntur, ut de controversia sibi commissa, servato juris ordine, pronuncient. Et hi propriè Arbitri dicuntur, & etiam Arbitri Compromissarii appellantur, & de his loquitur *l.* 1. *ff. de recept. arbitris*. Alii sunt qui de partium consensu sic adsumuntur, ut sine aliquò juris ordine de re arbitrentur, & statuant, prout æquum eis videbitur. Et tales vulgò Arbitratores, (*a*) seù Amicabiles compositores vocari solent. Alii sunt, qui ex necessitate juris, aùt Statuti adsumuntur. Et hi appellantur Arbitri juris. Ex necessitate juris, ut si judex allegetur suspectus: Tunc enim eligendi sunt Arbitri, qui de causa suspicionis cognoscant, *cap. suspicionis* 39. *de Offic. & pot. jud. del.* Ex necessitate Statuti, veluti, si Statutum disponat, quod causæ inter conjunctas personas compromittantur, *Abb. in cap. Cùm dilectus* 6. *sub num.* 17. *circa med. de Arbitris.*

a *Eorumque arbitrium semper referri debet ad arbitrium boni vi-*

 ni vi-

ni viri, l. societatem §. arbitrorum ff. pro socio.

Ad §. Sed etsi.

SEd etsi qui legitimam in partes potestatem habeant, sivè ordinariam, sivè delegatam, ab eisdem tamen in arbitros eligi (a) poterunt. Et generaliter omnes ad tractanda arbitria admittendi erunt, qui non sunt specialiter prohibiti (b) arbitrorum in se officium assumere. Inter eos, qui prohibentur (c) sunt servi, monachi, & regulares, hæretici, apostatæ, schismatici, infideles, & excommunicati (d). Sed nec in (e) laicum de re spirituali potest compromitti: nisi aùt clerico sit adjunctus, (f) aùt Apostolica auctoritate in eum sit compromissum. In causa verò civili potest in laicum etiam à clericis (g) compromitti *cap. dilecti de arbitris*. In fœminas quoque, licèt illæ summæ opinionis existant, non potest compromitti: nisi regionis probata consuetudo id permittat. Si tamen fieret compromissum in mulierem tanquam in amicabilem compositricem: posset tale compromissum mulier acceptare, *gl. hic*.

Sicut autem ii, quos supra recensuimus arbitria exercere prohibentur: ita etiam illorum quidam compromittere non permittuntur, ut serui, monachi, excommunicati, hæretici. Pleræque etiam causæ per arbitros cognosci non possunt, inter quas numerantur causæ liberales, matrimonij (h) carnalis, filiationum, monachationum, conversionum, in integrum restitutionum: item criminales, & quæ (i) majores judices exigunt.

a *Fortè cum potestate, & facultate quod procedant ut arbitri, vel arbitratores, & ut judices prout sibi videbitur.*

b *Neque sacrorum canonum, neque secularium legum statutis §. cæteri h. t.*

c *Furiosi, surdi, muti, minores 20. annis, l. sed si 9. §. 1. l. cum lege 41. ff. de recept. arb.*

d *Hoc intelligendum est de duobus tamen generibus excommunicatorum hodie vitandis. Vallens. in Tit. Decret. de Arbit. §. 3. num. 2.*

e *Immò*

e *Immò nec ut arbitrator, & amicabilis compositor potest laicus cognoscere super spiritualibus, gl. hic.*

f *Amplia ut procedat etiam quod plures sint laici, quàm clerici. gl. hic.*

g *Vallens. in Tit. Decr. de arbit. §. 3. num. 3.*

h *De spirituali verò matrimonio compromitti potest §. quod autem h. t.*

i *Inter causas, quæ non possunt compromitti, numerantur causæ beneficiales, nisi fiat compromissum auctoritate superioris, cap. ex parte 10. de arbitris. Ne vitiosus ad beneficia detur ingressus. Vide Vallens. in tit. Dec. de arbit. §. 5.*

Ad §. Finiuntur.

Finiuntur autem arbitria primò sententiæ prolatione: quod tamen intelligendum est, si de omnibus, de quibus compromissum fuerit, arbiter pronunciavit.

Secundò expirat arbitrium lapsu temporis, cùm scilicèt Terminus compromisso comprehensus re infecta labitur.

Tertiò compromissum irritatur morte arbitri. Et si fuerit in plures arbitros compromissum, etiam morte unius tantùm, expirat compromissum: nisi aliud in compromisso fuisset expressum, *cap. uno delegatorum 42. de offic. deleg.*

Quartò expirat arbitrium morte omnium (*a*) compromittentium, vel etiam alterius tantùm. Compromissum (*b*) enim in compromittẽtis heredes non extenditur, nisi de his quoq; specialiter caveatur, *cap. ex parte 10. de arbit.* Quanquam si esset lata sententia executio transeat in heredes, *l. diem proferre 32. §. 1. l. quamvis 42. ff. de recept. arbit.*

Sunt & alii modi, quibus compromissa finiuntur, de quibus plenissimè per Perusinum in suo Tractatu de Arbitris *lib.* 13. per totum.

a *Sed nunquid erit idem si moriatur prælatus, qui compromisit super rebus Ecclesiæ suæ, ut expiret compromissum morte Prælati? ℞. distinguendo, ut per Abb. in cap. fin. eod.*

b *An virtus actorum gestorum coram arbitro expiret unà cum compromisso? ℞. ut per gl. hic.*

De in jus vocando.

TITULUS QUINTUS.

Ergo si partes neque pactionibus, neque Transactionibus, neque compromissis concordes reddi poterunt, ad judicium deveniendum erit. Et quoniam omnium judiciorum instituendorum principium & fundamentum sunt citationes, ideò ponitur hic Titulus iste.

Illud autem imprimis prospicere judicem oportebit, ne scilicèt debitæ solemnitates in judicio prætermittantur, adhibebitque pubicam personam, aùt duos viros idoneos, qui universa acta judicii conscribant, ut latiùs continetur in *cap. quoniam contra* 11. *de probat.* Circa judicia igitur creditur scripturæ Tabellionis, circa contractus tamen ei non creditur; nisi habeat testium subscriptionem *A. de hered. & falc.* §. *Sancimus*. Tutius tamen est quod & in judiciis adhibeantur, si adhiberi possunt, *gl. hic. & in dicto cap. quoniam contra in verbo, duos viros*.

Ad §. Omnium autem.

Omnium autem judiciorum instituendorum principium, & fundamentum sunt citationes, legitimè factæ, sine (*a*) quibus omnia, quæ adversus absentes in omni negotio, aùt loco aguntur, viribus (*b*) carent. Nàm citatio est de jure (*c*) divino, ut apparet *ex Genesi cap.* 3. Ubi Deus noluit Adam condemnare de inobedientia, priusquam illum citasset. Notate ex hoc §. nostro non probari, ut quidam existimant, quod citatio sit (*d*) principium judicii. Nàm in eo non dicitur citationem esse principium judicii, sed esse principium judiciorum instituendorum. Principium igitur judicii est litis contestatio, *l. amplius* 15. *ff. rem ratam haberi*, *l. unica C. de litis contest.*

a *Vide Vallens. in Tit. Decret. de for. compet.* §. 3. *num.* 5. *& seq.*

b *In*

b *In tantum, ut sententia lata in favorem absentis non citati, non teneat. gl.hic.*

c *Ideò ei nec per Papam derogari potest.*

d *Ex meis comment.Inst. Civ. ad §. ult. de pœna tem. litig.*

Ad §. Fit tamen.

FIt tamen interdum, ut quis citationi parere non compellatur. Et primò ex qualitate personæ, tam jus dicentis, quàm etiam in jus vocati, ut puta, si (*a*) manifestum sit, quod judex citans non sit (*b*) competens, vel si quis citetur ad instantiam spoliatoris antequàm ad omnia canonicè restitutus fuerit. Si tamen quis legitimè citatus, alterius postmodum fiat jurisdictionis, non propterea poterit declinare judicem, cùm jàm fuerit (*c*) præventus.

a *Aliud est si dubitaretur: Prætoris enim est æstimare, an sua sit jurisdictio gl.hic.*

b *Hoc procedere potest etiam in delegatis. Vide gl.hic in verbo, Coarctabit.*

c *Patet ergo quod per solam citationem perpetuatur jurisdictio, tam ordinarii, quàm delegati, gl.hic.*

Ad §. Locus.

SEcundò invalida est citatio ex loci conditione. Cùm scilicèt locus, ad quem quis citatus est, aùt incertus est, aùt citantis non subest jurisdictioni: idem etiam dici poterit, si citandus extra(*a*)judicis Territorium moram trahere comperiatur: aùt si locus citationi designatus pestilens sit, aùt aliàs procitato malè tutus.

a *Vide gl.hic, & Vallens. in Tit. Decret. de foro compet. §.3. num.2.*

Ad §. Sed etsi.

TErtiò invalida est citatio Ratione temporis, ut si aliquem Judex jusserit adesse, aùt inter angusta nimis tem-

tempora, aùt die feriata in honorem Dei; usque adeò enim his diebus judiciorum (*a*) strepitus debet conquiescere, ut nisi vel necessitas (*b*) cogat, puta, quia sit res tempore peritura, vel pietas suadeat, puta, quod sit causa miserabilium personarum, consentientibus etiam partibus processus habitus non tenet. Si verò ob hominum necessitates, ut messium, aùt vindemiarum, feriæ indultæ sint, potest à partibus feriis (*c*) renunciari. Non tamen potest per partes renunciari feriis repentinis, puta, si feriæ sint indictæ (*d*) ob res prospere gestas, vel in honorem Principis.

a *Idem in compromissis. hec tamen intellige in vero Arbitro, secus est in Arbitratore, & amicabili compositore gl. hic.*

b *Plura exempla dantur in l. 1. 2. & 3. ff. de feriis.*

d *Non tamen potest partium consensus prajudicare personis accessoriis prout sunt testes, & judices. Ric. hic. in fin. add.*

c *L. sed et si 26. §. si feriæ ff. ex quibus caus. major.*

Ad §. Jàm verò.

QUartò citatio invalida est ex forma citationis. Delegatus enim debet in Citatione inserere tenorem suæ commissionis, seù delegationis, & intra (*a*) certa spacia designare certum locum, ubi citatus se exhibere valeat, aliàs citatio invalida est. In ordinario verò nulla subest hujusmodi necessitas.

a *Vide gl. hic.*

Ad §. Item in delegato.

ITem si delegatus peremptoriè (*a*) partes citaverit, & earum altera (die data) sese absentat contumaciter, si duret jurisdictio post peremptorium terminum, in diem alteram, æquitate suadente, Judex expectare (*b*) poterit: nec propterea peremptorio elapso pars contumax necessariò citanda erit. Si verò post peremptorium terminum expiret jurisdictio, ad executionem libere, hora (*c*) tamen competenti, procedere poterit. Discretus tamen Judex in assignatione perem-

peremptorii, non debet terminum nimium coarctare, nisi necessitas urgeat. Si verò Judex, qui citavit peremptoriè sit ordinarius, non obstante citatione peremptoria, potest pro sua (*d*) voluntate prorogare Terminum, vel citare iterum. Et pro intelligentia hujus materiæ notatæ quòd regulariter Tres Termini assignantur ad comparendum, & ultimus dicitur peremptorius, intra quem si non compareat citatus, dicitur contumax, nisi allegaverit justam causam non comparitionis. Citatus enim potest quidem ex legitimo (*e*) impedimento non comparere: sed eo cessante, quanto citiùs poterit, debet se judici presentare.

a *Sine assignatione Termini peremptorii, non valet sententia, nisi ipsemet Judex partes in sua præsentia constitutas moneret: hæc enim monitio vim habet trinæ citationis gl. hic.*
b *Non tamen est necessarium, si nolit, in diem alterum expectare.*
c *Hora qua congruè possit incipere, & finire actum incumbentem Vide gl. hic.*
d *Quia jurisdictio ordinarii tempore non expirat.*
e *Ut puta, si vinculis aût infirmitate detentus sit.*

De dolo, (*a*) & contumacia, & in possessionem missione.

TITULUS SEXTUS.

CUm citatus juridicè multoties nulla legitima causa impeditus fiat inobediens, propter quam inobedientiam, adversatio (*b*) accusante, contumaciæ crimen incurrit. Ideò, post Titulum de in jus vocando, ponitur præsens Titulus.

Est igitur contumacia erga judicem, vel Prælatum commissa inobedientia. Et ad hoc, ut legitimè citatus contumax censeatur, requiritur, quod tribus edictis, vel uno pro tribus, quod vulgò peremptorium appellatur, evocatus præsentiam sui facere contemnat, *l. contumacia 53. ff. de re judic.*

a *Agi-*

a *Agitur hic de dolo, non simpliciter, sed quatenus contumacia adhæret.*

b *Si adversarius non accusaret, quis non posset dici contumax.*

Ad §. Hæc autem.

Contumacia autem variè punitur: nunc enim litis damno, (*a*) nunc mulcta, nunc expensarum refectione, & rei sequestratione, vel Ecclesiasticæ sententiæ innodatione, ob contumaciam suam conventus afficitur. Hodie tamen non est deveniendum ad hanc pœnam excommunicationis, nisi cum non potest adversus reos realis, vel personalis executio fieri. *Concil.Trid.sess.25. cap.3. de reform.*

a *Sed hæ duæ pœnæ non habent locum, nisi in vero contumace. gl. hic.*

Ad §. Illud quoque.

Illud quoque videtur ordinarium, ut Reo contumace, actor custodiæ (*a*) causa mittatur (*b*) in possessionem earum rerum de quibus quæstio vertitur, vel quæ aliàs sunt in patrimonio Rei, pro modo debiti, si personalis instituatur actio. Quo casu prius incipiendum est à possessione mobilium, demum, si non sint res mobiles, venitur ad immobiles. Quòd si adhuc per annum in sua contumacia Reus perseveraverit, judice decernente, actor verus (*c*) possessor efficietur, super proprietate duntaxat reo defensione reservata, *cap.quoniam frequenter 5.§.in aliis, & §.ult.ut lite non contestata*. Sed si missus in possessionem causa custodiæ fructus dilapidet, ne dilapidentur, sunt sequestrandi, & quod distractum est in pristinum statum est revocandum. Quod si non dilapidet adhuc, sed sit suspectus de dilapidatione, erit ab eo danda (*d*) cautio de fructibus debito tempore restituendis, *gl. hic.*

a *Hæc missio fit etiam contra absentem Reipublicæ causa, nisi tamen absens accessisset ad Sedem Apostolicam, gl.hic.*

b *Hæc*

b *Hæc tamen inductio in possessionem potest facilè impediri. Nàm si vel amicus aliquis rei compareat pro absente, audiendus erit.*

c *Et si agatur actione reali, lucratur omnes fructus, gl. hic in verbo, Revocandum, in fine.*

d *Juratoria. Vide Abb. in cap. 2. sub num. 19. de sequest. poss. & fruct.*

Ad §. Si tamen.

SI tamen actor non possit ob dolum, vel potentiam Rei contumacis habere intra annum possessionem custodiæ causa, vel etiam eam habitam amiserit, nihilominus (*a*) actor elapso anno verus possessor (*b*) constituitur. Si tamen Reus dederit cautionem destando juri allegando se non esse contumacem, nec mulctandus erit, quòd actorem non fuerit passus esse in possessione, & missionem passus illicò restituendus (*c*) erit. Et hoc procedit quando dubitatur de contumacia: aliàs si contumacia sit manifesta, non audiretur, nisi etiam expensas reficeret *gl. hic*. Item non obstante, quod annus elapsus esse proponatur, cautione à reo recepta, ei possessio restituenda est, si per eum non steterit quominus infra annum, & possessionem recuperaverit, & cautionem dederit, *cap. 2. de eo, qui mitt. in poss.*

a *Sivè agat reali, sivè personali, de quo tamen dic ut latè in cap. contingit. de dolo, & contum.*

b *Sed an ipso jure, vel requiratur, sententia? ℞. ut in dicto cap. contingit.*

c *Nisi missus in possessionem sit necessariò, & causa Reipublicæ absens. gl. hic.*

Ad §. Queri.

SI autem Papæ delegatus, qui Reum contumacem excommunicavit, vel actorem causa rei servandæ in possessionem induxit, moriatur, alius, qui ei in delegatione successerit, poterit Reo juri parere uolenti, & idoneam cautionem

 offe-

offerenti absolutionis beneficium impertiri, & possessionem restituere: alias non potest Reus per alium, præterquam in mortis (*a*) articulo, sine mandato Papæ, absolutionis gratiam obtinere, vel possessionem recuperare.

Sed ne missus in possessionem verus possessor post annū efficiatur, missionem passus, coram ordinario, vel si ejus copiam habere nequiverit, coram publicis personis præstare poterit cautionem de stando juri: ut sic etiam post annum per Papam possessionem recuperare possit *cap. pastoralis §. prætereà, & §. Veruntamen, de offic. jud. ord.* Et animadvertite, quòd licèt Textus utatur numero plurali, coram publicis personis, sufficit tamen unicus notarius cum testibus, *gl. hic.*

a *Quo casu de quolibet genere excommunicationis, & à quolibet Ecclesiastico potest absolvi. Sed nunquid transfretare volens, vel obsessus, vel prælium campestre ingressurus absolvi possit, quasi constitutus in mortis articulo. ℟. ut per gl. in cap. pastoralis, in verbo, præter quam, de offic. ordin.*

Ad §. Sed ista.

IN causis tamen beneficialibus ob partis adversæ contumaciam non habet locum supra dicta missio (*a*) in possessionem; ne per hoc ad beneficia Ecclesiastica ingressus vitiosus pateat. Poterit tamen Judex in beneficialibus ob partis adversæ contumaciam, etiā lite non contestata, negotium terminare. Et interdum etiam in profanis potest per Judicē deveniri ad definitivam sententiam contra contumacem, ut puta si contestata lite reus contumax fuerit, & de causa liqueat, vel si actor ipse sit contumax, etiam (*b*) lite non contesteta.

a *Habet tamen locum hæc missio si agatur de rebus Ecclesiæ, non tamquam de beneficio, sed tamquam de proprietate gl. hic.*

b *Quia major est contumacia actoris, quàm rei.*

Ad §. Idem quoque.

IDem quoque actor, si ad Terminum, (*a*) ad quem reum citari fecerit, venire non curaverit, venienti reo condemnandus est in expensis factis ratione contumaciæ: nec ad aliam citationem admittitur, nisi præstiterit cautionem idoneã (*b*) de fideliter in posterum comparendo. Præsumitur autem malitiosè quis abesse, nisi probetur legitimum impedimentum, *cap. cum Bertoldus* 18. *de sent. & re jud.*

a *Sivè peremptoriè, sivè non, sivè in principio causæ, sivè in progressu.*

b *Ex eo quod dicit idoneam, intellige quod pignora, vel fidejussores dentur. Si quis tamen hoc dare non potest, debet juratoriam dare, vel quam potest.*

Ad §. Ultimum.

VAriæ autem pœnæ, quæ adversus contumaces competunt, non omnes simul debent à Judice infligi contumaci, sed à principio contentus erit Judex una tantùm ex eis, quæ magis timeri debeat, & contumacia excrescente poterit etiam ad alias (*a*) procedere. *Vide suprà, ad §. hæc autem. h. t.*

a *Usque ad tertiam vicem per contumaciam ejusdem actus.*

De libelli conceptione, & oblatione.

TITULUS SEPTIMUS.

SUpra visum fuit de contumacia, sed quia non semper contingit reum esse contumacem, ideò videndum quid agendum comparente reo, & sic non contumace.

Igitur, Reo comparente, debet Actor libellum judici offerre, & à Judice posteà offertur Reo. Oportet autem libellum esse ità clarum, & planum, ut ex ejus inspectione possit Reus deliberare, (*a*) utrum cedere velit, an contendere,

re, atque ut, si contendendum sit, despicere possit Judex quo pacto à se concipienda sit sententia Debet enim sententia esse conformis libello, *l.ut fundus* 18 *ff.commun.divid.* Est igitur libellus brevis scriptura claram actoris intentionem continens, & contra adversarium necessariò concludens. Not.ex hac definitione, cavendum esse, quod non ponatur aliquid in libello unde obscuritas oriatur. Non tamen statim libellum obscurum reiicere, aùt confringere debet Judex, dummodò ex iis, quæ posteà in Judicium deducuntur, desumi possit apta ejus declaratio. *Vallens. in Tit. Decretal. de libelli oblat.sub num.3.*

a *Nec enim in continenti compellitur respondere, maximè si tale est factum, quod indiget matura deliberatione. Vide infrà ad §.ult.*

Ad §. Porrò.

Porrò libellorum alii sunt accusatorii, alii conventionales. Accusatorii sunt, quibus quis aliquos ad Judicem alicujus criminis reos defert; de quibus videbimus infrà *in Tit. de accusat.* Conventionales sunt, quibus in civilibus disceptationibus utimur dum rem (*a*)nostram, aùt quam nobis deberi (*b*) putamus, in Iudicio petimus.

a *Ratione dominii, vel quasi, vel ratione alicujus alterius juris, cujus occasione, quis potest agere, gl.hic.*

b *Designat per hæc verba libellum in personalibus actionibus.*

Ad §. Exprimet igitur.

Debet igitur oblatus libellus continere nomen Actoris, & Rei, & Judicis (*a*) coram quo petitur, & petitæ rei, & actionis qualitatem. Et in personali actione, petendi quoque causa exprimenda erit, alioqui, si libellus sit ineptus, vel obscurus, non obligat ad respondendum, & Judex poterit illum lacerare. *Vide supra in fine princ.h.t.*

a *Non intelligas necessariò de nomine proprio, sed sufficit, quod exprimatur nomen dignitatis, & officii, ità ut Reus intelligat coram quo convenitur.*

Ad

Ad §. Sunt tamen.

SUnt tamen casus, in quibus solemnis hæc libelli oblatio minimè est necessaria, veluti in quibus de plano, ac sine strepitu, & figura judicii procedendum erit, ut puta si sint causæ viles, si consensu partium fuisset remissa hæc solemnitas, si consuetudo haberet, ut non detur libellus. Dubio autem existente, an aliqua causa sit de levioribus, arbitrabitur Judex secundùm qualitatem (*a*) personarum. *Vallens. in Tit. Decretal. de libelli oblat. sub num. 9.* Et in his quoque casibus in quibus libelli est necessaria porrectio, probè faciet Judex, si controversiam terminare tentaverit sine tela judiciaria.

a *Nàm inter duos valde divites Causa centum Aureorum est modica; inter pauperes verò eadem putatur magna. Idem Vallens.*

Ad §. Oblato.

OBlato autem libello, debent Reo dari dilationes ad deliberandum an velit cedere, vel contendere, an velit Judicem acceptare, vel recusare, & ad exceptiones, si quas habet, proponendas. Et dictæ dilationes de Jure communi sunt viginti dierum *A. offeratur C. de litis contest.* Videtur tamen in hoc standum consuetudini ipsius Curiæ.

De Exceptionibus, & replicationibus.

TITULUS OCTAUUS.

OBlato libello, solent opponi exceptiones, ideò post Titulum de libelli oblatione, subiicitur præsens titulus, in quo generaliter agitur de exceptionibus.

Exceptio est actionis, vel intentionis exclusio. Exceptio dicitur actionis exclusio, cùm in veritate actori competit actio, & eam per exceptionem excludi oportet v. g. si metu

con-

coactus, aùt dolo inductus mihi stipulanti promisisti: palàm est Jure Civili te obligatum esse, & ex stipulatu rectè quidem agitur: sed æquitati repugnat, Te condemnari. Ideòq; datur tibi exceptio, quod metus causa, aùt doli mali §. verbi gratia, *Inst. de exceptionib.* dicitur exceptio exclusio intentionis quando Actio in veritate non competit actori: sed de facto agit, ut si petas à me decem, & ego excipio me solvisse. Nàm si hoc verum est, nulla tibi competit actio: quia solutione ejus, quod debetur, omnis tollitur obligatio, *princ. Tit. Inst. quib. mod tol. oblig. Vide Abb. in Rub. de exceptionibus.*

Exceptionum autem aliæ sunt dilatoriæ, aliæ peremptoriæ. Dilatoriæ sunt quæ (*a*) rem & judicium (*b*) diferunt. Peremptoriæ verò, quæ in totum jus agentis perimunt, & semper agentibus obstant. *Ut hic, juncto §. peremptoriæ, infrà eod.* Dilatoriarum exeptionum quædam respiciunt personam Judicis, quæ scilicet arguunt illius incompetentiam, vel suspicionem, secundum ea, quæ suprà exposuimus ad §. recusatione, de judiciis. Et hæc declinatoriæ quoque poterunt appellari. Quædam spectant partem actoris, quæ videlicèt illum non legitimam in judicio standi personam habere demostrant: ut puta, (*c*) quia sit filiusfamiliàs, minor 25. annis, criminosus, mentecaptus, & sic de similibus. Tales etiam sunt exceptiones procuratoriæ, ut puta, si quis per monachum, aùt regularem, aut clericum agere velit. Item si quis ut procurator, vel syndicus compareat, & illum talem esse (*d*) negetur. Quædam ex persona Rei deducuntur, veluti, si Reus conventus queratur coram Judice ab actore se spoliatum esse: & ideò restitutionis beneficium, antequam cogatur respondere, imploret: vel si dicat se non posse compelli eò loco, quo convenitur, ad litem suscipiendam, sed remitti debere ad locum in quo domicilium habet. Quædam respiciunt actionem, & causam, ut cum proponitur, quod libellus sit ineptus, aùt quod lis pendeat in alio Tribunali, aùt quod nondum venerit dies solutionis.

a *Ut si sit factum pactum de non petendo intra certum tempus, quia hæ non solùm differunt judicium oppositæ: sed etiam rem.*

b *Illæ*

b *Illæ, quæ specialiori nomine appellantur declinatoria, de quibus statim hic dicitur, licèt judicium differant, tamen non differunt rem principaliter.*

c *Vallens. in Tit. decret. de except. sub num 9.*

d *Et hæc quæ provenit ex defectu mandati, potest opponi etiam post latam sententiam, ut infra eodem §. ergo in initio.*

Ad §. Hæ verò.

EXceptiones verò simpliciter dilatoriæ debent regulariter omnes ante litis (*a*) contestationem proponi. Sed declinatoriæ, non modò ante litem contestatam; verùm etiam ante omnem dilatoriam exceptionem in principio litis opponendæ erunt, ne aliàs reus in jurisdictionem Judicis consentire videatur. Sed lite contestatá quandoque dilatorias opponere licebit, veluti si aliqua de novo exorta fuerit: Quæ enim de novo emergunt, novo indigent auxilio. Idem esset si is, qui voluerit exceptionem opponere, fidem faciat juramento, se post terminum intra quem exceptiones dilatoriæ proponi debent, ad illius notitiam pervenisse, vel si talis esset exceptio, quæ retroactum processum nullum redderet, veluti si excipiatur, quod procurator non habeat legitimũ mandatum, vel quod Judex non habeat jurisdictionem.

a *Potest tamen Judex ex causa abbreviare hunc terminum à jure statutum, gl. hic in Verbo, à Judice.*

Ad §. Ducuntur.

DEsumuntur autem hujusmodi exceptiones etiam ex loco, ut si locus citationi designatus dicatur pro citato malè tutus, ex tempore, ut si aliquem judex jusserit adesse, aũt inter angusta nimis tempora, aùt die feriata, & ex aliis pluribus, §. *locus & §. sed & si, de in jus vocando.*

a *Vel quia alio loco sit quid solvendum. cap. unico, de plus pet.*

Ad §. His annumeranda.

EXceptionibus dilatoriis annumeranda est etiam excommunicationis exceptio. Hæc tamen in qualibet parte litis opponi poterit, peremptorio Termino ad proponendum exceptiones declinatorias, & dilatorias, præfixo minimè obstante. Quòd si eam Reus omiserit, ut actor (a) sumptibus, & laboribus fatigetur, in expensis legitimis condemnandus erit. Et ex Innocentiana Constitutione *in cap. 1. de except. in 6.* Reus, qui contra actorem excommunicationem opponit, ut ipsumrepellat ab agendo, debet ipsius excommunicationis speciem, & nomen excommunicatoris exprimere, & eam infrà octo dies probare: alias Judex procedat in Causa, & illum in expensis, quas actor ob hoc diebus illis se fecisse docuerit, condemnabit. Quòd si iterum obiiciatur, & probetur eadem, vel alia excommunicatio, actor repellitur: sed quæ acta sunt valebunt. Hæc autem exceptio ultra duas vices non opponitur: præter quam si excommunicatio nova emerserit: vel evidens, & prompta probatio supervenerit de antiqua. Quòd si post rem judicatam talis exceptio proponatur, executionem quidem impedit: sed sententia nihilominus valebit. Et si Actor excommunicatus sit publicè, etsi de hoc Reus non excipiat, judex ex officio suo actorem debet repellere.

Exceptio tamen excommunicationis in prima tantùm instantia, non in secunda, potest Actori opponi. Ideòque si succumbens Actor appellaverit, prætextu excommunicationis oppositæ, à prosecutione appellationis repellendus non erit. Reus autem, nullo obstante excommunicationis vinculo, velut rectè convenitur, ità ad legitimas defensiones semper (b) admittitur. Reconventionis tamen potestas eidem minimè (c) permittitur. Cæterum, quæ supra dicta sunt de excommunicatione, de majori tantùm sunt intelligenda.

a *Requiritur ergo quod reus malitiosè distulerit opponere: aliàs non procederet quod hic dicitur.*

b *Sed*

b *Sed an Reus excommunicatus possit petere à Judice sententiam ferri pro se? ℞.negativè gl.hic.*

c *An autem possit excommunicatus compensare? In cap. cum inter, in fine, de excep. dicitur quod non.*

Ad §. Peremptoriæ.

Peremptoriæ exceptiones sunt, quæ in totum jus agentis perimunt, & semper agentibus obstant: hoc est, quæ habent hanc vim, & hunc effectum, ut actionem, cui opponuntur, in perpetuum perimant: qualis est exceptio doli mali, metus, pacti de amplius non petendo, solutionis, jurisjurandi, præscriptionis, transactionis, & rei judicatæ, & si quid contra leges factum esse dicatur. Harum quædam dicuntur Peremptoriæ litis finitæ, quædam simpliciter peremptoriæ. Peremptoriæ litis finitæ sunt, quæ litis impediunt ingressum, & adversus agentem omni tempore opponi possunt: qualis est exceptio transactionis, jurisjurandi, & rei judicatæ, & quales sunt aliæ peremptoriæ, quæ vulgò manifestæ sint, & notoriæ habeantur. Simpliciter verò peremptoriæ litis contestationem minimè impediunt, atque ante sententiam erunt regulariter proponendę: Et si dolo malo, suo tempore in prima instantia reus eas non proponat, neque in causa appellationis eas poterit opponere. Et notate quod ideò dicitur hic: exceptiones simpliciter peremptorias ante sententiam esse regulariter proponendas: quia dantur multi casus, in quibus tales exceptiones etiam post sententiam opponi possunt v. g. Exceptio falsitatis, non solùm ante sententiam, verùm etiam post, obiici potest, *cap. cum venerabilis §.intelleximus, de except.* Item exceptio Senatus Consulti Macedoniani, & Vellejani etiam post sententiã potest opponi, *l.tamen 13. ff.ad Maced.* Possunt etiam peremptoriæ exceptiones opponi post sententiam ope restitutionis in integrum ratione minoris ætatis, *l.2.C.sent. resc.non posse.*

Ad §. ſunt etiam.

SUnt etiam quædam ecceptiones, quæ præjudiciales appellari poſſunt ex eo, quod alteri cognitioni præjudiciũ afferunt, ideſt, ex eo, quod ante alteram cognitionem, de ipſis eſt cognoſcendum v.g. mulier Titium in virum petit. Obicit Titius conſanguinitatis exceptionem. Hic de conſanguinitate primùm eſt cognoſcendum. Rurſus pone, Sempronius petit hereditatem. Obiicitur ei natalium exceptio. Hic cauſa natalium priore loco eſt cognoſcenda.

Ad §. Sed etſi quæſtio.

SEd & exceptio ſpolii ſapit naturam præjudicialium exceptionum. Si enim quæſtio ſpolii in modum exceptionis (*a*) petentibus objecta fuerit, probationes ſuper ſpolio primitus erunt audiendæ. Eoque legitimè probato, Reus non cogetur reſpondere poſitionibus, donec integrè reſtitutus (*b*) fuerit. In civilibus tamen negotiis, ſpoliationis obiectu, quæ ab alio, quàm ab actore (*c*) facta proponitur, judex in Cauſa principali ſuperſedere non debet. In criminalibus verò, etiam ſi à tertio Reus per (*d*) violentiam ſpoliatus fuerit à tota (*e*) ſua ſubſtantia, vel majori parte ipſius, obiecta exceptio proceſſum differet. Debet tamen exceptio ſpoliationis (*f*) probari infrà (*g*) quindecim dies: alioquin Reus in expenſis, quas interim actor ob hoc fecerit, condemnabitur: & aliàs etiam, ſi Judici æquum viſum fuerit, punietur. Agenti verò ſuper rebus Eccleſiaſticis, non obſtat exceptio ſpoliationis privatarum rerum, vel è converſò. Accuſato autẽ excipienti de ſpolio à Tertio(*h*) facto, debet indulgeri tẽpus, infrà quod reſtitutionẽ petat. Quòd ſi infra tẽpus indultũ reſtitutionẽ non petierit, & cauſam cum poſſet ad finem non perduxerit, non obſtante ſpoliationis exceptione, deinceps poterit accuſari, ut in hoc §. juncto *cap.* 1. *de reſt. ſpol. in* 6. Et dictum tempus judicis arbitrio ſtatuendum eſt, cùm non reperiatur jure determinatum, *l.* 1. *ff. de jure deliber.*

a In

a *In judiciis civilibus: In criminalibus autem procedit quod hic dicitur etiam si perviam actionis spolium intentetur.*

b *Sed non habet locum quod hic dicitur, ubi notoriè constat de non jure spoliati.*

c *Et procedit hoc etiam si res spoliata pervenerit ad ipsum agentem. Licèt contra eum possit agi remedio cap. sæpè, de rest. spol.*

d *Expulsivam, vel ablativam: secus si esset spoliatio tantùm dolosa.*

e *Et hoc si opponatur de expoliatione facta à tertio, sed si de expoliatione facta ab accusatore, tunc requiritur quod spoliatus sit integraliter restitutus, sicut esset quando ageretur civiliter.*

f *In civilibus, vel criminalibus, cap. 1. in princ. de rest. spol. in 6.*

g *Possunt tamen hæc tempora prorogari. Not. in add. ad gl. in cap. 1. de rest. spol. in 6.*

h *Ab alio, quam accusatore.*

Ad §. Sunt & aliæ.

SUnt & aliæ exceptiones, quæ ad peremptoriarum naturam accedere videntur, & ideò ipse quoque ante (*a*) sententiam sunt proponendæ, cujusmodi sunt quæ adversus productos testes opponuntur, ut puta, si quis Mævium examinatum, infamem, excommunicatum, vel aliàs criminosum esse dicat. Multum tamen interest, an per exceptionem testibus opponatur crimina, de quibus nunquam accusati fuerint, an verò ea, de quibus aliàs convicti, vel confessi fuerint. Primo enim casu objecta crimina probari (*b*) debent antequam causa per sententiam terminetur: quæ si probata fuerint, à Testimonio perhibendo Testes repellentur. Posteriore verò à ferendo Testimonio penitus repelli poterunt, nisi probaverint se emendatos, (*c*) & pœnitentiam egisse.

a *Immo videtur, quod publicatis attestationibus, opponi non possint. Vide gl. hic in Verbo, neque peremptorias, & in verbo, naturam.*

 b *Sta-*

b *Statim, vel infrà terminum competentem à Iudice statuendum. gl. hic.*

c *Et hoc probari poterit per proprium Sacerdotem, gl. ult. hic.*

Ad §. Cavebit.

Opponens autem exceptionem, quæ etiam adversus ipsum opponi potest, nihil agit. Hoc tamen intelligendum est, si proprio nomine excipiat: secus enim erit, si excipiat nomine suæ Ecclesiæ.

Ad §. Postremò.

Postremò sciendum est, quod is, qui excipit, non propterea intelligitur agentis intentionem confiteri. Quod si judex legitimas exceptiones non admiserit, poterit Reus appellare, & judex ipse puniendus erit.

Ad §. Ultimum.

Dantur adversus exceptiones Replicationes, quæ institutæ sunt ad similitudinem exceptionum, quæ adversus actiones opponuntur, ideòque plenior intelligentia Replicationum, ex his, quæ suprà diximus de exceptionibus, sumi poterit.

De Mutuis Petitionibus.

TITULUS NONUS.

Diximus suprà de exceptionibus, quibus Rei contra Actores defenduntur. Sed quia contingit aliquando, ut Reus conventus, licèt nulla sit exceptione munitus, habeat tamen unde Actorem mutua petitione fatigare possit, ideò subiicitur præsens titulus.

Est igitur mutua petitio conventio ex parte Actoris, reconventio (*a*) ex parte (*b*) Rei. Si enim oblato ab Actore libello,

bello, reus conventus nulla ſit exceptione munitus, quæ vel judicium differat, vel litis ingreſſum impediat, mutuis petitionibus actorem fatigare poterit, & coram eodem Judice reum conſtituere, ante litis conteſtationem, vel etiam (*c*) poſt, ſtatim tamen ac fuerit lis conteſtata, & antequam de calumnia juretur. Propoſita ergo actoris intentione, & reſponſione facta: monitione (*d*) præmiſſa, compellendus erit Actor Reo incontinenti coram eodem judice ſuper ſuis quæſtionibus reſpondere, ut viciſſim poſteà rationes partium judex audiens, concordia, vel judicio utriuſque (*e*) negotium terminet, *cap.* 1. §. *Mandamus*, *de mut. pet.* Dixi, coram eodem judice: Nec enim permittitur Reo, durante judicio conventionis, actorem convenire coram alio judice. Niſi in ijs caſibus, quibus ob controverſiæ naturam, & qualitatam repugnantem, v.g. feudi, aùt rei ſpiritualis, vel aliud impedimentum, actorem coram eodem judice nullo tempore convenire poteſt reus. *Vallenſ. in Tit. Decretal. de mut. pet.* §. 1. *num.* 2.

a *Natura Reconventionis eſt ut pari paſſu ambulet cum contentione, & ſic fiat ſimultaneus proceſſus, & eo tempore quo lis conteſtatur in una, debet conteſtari in alia. Idem obſervatur in datione termini probatorii, & aliis actibus, ſed prius fit actus ſuper conventione, & poſteà ſuper reconventione.*

b *Animadverte, quod non permittitur Actori reconvento, reum iterum reconvenire, ex communi DD. ſententia. Vallenſ. in Tit. Decret. de mut. pet.* §. 2. *in fine.*

c *Ex gl. hic.*

d *Et ſufficit unica monitio adhoc ut actor teneatur reſpondere libello rei in cauſa reconventionis gl. hic.*

e *Etiam ſi quantum ad reconventionis cauſam, aliàs juriſdictionem non habeat, fit enim Judex per reconventionem, ſivè ſit ordinarius, ſivè delegatus. gl. hic.*

Ad

Ad §. Nec solùm.

NEc solùm coram ordinario potest Reus reconvenire(*a*) actorem: verùm etiam coram delegato (*b*). Est tamen notandum, quòd solùm habet locum reconventio in causis, & actionibus competentibus tempore impetrati rescripti: secus autem in his, quæ sunt ortæ post datam rescripti. *gl.ult. hic*.

a *Sibi obnoxium etiam actione reali, secundum quosdam.*

b *Nisi delegatus de consensu utriusque partis datus sit. Vallens. in Tit.Decret.de mut.pet.§.2.num.1.*

Ad §. Utriusque.

UTriusque autem tam actoris, quàm Rei reconvenientis æqua (*a*) debet esse conditio: Unde quando committitur causa, appellatione remota, etiam in reconventione appellatio remota erit.

a *Sed an si actor super una tantùm causa rescriptum impetraverit, possit à reo super pluribus conveniri? Et non videtur ratione servandæ æqualitatis. Contrarium est verius, & tenetur comuniter.*

Ad §. De arbitris.

NOn tamen potest coram arbitris reconventio locum habere. Et hoc in arbitris voluntariis procedit indubitantèr: (*a*)An autem sit idem in arbitris juris? Dic ut *per Abb.in cap. cum dilectus, sub nùm.7.de arbitris*. Potest tamen reconventioni locus esse coram judicibus particularibus ad certa negotia, veluti, coram judicibus mercatorum, & aliis similibus deputatis certo collegio, quando tales judices eliguntur per actorem. *Riccius in add. ad hanc Rub in fine*.

a *Neque etiam locum habere potest reconventio coram judice, quem Princeps proprio motu elegit. Vallens. in Tit. Decret de mut.pet.§.2.n.1.in fine.*

Ad

Ad §. Interdum.

INterdum etiam accidit, ut nec coram ordinario, nec coram delegato judice reus actorem possit reconvenire: ut puta, si conventus coram judice laico velit reconvenire actorem super causa jurispatronatus, decimarum, matrimonii, aùt alia spirituali. Causæ enim spirituales, (*a*) & his connexæ, nonnisi Ecclesiastico judicio possunt cognosci, & deffiniri.

a *Cap. 3. de judiciis.*

Ad §. Idem juris.

IDem juris est, si reus sit excommunicatus (*a*): huic enim conceditur quidem excipere, non tamen actorem reconvenire. Missionem tamen passus, & comparens petendo sibi restitui possessionem, est audiendus, *Abb. in cap. cum inter, sub num.* 14. *de except.* Et etiam si quid excommunicatio debeatur ex eodem contractu, ex quo convenitur, cogitur Actor dare excommunicato omne id, ad quod tenetur ex eo contractu. Ideoque excommunicatus non tenetur tradere rem, quam vendidit, nisi sibi prætium numeretur. *Abb. in dicto cap. cum inter sub. num.* 26.

a *Excommunicatione majori.*

Ad §. Ultimum.

CEssat quoque reconventio in causis criminalibus. Hoc tamen intelligendum est prout habetur (*a*) per *Abb. in cap.* 1. *sub num.* 22. *de mut. pet.* Item cessat reconventio in causa depositi.

a *Vide etiam Vallens. in Tit. Decret. de mut. pet.* §. 2. *num.* 3.

De

De reſtitutione ſpoliatorum:

TITULUS DECIMUS.

DIximus in Titulo (*a*) præcedenti, quod reconventio in quibuſdam cauſis locum non habet. Verùm quia is quoque reconveniri non poteſt, qui ſe ſpoliatum conqueritur: ſed de quæſtione ſpolii priùs eſt videndum, ut fiat reſtitutio, ideò ſubiicitur præſens Titulus.

Spoliatus (*b*) is intelligitur, qui privatus eſt quibuſdã rebus, aùt juribus. Et cõventus ſuper ſpoliatione, volens reconvenire ſpoliatum reſtitutionem petentem, non eſt audiẽdus, niſi velit eum recõvenire de alia ſpoliatione: quia petitio reſtitutionis in hoc privilegiata eſt, ut qui illam intentat, non cogitur reſpondere ſuo ſpoliatori antequam fuerit (*c*) reſtitutus. Unde cùm quis dicit ſe de poſſeſſione beneficii violenter ejectum, & petit reſtitui, ſi adverſarius dicat eum non fuiſſe canonicè inſtitutum, priùs de violẽta (*d*) ejectione, quàm de canonica inſtitutione cognoſcendum (*e*) erit.

a *Ad §. Interdum.*
b *Vide infrà, ad §. Spoliatus autem.*
c *Fuerit ſecuta realis reſtitutio.*
d *Ideſt, de poſſeſſione violenter ablata.*
e *Quia prædo etiam eſt ſecundum rigorem juris reſtituendus c. 5. de reſt. ſpol.*

Ad §. Sed etſi.

SEd etſi ſpoliatus, criminaliter (*a*) ab adverſario conventus, ſpoliationis cauſam per viam actionis proponat: nihilominus hoc caſu cauſa ſpoliatis propoſita per viam actionis operatur etiam effectum exceptionis excludendo criminaliter agentem, & ita demum ſuper criminali petitione judex procedere poterit, ſi prius reſtitui ſpoliatum ſua ſententia juſſerit, & ſententia executioni mandata fuerit.

a *Secus ſi civiliter, ut infrà ad §. quod ſi, cum §. ſeq. h. t.*

Ad

Ad §. Fructus.

FRuctus quoque non tantùm perceptos violentus possessor compellitur restituere, sed etiam quos veteres possessores, si eis possidere fuisset licitum, verisimiliter percepissent, *cap. gravis* 11. *h. t.* Fructus tamen intelliguntur deductis impensis, quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, conservandorumque fructuum, *l. si à patre, vel domino* 39. *§. fructus ff. de pet. hæred.* Nec sufficit ad purgationem spolii sola sententia restitutionis, nisi re ipsa omnia judicis officio restituantur.

Ad §. Quodsi, cum §. seq.

QUòd si civiliter conventus, adversario in modum actionis spolii quæstionem opponat, cùm mutuæ tunc intelligantur petitiones in idem judicium deductæ, unica simul erunt sententia terminandæ. Sed si citra litis contestationem de spolio quis in modum exceptionis tantùm opponat, super ipsa quidem exceptione probationes primitus recipiendæ erunt: ea tamen legitimè probata, nulla restitutionis erit ferenda sententia, non enim ad hoc fuit (*a*) actum, sed tandiu spoliatori super petitionibus suis respondere cogendus non erit spoliatus, donec à spoliatore fuerit restitutus.

a *Sed de hoc exceptum*.

Ad §. Spoliatus autem.

ET etiam Judex ipse quibusdam casibus spoliasse intelligitur, & Primò si non servavit juris ordinem, ideſt, (*a*) si processit extrajudicialiter, vel aliàs absque causæ cognitionæ. Secundò si erat Judex incompetens. Tertiò si nulliter pronunciavit. Et spoliatus à judice ante omnia; perinde atque si à privato spoliatus esset, plenè restitui debet, *cap. conquerente* 7. *de rest. spol.*

a *Vallens. in Decretal. h. t. §. 5. num. 1.*

Ad §. Is quoque.

IS quoque spoliasse intelligitur, qui mandavit spoliari, aùt spolium suo nomine factum ratum habuit. Unde & is restitutioni obligatur quemadmodum & ille, qui rem indebitè occupatam (*a*) scienter recipiendo, spoliatori succedit in (*b*) id vitium, *cap. sæpè de restit. spol.*

a *Sivè sit res clericorum, sivè laicorum. gl. hic.*

b *Quod si recipiens ignoravit vitium, non haberet locum provisio dicti cap. sæpè, sed c. reintegranda 3. q. 1. gl. hic, & ind. cap. sæpè.*

Ad §. Illud quæsitum.

QUi autem post spolium renunciavit Ecclesiæ, hujusmodi non obstante renunciatione, restituendus erit: cùm non sit (*a*) verisimile quòd spontè proprio juri renunciaverit, qui renunciat spoliatus. Testes etiam super spontanea renunciatione non sunt admittendi antè restitutionem. Quòd si spoliatus petat restitutionem Ecclesiæ, & eam ante spolium spontè renunciasse reperiatur; audiendus non erit, *cap. 2. & 3. de restit. spol.*

a *Ex hac ratione Abb. in cap. 2. eod. putat hanc materiam restringendam, ut non habeat locum quoties renunciatio fuisset facta, etiam post spolium, in manibus tamen Superioris. Vide gl. hic.*

Ad §. Sunt, & alii, usque ad §. ult.

SUnt & alii casus, quibus jure denegatur spoliatis restitutio, & Primus est cùm adversus restitutionem petentem, per modum exceptionis de alia spoliatione (*a*) opponitur, *cap. ult. de ord. cog.* Secundus est si spoliatus ipse consenserit tam super proprietate, quàm super spolio eodem tem-

tempore disceptari. Unde cautela est, ut spoliatus protestetur, quod non consentit quod spolians probet de suo dominio. Tertius est si spoliatus ante restitutionis postulationem succubuerit in petitorio. Quartus est si Reus spoliator absit, non tamen per contumaciam, vel dolum. Quintus est si talis opponatur exceptio, quæ agentem minimè possedisse concludat, vt puta, si laicus dicat se spoliatum beneficio, vel Sacerdos uxore, & eis opponatur de sæcularitate, vel Sacerdotio. Sextus est cùm pro spoliatore contra spoliatum militat juris præsumptio, ut puta, si quis restitui postulet ad decimas, quas intra alienæ parochiæ limites possedisse asserit: eas enim occupasse injustè verisimiliter præsumitur, & ideò non est restituendus, nisi evidenter docuerit, quòd earum possessionem legitimè assecutus fuerit. Septimus est si spoliatus hæresis (*b*) Reus sit. Octavus est si facta restitutione animæ periculum (*c*) immineret, vel scandalum (*d*) timeri possit. Et etiam alii plures sunt casus, de quibus latissimè per Legistas *in l. naturaliter §. nihil commune ff. de acquir. poss. & per gl. Summa 3. q. 1.*

a *Licèt contra spoliatum possit opponi exceptio alterius spolii, contra spoliatum tamen lite pendente non potest talis exceptio opponi gl. in princ. Tit. ut lite pend. in verbo, Inovari poterit.*

b *Vel alterius criminis, quod induceret beneficii privationem ipso jure gl. hic in verbo, deprehenditur.*

c *Ut puta, quia spoliatus est quis uxore, quæ excipit de consanguinitate in gradu prohibito.*

d *Maximè grave.*

Ad §. Ultimum.

POstremò sciendum est, in spoliantis odium constitutum esse, si spoliatus proprietatis litem (*a*) ingressus fuerit, nullam de illata sibi violentia mentionem faciens, ut idem nihilominus possit, antequam renunciatum sit, aùt conclusum in proprietatis judicio, intentare possessorium, etiam petitorio suspenso: Secus est si renunciatum fuerit, vel con-

clusum in causa proprietatis, nisi tamen aliter Judici ex justa causa videatur expedire.

a *Immo etiam si simus in causa appellationis, ut in Clem. unica, de causa poss. & prop.*

De litis contestatione.

TITULUS XI.

HActenus diximus de preparatoriis judiciorum, perveniamus nunc ad ea, quibus ipsum judicium constituitur. Et quia litis contestatio est fundamentum judicii, ideò de litis contestatione videamus.

Est igitur judiciorum quasi fundamentum quoddam litis contestatio: Nàm si illa à partibus prætermissa fuerit, proculdubio omnia, quæ sequuta fuerint, corruent: Unde, lite non contestata, nec testes recipi, nec ad sententiam perveniri poterit. Hoc tamen non est perpetuum ut mox videbimus *ad §. admonendi, cum duob. seq.* Fit autem litis contestatio per petitionem in (*a*) jure propositam, & congruam responsionem sequutam, animo contestandi litem factam, cùm judex (*b*) per narrationem negotii Causam audire cœperit. Unde si quis positionibus simpliciter respondeat, aùt peremptoriam exceptionem opponat, non intelligitur per hoc esse facta litis contestatio. Non tamen est necessarium, quod Reus dicat respondeo ad libellum, animo contestandi litem: nàm in dubio talis animus debet præsumi, ex quo respondetur ad libellum: nisi protestatio fiat in contrarium, *gl. hic in verbo, animo. Abbas tamen in cap. unico, de litis contest. sub num.* 15. putat, quod ubi est consuetudo, ut talia verba proferantur, quando respondetur animo contestandi litem, non fiet litis contestatio, nisi talia verba exprimantur. Et communis praxis contestandi litem est, ut reus dicat, posita prout ponuntur, narrata prout narrantur, vera non esse, salvis juribus, & defensionibus suis loco, & tempore producendis.

a *Idest in judicio, & Judice sedente pro Tribunali. Vide tamen*

men de hoc Abb. in cap. cum causam de appell. in princ.

b *Vel etiam Arbiter, ut not. in l. 1. C. de lit. cont.*

Ad §. Fit autem.

NOn solùm autem per principales fit litis contestatio, sed etiam per procuratorem, Tutorem, & personas (*a*) similes. Responsio quoque advocati, (*b*) nisi statim (*c*) revocata (*d*) fuerit, litis contestationem facit. Et quando fit litis contestatio per procuratorem, & alios, qui justam prætendunt ignorantiam in facto alieno, communiter (*e*) servatur, quod fiat per verbum, ignoro.

a *Puta, actores, vel syndicos.*

b *Sic & confessio advocati prajudicat parti non revocanti.*

c *Sed quando intelligitur statim? ℞. ut per gl. hic.*

d *Sed an ad revocandam advocati responsionem sit necessariũ docere de errore advocati? ℞. negativè.*

e *Vallens. in Decret. h. t. §. 1. num. 11.*

Ad §. Nec solùm.

NEc solùm, cùm per actionem judicium instituitur, erit litis contestatio necessaria: sed etiam ubi deficiente actione judicis officium imploratur, veluti, cum restitutio in integrum, non incidenter, sed principaliter postulatur. *Vide gl. primam hic.*

Ad §. Igitur.

EFfectus autem qui proveniunt ex litis contestatione sunt varii. Nàm secuta contestatione Reus, & judici (*a*) subiicitur, & Actori obligatur, non possunt amplius opponi exceptiones dilatoriæ, perpetuantur (*b*) actiones, (*c*) præscriptio interrumpitur, constituitur adversarius in mora quantum ad fructus, *l. certum 22. C. de rei vindic.* Non potest revocari paocuratorium mandatum, nisi causa prius cognita, *l. post litem 17. ff. de procurat.* Res deducta in judicium (*d*) fit liti-

litigiosa, ita ut amplius alienari non possit, A. litigiosa, C. de litigiosis. Potest procedi ad sententiam definitivam de jure communi, ad quam sine ea procedi (*e*) non poterat. *A. de exhib. reis, cap.* 4. Et alii quoque effectus proveniunt ex litis contestatione, de quibus per speculatorem *in Tit. de litis contest. §. penult. & ult.*

a *Ità quod post litis contestationem non potest amplius judex recusari.*

b *Aliud in Actione doli, l. ult. C. de dolo. Item aliud etiam in officio judicis, quod pro actione proponitur, quia litis contestatione non perpetuatur.*

c *Et ad* 40. *annos extenduntur. Modò scilicèt lis fuerit contestata coram judice competente. Vallens. in Tit. Decret. de lit. contest. §. 2. n. 5.*

d *Tam reali, quam personali actione. Idem Vallens. in princ. d. §.*

e *Vide in fine h. t.*

Ad §. Admonendi, cum duobus seq.

QUod tamen ad principium hujus Tituli traditum est, lite non contestata non posse Testes recipi, aùt ad sententiam perveniri, non est perpetuum. Nàm, si fortè de morte Testium timeatur, vel absentia diuturna, cùm civiliter (*a*) est agendum, testes, etiam lite non contestata, possunt ad perpetuam rei memoriam (*b*) examinari: sivè pars conventa sit contumax, sivè absque dolo sit absens, ut conveniri non possit.

Est tamèn notandum, quod licèt his casibus recipi videantur Testes lite non contestata, veritate tamen inspecta, & quoad effectum, non intelliguntur recepti lite non contestata: quia non publicantur, nisi lite contestata, & cum aliis, si alii lite contestata inducti fuerint. *glos. hìc.*

Debet tamen (*c*) actor, qui Testes examinavit ad perpetuam rei memoriam quando adversarius erat absens, ita quod commodè citari non poterat, convenire adversarium infra annum, ex quo conveniri poterit: vel saltem hujusmodi Testium

ſtium receptionem illi denunciare: alioqui atteſtationes ſic receptæ non valebunt. Sunt & alii caſus, in quibus abſque litis conteſtatione legitimè poſſunt Teſtes produci, & lis ſententia terminari. Et generaliter ubicunque libellus non èxigitur, aùt jus agendi contra certam perſonam nòn dirigitur, litis conteſtatio (*d*) non eſt neceſſaria. Et *gloſ. prima in cap. Quoniam frequenter, ut lite non conteſt*; numerat viginti caſus, in quibus lite non conteſtata poſſunt Teſtes recipi.

a *In criminalibus nunquam recipiuntur Teſtes lite non conteſtata. Vide Vallenſ. in Tit. Decret. ut lite non conteſtat. circa fin.*

b *Per Judicem Rei.*

c *Reus verò poteſt Teſtes ſuos quandocunque voluerit examinare. Vid. Vallenſ. in Tit. Decret. ut lit. non conteſt. ſub n. 5.*

d *In cauſis ſummariis non requiritur litis conteſtatio.*

De Juramento (*a*) calumniæ.

TITULUS XII.

Quia poſt conteſtatam litem ſtatim jurandum eſt de calumnia, meritò poſt ſuperiorem Titulum ſubiicitur præſens.

Ut igitur in judiciis abſit calumnia, inſtitutum eſt, ut litigatores in exordio litis, de calumnia vitanda jurare (*b*) debeant. Quod juramentum ſi quis recuſaverit præſtare, actor quidem cadet (*c*) ab inſtituta actione, Reus antem pro confeſſo (*d*) habendus erit. Poterit tamen contumax in jurando uſque (*e*) ad pronunciam judicis purgare contumaciam. Continet autem hoc juramentum quinque Capita. Primum quòd credit ſe jurans bonam Cauſam habere. Secundùm quòd interrogatus non negabit, quod verum credit. Tertium quòd non utetur ſcienter falſa probatione. Quartum quòd dilationem non petet in fraudem. Quintum quòd nec dabit, nec dedit, nec promiſit, nec promittet aliquid pro cauſa, niſi quibus leges dari permittunt *gl. hic*.

a *Scilicèt, vitandæ gl. hic.*

b *Sivè causæ sint ordinariæ, sivè summariæ. Vallens. in §. 3. h. t.*

c *Per sententiam.*

d *Per sententiam.*

e *Cùm hujusmodi juramentum præstari ab initio, de substantia ordinis judiciarii non existat. cap. 1. de juramen. calum. in 6.*

Ad §: In hac tamen.

CLerici tamen in Causa propriæ Ecclesiæ inconsultis illorum Prælatis, non coguntur jurare de calumnia, licèt in propriis causis hujusmodi privilegio non gaudeant. Sed, & quo casu hoc juramentum subire, vel permittuntur Prælati, vel jubentur, non tactis, (*a*) sed tantùm propositis scripturis (*b*) id implebitur. Consuetudo autem videtur admisisse in omnibus clericis, ut etiam in causis propriæ Ecclesiæ, jurent de calamnia, etiam inconsultis illorum Prælatis.

a *Regulariter requiritur Tactura scripturarum.*

b *Idest, Evangeliis, sed de consuetudine sufficit, quod testis tangat quamlibet scripturam.*

Ad §. In causis.

IN Causis spiritualibus, ut puta, de Ecclesiis, de decimis, & similibus, olim de calumnia minimè jurabatur: sed hodie etiam in eis de calumnia juratur. In causis tamen spiritualibus non habet locum pœna recusantis hoc juramentum, de qua *in princ. h. t.* ne inde scilicèt detur vitiosus ad talia ingressus. *Vallens. in Tit. Decret. de jur. cal. §. 4. num. 3.*

Ad §. Et non tantum.

ET non tantùm principales: verùm etiam procuratores, & (*a*) syndici jurare de calumnia (*b*) tenentur. Et licèt procurator habeat specialissimum mandatum ad jurandum nomine

nomine domini, vel respondendum, vel agendum, nihilominùs tenetur jurare, nonsolùm in animam domini, sed etiã in animam (c) suam de calumnia: quia procurator non debet causam iniustam suscipere. Et procuratores, & syndici debent hujusmodi juramentum suscipere, etiam si post hoc præstitum juramentum deputati fuerint, nec enim illud intra certa judicii tempora (d) coarctatum reperitur: sed poterit Judex tale juramentum exigere, quoties expedire viderit.

a *Syndicus jurat de calumnia in propriam animam.*

b *Et idem est in Tutore, & Curatore. Idem & in patre, quando habet legitimam administrationem. Idem in Advocatis. Vide gl. hic, & Vallens. in Decret. h. t. §. 2. num. 3. & 4.*

c *Procurator in aliis juramentis jurare debet in animam domini.*

d *Vide in princ. h. t. & ibi in marg.*

Ad §. Prætereà.

PRæterea quamquam in prima instantia partes juraverint de calumnia, nihilominus in causa appellationis præstari debet calumniæ juramentum. Et idem in juramento (a) de veritate dicenda est observandum. Causa enim appellationis dicitur esse diversa à principali.

a *Juramentum Calumniæ, & juramentum de veritate dicenda sunt diversa, differentias vide in gl. ult. hic.*

Ad §. Ultimum.

PRæstari autem juramenta calumniæ, non est de substantia ordinis judiciarii. Ideòque propter ommissum tacitè in tota causa calumniæ juramentum, judicialis processus aliàs factus legitimè, non est nullus, nec etiam annulandus. Secus est si expresse remittatur, quia sic remitti (a) non potest, *l. 2. §. sed quia C. de jure jur. propt. cal.*

a *Testium verò juramentum expresse remitti potest, non tacitè.*

Ut lite pendente nihil innovetur.

TITULUS XIII.

INstituta ergo lite, & præstitis satisdationibus præstari solitis, calumniæ juramento exhibito, ad probationes, & merita Causæ descendendum erit: & interim pendente lite nihil innovari poterit. Quod tamen intelligendum est de his, quæ pertinent ad judicium, & causæ processum. Quòd si lite pendente aliquid innovatum fuerit, irritum erit ipso jure. Hinc est, quod si beneficiatus, contra quem super beneficio litigatur, cedit, vel decedit: beneficium hujusmodi ante finitam litem cum superstite, alii nullatenus potest conferri: irritumque ipso jure habetur si quid secus factum fuerit, *cap.2. ut lit.pend.in 6.*

Ad §. Lis autem.

LIte igitur pendente nihil debet innovari. Lis autem quo ad innovationem impediendam pendere dicitur postquam citatio legitimè ad partem citatam pervenerit, vel per eam factum (*a*) fuit, quominus perveniret, dùm tamen in citatione ea sint expressa, per quæ possit quis instrui, super quibus in judicio convenitur, *Clement.2. h.t.* Est ergo consilium ad inducendam litis pendentiam, quod Actor inserat in Citatione copiam libelli, ut pars citata possit plenè instrui super quibus in judicio convenitur, *gl.ult.hic*, *& in in dicta Clement.2.*

a *Scilicèt dolosè*.

Ad §. Planè.

ALiquando tamen, etiam lite pendente, fit innovatio: ab eo enim, qui postquam à sententia provocavit, possessionis fructus dissipat, etiam lite pendente, sequestrari poterunt. Et hoc (*a*) ideò, quia si confirmabitur sententia, debet

debet fructus perceptos post litem contestatam restituere cum ipsa re, *l. certum 22. C. de rei vindic.* Et præsumptio pro actore insurgit ex sententia jam lata pro ipso & contra reum ex eo, quod dissipat, *Abbas in cap. ult. de sequest. possess. & fruct. sub num. 5.*

a *Gl. in cap. ult. de sequest. poss. &c.*

Ad §. Ultimum.

SIc etiam litis pendentia super matrimonio, non irritat secundum matrimonium (*a*) ritè contractum, si primum erat nullum. Ei tamen, qui in contemptum contraxit, competens pœnitentia imponenda erit.

a *Et rectè.*

De Probationibus.

TITULUS XVI.

COntinuatio præsētis Tituli sumitur ex *princ. Tit. praeced.* Probatio igitur est idoneis (*a*) argumentis, & legitimis mediis (*b*) veritatis facta demonstratio. Contingit autem quid probari.

Primò Confessione partium, cùm scilicèt reus positionibus respondēdo, vel aliàs in judicio de intentione confitetur actoris. Sunt autem positiones, breves quædam narrationes, facti seriem continentes, ad eliciendam veritatē conceptæ, super quibus quis petit ab adversario respondere. Et super positionibus responderi debet ab adversario, non autem ab advocato, vel alia Tertia persona: nisi tamen pars sit simplex, & probabiliter timeatur, ne capiatur: Tunc enim poterit respondere per advocatum. Idem si sit persona indiscreta. Et debet adversarius clarè positionibus respondere: aliàs fiet interpretatio contra ipsum respondentem. *gl. hic.*

a *Sume pro indiciis, præsumptionibus, & aliis adminiculis. Vide Abb. in Rub. de probat. sub num. 1.*

b *Puta; Testibus, & instrumentis.*

Ad §. Si quis igitur, cum §.ſeq.

SI quis igitur poſitionibus factis reſpondere juſſus à Judice, recuſaverit (*a*) reſpondere, vel ne reſponderet, contumaciter ſe abſentaverit,(*b*) pro cōfeſſo habendus erit. Sed ſi antequam reſpondere ſic juſſus fuerit, ſe abſentaverit contumaciter, tunc pro confeſſo non debet haberi, ſed contra eundem tanquam contra contumacem procedentem erit ut ſuprà in Titulo de dolo, & contumacia.

Quod tamē reſpondere juſſus à Judice non reſpondens poſitionibus habendus ſit pro confeſſo, intelligendum eſt, cum Judex ipſe interrogat, in tantum; quod ſi notarius, etiam ex commiſſione Judicis, interrogaret, non haberet locum, quod hic dicitur, niſi Judex eſſet præſens. *Vide gl. hic in verbo, à Judice.*

a *Abſque rationabili cauſa, cap. 2. de confeſſis in 6.*

b *Sed quæritur, an ipſo jure, an potiùs per ſententiam?* ℞. *requiritur declaratoria. Vide gl. hic.*

Ad §. Redditis igitur.

REdditis igitur circa exhibitas poſitiones reſponſionibus, ſi à Reo ſuper controverſia legitimam (*a*) confeſſionem actor extorſerit, ſtatim ſuper tali confeſſione pronunciandum (*b*) erit. Planè ſi per errorem (*c*) facti hujuſmodi confeſſionem emanaſſe doceatur, nullum præjudicium generabitur confitenti, qui ſtatim illam revocavit. Imò uſque ad definitivam ſententiam poterit talis confeſſio revocari, *cap. finali, de confeſſis.*

a *Quænam concurrere debeant ad hoc, ut dici poſſit legitima confeſsio; habes in gl. hic.*

b *Hoc videtur habere locum cum confeſsio ſit poſt litē conteſtatam. Nàm in Civilibus confeſſus habetur pro condemnato. Vide gl. hic, & Vallenſ. in Tit Decret. de Confeſſ. ſub num. 10.*

c *Vel iracundiam, vel nimiam feſtinationem.*

Ad

Ad §. Non tamen.

NOn tamen, quia positionibus reus respondere compellitur, sic etiam instrumenta, quæ ad causam pertinentia pœnes se detinet, edere actori cogendus erit: nisi essent instrumenta communia. Sed actor ipse, negante reo, debet suam probare intentionẽ, vel testesinducendo, vel instrumenta, & alias scripturas producendo. Sunt autem instrumenta cõmunia v.g. instrumenta hereditaria inter coheredes, seu instrumẽta duobus pariter donata, vel legata, vel communi pecunia empta. *Vide Abb. in cap. 1. de probat. sub num. 7. & plur. seq.*

Ad §. Debet autem, cum §. seq.

SEcundò contingit quid probari depositione Testium. Debet autem in primis, si depositione testium probatio sit faciẽda, citari (*a*) adversarius ad audienda (*b*) juramenta testium, ne alioquin depositio sit ipso jure nulla. Testi autem non jurato, quantumcumque religiosus existat, in præjudicium alterius credi non debet, nisi forte juramentum ab utraque (*c*) parte remittatur. Dictum tamen alicujus magni, uel religiosi viri non jurati faciet præsumptionem, *Abb. in cap. cum olim, sub num 5. de dolo, & contum.* Et animadvertite, quod quando testis declarat dictum suum dubium, non requiritur juramentum, quia qui declarat, nihil de novo facit, sed factum detegit.

a *Nunquid autem sufficiat unica citatio, vel potius requiratur trina, vide per Abb. in cap. consuluit, de offic. del.*

b *Quid si nolit venire? ℞. recipiuntur, & valebunt depositiones, ac si venisset.*

c *Sed an requiratur consensus etiam judicis? Vide in gl. hic.*

Ad §. Quòd si.

QUòd si Testes à Judice moniti recusent ferre testimonium, per censuras Ecclesiasticas testificari compellendi

lendi (*a*) erunt, nec obstabit juramentum de non deponendo: quia tale juramentum est illicitum (*b*), & non potest observari sine peccato, quia celat veritatem. *Abb. in cap. intimavit sub num. 2. circa fin. de Test. & attest.*

a *An in criminalibus possint Testes cogi dicere testimonium Vide per Vallens. in Tit. Decret. de Test. cog. num. 3.*

b *Et non valet. Ideoque non erit necessaria absolutio, licèt cautè faciant qui petunt. Vide Vallens. in Tit. Decret. de Test. cog. sub num. 3. in fin.*

Ad §. Interrogabit.

INterrogabit ergo Judex Testes in qualibet Causa ad minus duos, quia in ore duorum, vel trium testium stat omne verbum, *cap. licèt 23. de Test. & attest.* Et nulla causa est regulariter, quæ unius testimonio quantumvis legitimo terminetur. Dixi, regulariter, Nàm plures sunt casus, in quibus dictum (*a*) unius facit plenam probationem. *Et Abb. in cap. super eo 22. de Test. & attestation. sub num.* 7. ponit Regulam, quod ubicunque agitur ad peccatum impediendum: nec diminuitur jus alterius, sufficit dictum unius. Et Iudex diligenter Testes examinabit de singulis circunstantiis, videlicèt, de contestibus, de loco, (*b*) & tempore, idest, quo loco, & quo tempore actus, de quo quæritur, fuit gestus, de visu, auditu, scientia, & causa scientiæ. Et debet reddi causa scientiæ per illum sensum corporeum, quo percipitur actus, super quo deponitur, ut si deponendum sit super re perceptibili, Visu, debet testis dicere, quia vidi, si super re perceptibili auditu: quia audivi, & sic de singulis. Item de (*c*) credulitate, scilicèt, an credant Testes ea, quæ deponunt, de fama, & certitudine, cæterisque, quæ ad rem facere, & negotio convenire existimabit. Illud quoque subtiliter animadvertere non omittet, quo vultu, qua constantia, quave animi trepiditate Testes deponant.

a *An autem valeat consuetudo, quod uni testi credatur vide per Abb. & alios in cap. 2. de prob. & per Iason. in l. de quibus ff. de legibus.*

b *Nàm*

b *Nàm si in his testes essent diversi, non valeret eorum testimonium.*

c *De auditu, fama, & credulitate interrogatur Testis ad præsumptionem, non ad plenam probationem.*

Ad §. Si qui tamen.

SI qui tamen eorum, qui sunt examinandi, ad præsentiam judicis venire non possint, veluti quia sint valetudinarii, vel senes, debet judex mittere personam idoneam ad suscipiendum illorum examen. Idem si sint egregiæ personæ: debet enim judex ad eas mittere, nisi illæ suo privilegio renunciare velint, *l. ad personas 15. ff. de jurejurando.*

Ad §. Testes verò.

TEstes verò non omnes recipiendi sunt, sed fideles duntaxat, & idonei. Considerantur (*a*) autem testes Conditione, Natura, & Vita. Conditione, si liber Testis, non servus. Natura, si vir sit, non fœmina. Licèt enim fœmina regulariter in (*b*) civilibus possit esse Testis, *l. Qui testamento 20. §. mulier ff. de Testamentis*, tamen in comparationẽ masculi non est perinde idonea, nec facit tantam fidem. Et fœmina, quando testimonium ipsius est necessarium, si honestè vivat, non debet Testimonii ferendi causa in judicium personaliter evocari, vel trahi invita, sed Tabellio (*c*) ad eam est mittendus expensis partis producentis eandem, *cap. 2. de judiciis in 6.* Vita consideratur Testis, si innocens sit, & integer: Nàm Testis malæ vitæ caret fide.

a *Censentur, reputantur, sunt magis, & minus in pretio respectu illorum trium, quæ hic ponuntur.*

b *Secùs in criminalibus, secundum Canones. Et hoc regulariter. Vide gl. hic, & Vallens. in Tit. decret. de Test. & attest. §. 2. n. 23.*

c *Vel alia idonea persona, cap. 2. de judic. in 6. Vide g. hic.*

Ad §. In ſumma.

CLerici (*a*) à ferendo teſtimonio ſuper negotio propriè Eccleſiæ, vel aliæ ſingulares perſonæ, in cauſa ſuæ univerſitatis (*b*) repellendi non (*c*) erunt: niſi ad agendum, vel reſpondendum fuerunt inſtituti: horum enim Teſtimonium in Cauſis, in quibus actores, vel reſponſales ſunt inſtituti, non debet admitti, *cap. inſuper 6. de Teſt. & atteſt.* Vel niſi ipſos alia cauſa rationabilis impedierit, ut excommunicatio, crimen grave, perjurium, infamia, *cap. cum nuncius 12. juncto cap. ex parte 7. & cap. teſtimoniũ 54. de Teſt. & atteſt.*

a *Tam inferiores, quàm Prælati Eccleſiarum. Hoc tamen non haberet locũ ſi prælatus promoveret cauſam, in qua vult teſtificari. Item quando ageretur de cauſa, quæ ſpectat ſpecialiter ad menſam Epiſcopalem.*

b *Etiam ſæcularis.*

c *Et hoc intellige in Civilibus. Secus in Criminalibus. Vide tamen gl. hic.*

Ad §. Monachi.

MOnachi quoque, & quicunque ſubalterius obedientia conſtituti ſunt, ut canonici regulares, converſi, & alii religioſi hujuſmodi, de ſui Præſulis licentia poſſunt teſtimoniũ dicere. Sed quid ſi non haberint licentiam, & teſtificati ſunt? ℞. valet Teſtimonium. *Abb. in cap. cum nuncius 12. ſub. num. 4. de Teſt. & atteſt.*

Ad §. Chriſtianorum, cum trib. ſeq.

CHriſtianorum quoque teſtimonia adverſus judeos in omnibus cauſis admittenda ſunt. Sed contra Chriſtianum, nec (*a*) Judæus, nec Paganus, nec hæreticus, aùt aliter infidelis, neque excommunicatus, aùt aliter criminoſus perſeverans in crimine, teſtimonium dicere poſſunt. Qui verò de crimine eſt emendatus, non eſt in cauſa civili, vel

etiam

etiam cum de crimine civiliter agitur, à testificandi officio repellendus, nisi fuerit reus perjurii, vel nisi eum committetur infamia. In causa verò criminali, potest à testimonio, licèt egerit pœnitentiam, removeri. Ejus tamen testimoniū, qui integer deposuit, non infirmatur, quamquam is posteà factus sit criminosus. Nec enim quod legitimè factum est infirmari debet, licèt casus posteà eveniat, à quò non potest inchoari. *c. factum legitimè, de reg. jur. in 6.*

a *Vide Vallens. in Tit. Decr. de Test. & attest. §. 2. num.* 17.

b *Idem dicas de suspenso gl. hic.*

Ad §. Domestici.

DOmestici quoque, & similem habentes causam, ad testimonium admittendi non erunt. Et licèt propriè dicantur domestici ii, quibus imperari potest ratione patriæ, vel dominicæ potestatis, hic tamen non adeò strictè sumitur domesticus: nàm & alii servitores, qui stant in domo ad serviendum comprehenduntur in dispositione hujus §. *Vide gl. primam hic.*

Ad §. Is quoque.

IS quoque, qui in prima instantia alicujus causæ fuit advocatus, vel procurator, in judicio appellationis in testem recipiendus non erit. Si tamen is, contra quem fuit quis advocatus, vel procurator, petat eumdem in Testem, rectè admittetur. *Vallens. in Tit. Decretal. de Test. & attest. §. 2. num.* 19.

Ad §. Dabunt autem.

DAbunt autem judices ad exhibendos Testes nonsolùm unam: sed ex causa secundam etiam, & tertiam dilationem: non tamen (*a*) quartam, nisi præstito ab eo, qui postulat dilationem, juramento, quod non per dolum, aùt artem aliquam postulet quartam productionem: (*b*) sed quia

quos desiderat de novo producere, priùs habere nequiverit, quodque neque per se, neque per alium testificata subtraxerit, vel didicerit. *cap. 15. & penult. de Test. & attest.* Elapsis igitur tribus dilationibus, postquam renunciatum est probationibus, & publicata sunt dicta testium, regulariter non erit (*c*) rursus productio Testium concedenda. Et sicut publicatis attestationibus non licet in prima instantia, sic non debet in secunda licere super eisdem, vel directò contrariis articulis alios, vel eosdem Testes producere, (*d*) sed tantùm super capitulis de novo emergentibus, cùm non minus in secunda, quàm in prima instantia Testium sit timenda subornatio.

a *Dispositio hujus §. non servatur in Rom. Curia: quia in ea tales productiones, sivè dilationes dantur pro Judicis arbitrio.*

b *Idest, dilationem, in qua fit productio. Vide gl.*

c *Admissa tamen probatio, licèt contra juris dispositionem, valebit. gl. hic.*

d *Parte scilicèt invita.*

Ad §. Sed interdum.

Contra testes autem post publicationem opponi non potest, nisi volens opponere, cum juramento firmaverit, quòd ad hoc ex malitia non procedat: vel nisi ostendere: (*a*) potuerit, quod post publicationem habuit notitiam ejus, quod vult in personas testium obiicere: vel nisi fortè quis antè publicationem fuerit protestatus, velle se post publicationem, personas testium repellere, quo casu, si quid pro ipso dixerint testes, non de facili fides adhibebitur.

a *Poterit id ostendere per juramentum. gl. hic.*

Ad §. Illud etiam.

Illud etiam admonendi sumus, quòd non solùm possunt examinari secundi Testes contra primos, sed etiam tertii contra secundos. Et non admittente Judice, licitè appellari

pellari

pellari poterit. Ulteriùs autem partibus ad reprobationem Testium aspirare minimè licebit.

Ad §. Publicatis.

PUblicatis igitur attestationibus, nonsolùm ad multitudinem testium debet Judex respicere: sed etiam pensare testium, & depositionum qualitatem, & ex his animi sui motum informabit. Quòd si dictum alicujus testis sit obscurum, Judex iterum eundem examinare (*a*) poterit. Et generaliter Judex usque ad sententiam interrogare poterit super facto, quoties dubitationis aliquid occurrerit. Testis quoque, si erraverit, (*b*) poterit incontinenti, non ex intervallo, dictum suum corrigere, *cap. prateteà* 7. *de Test. cog.* Et quando Testis dicatur dictum suum corrigere incontinenti erit Judici arbitrarium considerata qualitate personæ, & quantitate intervalli, colloquio partium, & reliquis circunstantiis, *Ab. in cap. prateteà, sub. num.* 12. *de Test. cog.* Non solùm autem obscurè deponentem poterit Judex repetere: sed etiam testes iterum (*c*) interrogare poterit, si adversarius à principio illos interrogari super certis capitulis postulasset, idque malitiosè, vel negligenter fuerit prætermissum.

a *Officio suo, non ad instantiam partis, ob timorem subornationis.*

b *Non studiosè. Non tamen debet testis docere de errore.*

c *Etiam ad petitionem producentis, & post publicationem, cap. per tuas* 48. *de test. & attest.*

Ad §. At si partes.

TErtiò contingit quid probari instrumentorum productione. Et instrumentorum appellatione hic continentur scripturæ, quæ in judicio exhibentur. Et possunt exhiberi usque ad conclusionem in causa. In causa autem conclusum esse tunc dicemus, cùm à partibus omnibus probationibus renunciatum fuerit. Non tamen omnis scriptura in Ju-

diçio producta fidem facit, sed illa solùm, quæ publica (*a*) est, aùt authentico (*b*) sigillo munita. Exempla quoque solemniter (*c*) sumpta fidem (*d*) faciunt. Et etiam fidem faciunt instrumenta, quæ ad petitionem eorum ad quos pertinent, permissu Judicis ordinarii in publicam formam redacta fuerint post mortem Tabellionis. Creditur ergo instrumentis publicis non cancellatis, neque ablitis, nec ulla parte sui vitiatis, aùt aliquo pacto de falsitate suspectis. Omissio tamen unius litteræ, aut ratio in loco non suspecto, non vitiat Instrumentum.

a *Scripta scilicèt per manum publicam, idest per Notarium.*

b *Puta, sigillo Episcopi. Item Capituli. Item secularis Principis.*

c *Quando solemniter sumpta dicantur, habes in contex. hic.*

d *Et non est opus producere ipsa originalia, si tamen sit exemplatum totum instrumentum.*

Ad §. Quod si, usque ad §. Judicis.

QUartò contingit quid probari jusjurandi religione. Igitur si nec Testibus, nec instrumentis intentionem suam actor plenè probaverit, poterit Judex deferre actori juramentum ad supplendas probationes, & causam terminare. Sed & si pro Reo præsumptiones fuerint, eidem erit deferendum juramentum ad suam tuendam innocentiam, nisi inspectis personarum, & causæ qualitatibus, illud Judex actori deferendum censeat. Et hoc juramentum, quod à Judice defertur ut supra Actori, vel Reo, nuncupatnr necessarium, & quòd à Judice illud omninò deferri partibus (*a*) oportet, & quòd ritè delatum, ab eisdem recusari non potest nisi ex justis causis, ut putà, si actor sibi non plenè cognitam rem (*b*) ipsam asserat. Aliud est juramentum, quod à parte (*c*) parti, approbante tamen Judice, defertur. Et appellatur voluntarim, quia scilicèt pars nonnisi volens defert, & ab eo, cui defertur, licitè recusari, ac deferenti referri potest. Non tamen potest Reus in famosis (*d*) actionibus Juramentum agenti referre, cùm non Actor, sed ipse Reus, facti

facti (*e*) propri conscius esse debeat.

a *Etiam non petentibus, gl.hic.*

b *Ideò non defertur heredi, quia verisimiliter ignorat veritatem negotii.*

c *Et pars, quæ defert jurabit, quod per calumniam non defert.*

d *Ut in Actione furti.*

e *Si ergo Actio famosa est talis, in qua accusator, seù actor potest esse tam benè informatus, quam reus, potest referr juramentum, ut si accuso te, quod intuleris mihi injuriam*

Ad §. Judicis.

QUintò Iudicis inspectione consistunt probationes, ut putà, cùm pro terminandis finium quæstionibus Iudex differentiæ locum propriis oculis subiicit. Et etiam aliquando mandat Iudex (*a*) peritis, ut ejus nomine inspiciant, ut cum ad probandam virginitatem ab obstetricibus inspici (*b*) mulierem jubet.

a *Et debent periti Jurare de credulitate.*

b *An sit idonea matrimonio, an sit prægnans.*

Ad §. Sed etsi.

SExtò contingit quid probari notorietate rei si enim, quid notorium fuerit, alia probatione (*a*) non indiget. Debet tamen Iudex advertere, ne quod dubium est recipiat pro notorio. Id igitur est notorium, quod notorium, est per sententiam, (*b*) seù per confessionem factam in jure, aùt per evidentiam (*c*) rei, quæ tergiversatione aliqua celari non possit, *cap. ult. de cohabit. cler. & mulier.* aùt per præsumptionem, ut contingit in (*d*) paternitate, pater eum per præsumptionem is est, quem nuptiæ demonstrant, *l. quia semper 5. ff. de in jus vocando.* Est tamen not. quod licèt notorium relevet ab onere probandi, non tamen relevat ab onere proponendi, & allegandi.

a *Sententia tamen est necessaria.*

b *Hoc*

ta condemnatione, vel absolutione: Sententia condemnatio ipsa, vel absolutio, *l. 1. ff. de re jud.* Et animadvertite, quod est constituenda differentia inter rem judicatam: & sententiam transire in rem judicatam: Nàm res judicata dicitur, ut suprà, & ante appellationem, & post. Sententia autem dicitur transire in rem judicatam, idest, assumere auctoritatem rei judicatæ, quando est elapsus terminus decem dierum ad appellandum: licèt enim prius esset res judicata, tamen post decem dies sententia transit in auctoritatem rei judicatè, quia tunc juris auctoritate efficitur irretractabilis. *Iason in l. 1. sub num. 8. in fine de re judic.*

Est igitur sententia (*a*) nihil aliud, quàm controversiæ propositæ à judice ritè facta definitio. Et dicitur ritè, non autem, rectè: quia verbum, rectè, respicit justitiam ex causa, verbum, ritè, justitiam ex ordine: Omissio autem justitiæ ex causa non reddit sententiam nullam, & non sententiam, sed omissio, vel defectus justitiæ ordinis, ità officit, ut pronunciatum non sit sententia, *gl. hic in verbo ritè*.

a *Dicitur autem sententia, quia judex secundum quod sentit, declarat, deffinit, & determinat lites, & dubia inter partes, Abb. in Rub. de sent. & re jud. sub num. 4.*

Ad §. Sententiarum, cum duob. seq.

SEntentiarum duæ sunt species, aùt enim interlocutoriæ (*a*) sunt, aùt definitivæ. Interlocutoria est illa, quæ inter principium, & finem causæ fertur super his, quæ incidunt, vel emergunt, qualis cùm judex dandam, vel negandam dilationem ad examinandos Testes, vel exhibenda instrumenta interloquitur. Et dicitur interlocutoria, vel quia judex non definit causam, sed loquitur inter principium, & finem causæ, vel quia judex inter partes loquendo sine solemnitate scripturæ pronunciat. *Abb. in rub. de sent. & re jud. sub num. 6.* Definitiva verò sententia, est definitio judicialis, quæ condemnando, vel absolvendo principali controversiæ finem imponit. Et dicitur definitiva: quia imponit finem controversiæ, & finit judicis officium. *Abb. ubi*

suprà

suprà sub.num.5. Non tamen ut sententia valeat condemnandi, (*b*) vel absolvendi verbum necessariò continere debebit, sed satis erit, quod verbum æquivalens contineat. Differt definitiva ab interlocutoria Primò, quòd definitivam in scriptis ferri opportet, non item (*c*) interlocutoriam. Secundò quia definitiva principale negotium definit, eique finem imponit: Interlocutoria non: quia tantùm fertur super his, quæ inter principium, & finem causæ incidunt, vel emergunt, ut suprà dictum est. Tertiò quia interlocutoriam ante definitiuam quandocunque judex revocare poterit: (*d*) Definitivam simul ac tulerit retractandi copia Iudici denegabitur. Et etiam aliæ plures sunt differentiæ inter sententiam definitivam, & interlocutoriam, de quibus videri potest (*e*) *Rebuf. in l.quod jussit 14.ff.de re judic. vers. Capiamus*.

a *Ad hanc distinctionem omnes cujuscunque generis sententiæ redigi possunt.*

b *Unde valet ejus definitio, qui ità se statuere, & præcipere pronunciavit.*

c *Regulariter. Debet tamen interlocutoria in scriptis redigi ut appareat in Actis.*

d *Vide Vallens. in Tit. Decr. de sent. & re jud. §.2.num.2.& seq.*

e *Vide Vallens. ubi suprà in fine §.*

Ad §. Vocatis.

VOcatis (*a*) igitur partibus loco, & tempore congruis, Iudex ipse sedens (*b*) sententiam de scripti recitatione proferet: aliàs sententia nulla erit. Episcopus tamen, instar personarum illustrium, sententiam per alium recitare potest. Sed si plures (*c*) Iudices sint, vel arbitri, unus tantùm poterit sententiam recitare usus plurali numero, cæteris præsentibus, ac mandantibus.

a *Aliàs sententia lata sine citatione esset ipso jure nulla: etiam si esset lata in favorem non citati.*

b *Anima enim sedendo, & quiescendo fit prudentior.*

c *Sivè ordinarii, sivè delegati.*

Ad

Ad §. Ex facto.

QUòd si duo judices diversas ferant sententias, si sint ordinarii, tenet pro Reo, non pro Actore lata sententia: nisi Actoris causa sit fauorabilis, ut puta, libertatis, dotis, (*a*) matrimonii. Si verò sint delegati, utraque ex delegantis pendebit (*b*) arbitrio. Quod si sint arbitri voluntarii, neutra tenet. Quod si unus tantùm ex pluribus judicibus datis pronunciaverit, sententia nulla erit.

a *Si feratur scilicèt sententia in favorem matrimonii: Nàm in dubio judicandum est pro matrimonio. Vide gl.hic.*

b *Ità ut possit neutram approbare.*

Ad §. Sed sivè.

SEd sivè ordinarius sit, sivè delegatus Judex, non debet judicare contra leges, aùt canones: alioqui sententia erit ipso jure nulla. Et etiam in causis, quæ Summi Pontificis judicio deciduntur, & ordo (*a*) juris, & vigor (*b*) æquitatis est subtiliter observandus: nisi cùm ille aliquid causa necessitas (*c*) & utilitatis dispensativè duxerit statuendum.

a *Ut contra justitiam nulli parcat. Vide Abb.in cap.in causis, de sent. & re jud.in princ.& fine.*

b *Sic legitur in cap.in causis de sent.& re jud.*

c *Uel saltem utilitatis gl.hic.*

Ad §. Si tamen.

QUamvis autem sententia contra jus constitutionis expresse à Judice lata, ipso jure sit nulla, veluti cùm defunctus, & minor 14. annis fuisse asseritur, & Testamentum jure fecisse pronunciatur: Sententia tamen lata contra jus litigatoris, jure tenet, & per appellationem

erit retractanda, veluti cùm minor 14. annis, annum quartum decimum implevisse, ac per hoc Testamentum jure fecisse asseritur.

Ad §. Is autem.

SI quis autem Judex Ecclesiasticus ordinarius (*a*), aùt etiam delegatus, in gravamen partis alterius in (*b*) judicio aliquid contra conscientiam, & contra Iustitiam fecerit, vel omiserit per gratiam, vel per sordes, suspendendus erit per annum ab executione (*c*) officii, & ad æstimationem litis parti læsæ condemnabitur. Et si suspensione durante divinis (*d*) se immisuerit, irregularitatem quoque incurret, à qua non poterit, nisi per Romanum Pontificem absolvi. Salvis aliis Constitutionibus, quæ judicibus malè judicantibus pœnas ingerunt, & infligunt, *cap.* 1. §. *Si quis autem*, *&* §. *ult. de sent. & re jud. in 6.*

a *Fallit hoc in Episcopis, qui aliqua suspensione à conone inducta non comprehenduntur, nisi de ipsis caveatur nominatim.*

b *In arbitro compromissario hæc pœna locum non habet.*

c *Hoc non extenditur ad beneficium.*

d *Scilicèt officiis, non beneficiis.*

Ad §. Lata.

LAta tamen sentẽtia, nisi per appellationem intra decem (*a*) dies suspensa fuerit, transit in (*b*) auctoritatem rei judicatæ, & amplius revocari (*c*) non poterit. Excipiuntur tamen multi (*d*) casus, in quibus nec post decem dies sententia assumit firmitatem rei judicatæ, veluti cùm de matrimonio est quæstio, aùt servata sententia salus animæ in discrimen adducitur, & alii plures, de quibus *per Iason. in Repet. l. admonendi, sub num. 45. & seq. ff. de jure jur.*

a *Non excluditur à numero dies illa, in qua fuit lata sententia, sed tempus currit de momento ad momentum.*

b *Vide suprà ad hanc rub.*

c *Via scilicèt ordinaria, sed per supplicationem, & in integrum restitutionem benè quandoque poterit.*

d *In*

d *In dictis tamen casibus, lapso termino decem dierum, appellari non poterit, sed solùm per viam querelæ poterunt tales sententiæ revocari, nec potest adiri judex appellationis, quia per lapsum dicti temporis tollitur remedium devolutivum. gl. hic.*

Ad §. Ultimum.

DE eo quoque admonendi sumus, quòd etsi sententia transierit in rem judicatam, præter eos, inter quos dicta fuerit, regulariter neminem lædet. Et ideò si ex duobus heredibus debitoris, alter condemnetur, alteri integra defensio est, etiam si cum coherede suo agi scierit, *l. sæpè 63. ff. de re jud.* Dixi regulariter, quia hæc regula, quod res inter alios judicata aliis non noceat habet multas exceptiones de quibus *per gl. & Abb. in cap. quamvis 25. de sent. & re jud.* Nàm si quis de ea re, cujus actio, vel defensio primùm sibi competebat, sustinuit sequentem agere, aùt passus est eum, à quo causam habuit, experiri, ipse quoque sentiet ex re judicata (*a*) præjudicium, *d. cap. quamvis*. Veluti si creditor experiri debitorem passus sit de proprietate pignoris, aùt maritus socrum, vel uxorem de proprietate rei in dotem acceptæ, aùt possessor venditorem de proprietate rei emptæ, *d. l. sæpè 63. ff. de re jud.*

a *Cur autem his quidem scientia noceat, superioribus non noceat Vide in dicta l. sæpè 63. Vers. Cur. autem, de re jud.*

De executione rei judicatæ.

TITULUS XVI.

EXecutio rei judicatæ subsequitur sententiam, & rem judicatam: ideò postquam vidimus de sententiis, & re judicata, videamus de executione rei judicatæ.

Si igitur sententiæ latæ legitima appellatio non occurerit, si in reali actione lata fuerit, statim executioni mandabitur, si verò super personali, post quatuor (*b*) menses, qui tamen

ex causa nonnunquam, & arctari, & prorogari possunt. Et non appellanti currit hoc tempus à die sententiæ: appellanti verò, à die confirmationis sententiæ, *l.2. C.de usur.rei judic.* Sed qui ab initio terminum recipit spontè breviorem, sibi id imputare debebit. Sed quæritur juxta prædicta nunquid indistinctè intra quatuor menses reus nullam molestiā patietur? Dic quod post condemnationem, si vult uti illa dilatione, tenetur satisdare de solvendo in Termino, *Abb. in cap.quod ad consultationem sub num.22.de sent.& re jud.* Quod tamen intelligendum est, si talis sadisdatio petatur à parte, aliàs ipse non tenetur. *Not.in add. ad Abb. ibid.*

a *An hoc tempus dandum sit & his, qui à principio confitentur debitum, cùm hic non feratur sententia: sed solum fiat præceptum de solvendo? ℞. ut per gl.hic.*

b *Nisi possideat immobilia. Not. in sum. ad Abb. in cap.quod ad consultationem, sub num.22. de sent. & re jud.*

Ad §. Sed si ordinarius.

DElegatus autem à Principe, nonsolùm potest executionem propriæ sententiæ ordinario demandare, sed etiā per se illam intra annum executioni mandare, & resistentes Ecclesiastica sententia coercere. Quòd si Princeps propriam sententiam per aliquem executioni mandari jubeat, & circa negotium principale fraus intervenisse dicatur, puta, quod fuerit obtenta sententia per falsos testes, vel per falsa Instrumenta, poterit executor, admittere exceptionem, non ut super ea pronunciet, sed ut negotium ad Superiorem, qui judicavit, transmittat. Et quia regulariter contingit, quòd executio sententiæ ordinario demandetur, Not. quòd ordinarius executioni mandare (*a*) debet sententiam delegati à Principe ad ejus mandatum, etiam si ipsam (*b*) injustam esse cognoverit, nisi ab eo impertare valeat, vt ab hoc onere ipsum liberet. Sed & apud eundem instare poterit, ut executionem tandiù differri patiatur, donec principi veritas innotescat.

a *Sed an hoc procedat etiam in causa criminali, vbi sententia*

est

est corporis afflictiva? ℞. *negativè.*

b *Secus si executor noverit sententiam esse nullam ipso jure. Vide gl. hic.*

Ad §. Sed quid.

EX *hoc §. not.* quòd quando Papa ex certa scientia committit causam appellationis interpositę à sententia lata auctoritate literarum suarum, in quibus inhibita fuerat appellatio, non solùm appellationem videtur recipere, sed etiam priorum judicum jurisdictionem suspendere quoad executionem sententiæ, donec appellationis merita plenius discussa fuerint.

Ad §. Dantur.

DIffertur etiam executio sententiæ, licèt transierit in rem judicatam, si non protelandi causa in integrum restitutio petita fuerit, & in pluribus aliis casibus, de quibus per DD. *in cap. quod ad consultationem, de Sent. & re judic.*

De Appellationibus.

TITULUS XVII.

SUprà visum est de sententia, & ejus effectu, sed quia Appellatio est remedium contra sententiam, meritò subiicitur de Appellationibus.

Est autem appellatio provocatio ad majorem judicem ratione gravaminis illati, vel inferendi. Et dicitur ad majorem judicem: quia de substantialibus appellationis inter cætera est, ut appelletur ad majorem non ad minorem, vel ad parem, vel eundem (*a*) juris fictione. *Abb. in Rub. de appell. sub num. 2.*

a *Veluti, ab officiali Episcopi ad eundem Episcopum, cap. 2. de consuet. in 6.*

Ad §. Appellationum.

Appellationum duæ sunt species, aùt enim extra judiciũ appellatur, aùt in Judicio. Extra judiciũ appellatur, cũ quis antè litis ingressum ab aliquo gravamine appellat. Jus enim Canonicum etiam extra Judicium passim appellare permittit. Et solent hujusmodi appellationes dici provocationes ad causam. In judicio appellatur, aùt antè definitivam sententiam, ut cùm ab interlocutoria, vel alio gravamine provocatur, aùt post definitivam, ut cùm ab ipsa definitiva sententia appellatur. Hodie tamen ante definitivam sententiam ab interlocutoria, vel alio gravamine, non licet (a) indistinctè appellare. *Vide Concil. Trid. sess. 13. cap. 1. vers. in causis, de refor. & sess. 24. cap. 20. de refor.*

a *Non permittit Concilium appellare, nisi à definitiva, vel à definitivæ vim habente, & cujus gravamen per appellationem à definitiva reparari nequeat, Vide Concil. loc. cit. & Vallens. in Tit. decret. de appell. §. 4. sub num 4.*

Ad §. Multum.

Appellans autem ad interlocutoria, vel alio gravamine, & causam appellationis in scriptis assignare, & à Judice infra triginta (c) dies instanter petere debet Apostolos & eidem intra dictum temporis spatium debent ab eodem Judice exhiberi. Apostoli autem sunt (a) literę, quæ dantur ab eo, à quò appellatum est, ad eum, qui de appellatione cogniturus est continentes, & appellationis causam, & cur appellatio non sit admissa, vel si appellationi forsam ex Superioris reverentia sit delatum. Alioqui si eos intra idem tempus appellans petere prætermittat, appellationi suæ renunciasse (b) putabitur, etiam si vadat, aùt mittat ad appellationem hujusmodi prosequendam. Si verò dubitat (c) Judex, an causa sit appellabilis, admittet appellationem, si & in quantum. Idest, si causa est appellabilis, admittet appellationem, aliàs non admittit. Praxis autem est in appel-

lationis

lationis (*d*) interpositione dicere Apostolosque semel, bis, ter, instanter, instantius, & instantissimè sibi dari, atque concedi petit omni meliori modo &c.

a *Numerandos à die interpositæ appellationis. Vide gl. hic.*

b *Ex l. unica ff. delibel. dimiss.*

c *Et hæc est præsumptio juris, & de jure, nec admitteret probationem in contrarium, gl. hic.*

d *Vide Vallens. in Tit. Decret. de Appell. §. 11. sub num. 7.*

e *Non tamen est necessarium, quod Apostoli petantur in ipsa appellatione. Ricc. hic in add. Vers. sed quæritur.*

Ad §. Idem juris.

ITem, si judex, à quo appellatur, certum Terminum appellanti ad recipiendos Apostolos assignaverit, & appellans in assignato sibi termino eos non petat, appellationi suæ renunciasse putabitur, etiam si vadat, aut mittat ad appellationem hujusmodi prosequendam. Idem juris est, si judex appellanti responderet intra juris Terminum Apostolos se daturum, & appellans eos intra dictum Terminum congruo loco, & tempore instanter, & sæpius, saltem vno contextu, non petierit, vel sibi oblatos recipere recusaverit, *Clement. 2. §. 1. & 2. eod. tit.*

Ad §. Quod si Judex.

QUidam tamen sunt casus, in quibus appellans, licèt non habeat Apostolos, propriam appellationem prosequi potest. Primus est si judex in Termino ad dandos Apostolos per eum præfixo, ipsos petenti non dederit. Secundus, & tertius est, si dum peterentur Apostoli judex responderit se daturum eosdem nullo Termino certo sibi præfixo: vel intra juris terminum se eos asseruerit velle dare, & posteà per appellantem congruo loco, & tempore sæpius, & instanter, unico etiam contextu requisitus, eos non curaverit intra juris terminum exhibere. Quartus, & quintus est, si dùm peterentur Apostoli judex non responderit,

vel

vel eos expresse denegaverit, & judicis pœna est in dictis casibus, ut processus per ipsum habitus posteà non teneat. *Clem. 2. §. quod si judex, & ibi gl. ult. de Appell.*

Ad §. In appellationibus.

IN Appellationibus autem à sententia definitiva interponendis, (*a*) nec causam reddere tenentur appellans, nec est necesse appellare in scriptis, sed sufficit si appelletur viva voce dicendo appello, & hoc scribatur in Actis per notariũ. Et hoc si appelletur in (*b*) continenti: Nàm si appelletur ex intervallo, & in definitiva appellandum erit in scriptis *gl. hic.* requiritur tamen expressio causę in appellatione à difinitiva quãdo appellatur in casibus à jure, vel ab homine prohibitis. Nàm cùm eo casu appellans habeat juris præsumptionem contra se, non tenetur judex deferre ejus appellationi, nisi alleget rationabilem causam, ob quam cesset præsumptio ista. *Vallens. in Tit. Decret. de appell. §. 9. n. 4.* Appellans autẽ ab interlocutoria, talem tenetur proponere causam, quæ si probata fuisset, deberet legitima reputari. Et debet causa proponi coram judice à quo, *cap. ut debitus 59. de appell.* Et quod hic dicitur habet locum etiã si causa esset notoria: quia licèt notoriũ relevet ab onere probandi, non tamen relevat ab onere proponendi, *gl. hic.* Et ad justificandã appellationem ex causa interpositam, probare (*c*) oportet causæ veritatem coram judice ad quem; nisi hoc se offerens probaturum coram judice à quo, non fuisset admissus & propter hoc appellavit.

a *Vel definitivæ vim habente.*

b *Idest, judice adhuc sedente pro Tribunali.*

c *Cap. interposita, & ibi Abb. in princ. de appell.*

Ad §. Quòd si Judex.

QUòd si judex, ad quem, compererit minus rationabiliter appellatum esse, remittet appellantem ad judicẽ à quò, & in (*a*) expensis alteri parti eum condemnabit. Et hoc si judex, à quo, non admiserat appellationem,

sed

sed si admisit, non fiet remissio de necessitate, *cap. 5. de appell. in 6.*

Si verò Judex, ad quem, compererit justè appellatum esse, ipse procedet. Nec licebit appellanti ab interlocutoria, vel à gravamine judicis alias causás prosequi, quàm in appellatione sua nominatim duntaxat expressas. *Clem. appellanti, de appell.* Quòd si obiiciatur non ex legitima causa ante sententiam appellatum, Judex ad quem inhibere non poterit Judici à quo, nisi priùs appellatione recepta ut probabili, cognoscere incipiat de causæ (*b*) veritate.

a *Hoc generaliter obtinet, quod qui deficit in appellatione, punitur in expensis.*

b *De Causa hujusmodi an sit vera, cap. Romana §. quod si, de appell. in 6.*

Ad §. Sed etsi.

SEd & si Judex, (*a*) quo fuerit appellatum, à gravamine, illud revocaverit, poterit in principali Causa liberè procedere. Judex tamen, à quo propter assertum gravamen fuerit appellatum, non poterit appellantem citare, eive terminum præfigere ad docendum se fore gravatum, & ad audiendam revocationem ejusdem gravaminis, si de ipso docuerit. Sed poterit tantùm eundem citare, & terminum ei præfigere ad audiendam revocationem gravaminis, & licèt non compareat, ipse tamen in termino gravamen revocaverit, (*b*) in causa procedere poterit, ac si nunquam fuisset appellatum. Appellans quoque ab interlocutoria poterit petere ante demandatam cognitionem appellationis, invito etiam appellato, ut ad judicem à quo provocavit, rursus causa remittatur. Sed condemnabitur in expensis factis per adversariũ propter appellationem.

a *Tàm ordinarius, quàm delegatus, cap. cum cessante 60. de appellat.*

b *Cum effectu, cap. si à judice, in fine, de appel. in 6.*

Ad §. Non omnis.

NOn omnis ergo appellatio indiſtinctè recipienda erit. Nàm ſi adeò ſit vaga, & generalis, ut incertitudinē (a) afferat, vel ſi à parte opponatur (b) quod omiſſo medio ſit interpoſita, aùt ſi ſuper notorio crimine, vel de quo quis in jure confeſſus fuerit provocetur, appellationi deferendum non erit. Item nec regulares contra regularem Prælati ſui, vel Capituli diſciplinam appellabunt. Neque à ſæculari Judice, qui temporali Sedis Apoſtolicæ juriſdictioni non ſubiicitur, ad Papam appellatur. Item ab eadem ſententia tertiò ab eodem appellare non licèt, *cap. ſua nobis 65. de appell. §. pars quoque h. t.* Item appellationis, & proclamationis beneficium de hæreſi condemnatis eſt interdictum, *cap. ut inquiſitionis 18. §. Vtque, de hæret. in 6. Alii caſus enumerantur in 2. cauſa quæſt. 6. in fine.*

a *Unde ſi dicatur: appello ad judicem competentem, de Jure Canonico appellatio non valet: ſecus eſt de Jure Civili. Vide. gl. hic.*

b *A contrario ergo, ſi non opponeretur, valeret appellatio omiſſo medio.*

Ad §. Licèt autem.

LIcèt autem legitima appellatio juriſdictionem judicis, à quo appellatum fuit, ſuſpendat reſpectu Cauſæ, in qua fuit appellatum, non tamen illam ſuſpendit reſpectu aliarum cauſarum. Ideòque is, qui ab ordinario appellavit, poteſt coram eodem ſuper alia Cauſa conveniri. Hoc tamen eſt verum, niſi appellans diceret illum in alia cauſa ſuſpectum, quod poteſt, *cap. ad hæc 6. de appell.*

Ad §. Interpoſita.

INterpoſita ergo appellatione à definitiva ſententia, omnia innovata poſt ſententiam, etiam ſi ante appellationem fue-

fuerint innovata, debent per judicem apellationis penitùs, & ante omnia (*a*) recocari. Illa verò, quę post appellationem interpositam ab interlocutoria, vel alio gravamine innovantur, revocari non debent, nisi primò appellationis causam veram esse constiterit, vel nisi post inhibitionem à à Judice appellationis Judici, à quò appellatum fuit, canonicè factam, innovata fuerint.

a *Exceptis tamen casibus, in quibus jura post sententiam prohibent appellare, de quibus suprà ad §.non omnis h.t.*

Ad §. Appellasse.

IN appellatione autem non est de forma exprimere verbum, Appello: sed satis est dicere, vel facere aliquid æquipollens huic verbo, Appello. Ueluti ad Sedem Apostolicam (*a*) iter arripere. Debent tamen in itineris arreptione, ut habeat vim appellationis, servari ea, quæ servari debent in appellatione, *vide Abb.in cap.dilecti* 52.*sub num.*5. *de appell.*

a *Immo ad quemcunque Superiorem sit iter arreptum, habet arreptio vim appellationis. Vide gl.hic.*

Ad §. Is quoque.

NOn appellans quoque propter justum metum, habetur pro appellante, dummodò infra tempus, quo licitè provocatur, coram Judice, à quo appellasse vellet: vel si ipsius copiam habere nequierit, coram probatis (*a*) viris protestatione super hoc præmissa causas appellationis expresserit. Et si timeret etiam protestari coram Judice, à quo appellasse vellet, tunc etiam quod ipsius copiam haberet, nihilominus posset protestari coram probatis viris. *Abb.in cap.* Ultimo, *sub num.* 4. *de appell.*

a *Sufficit protestari coram uno, dummodo fiat protestatio in præsentia Testium gl.hic.*

Ad §. Quod si à pluribus.

QUòd si à pluribus judicibus appellandum (*a*) fuerit, coram majori (*b*) parte ipsorum appellare, & Apostolos separatim (*c*) petere licebit. Omnium tamen subsecutorum appellato ignoranti intimatio legitimè (*d*) facienda erit. Si tamen unus ex pluribus judicibus procedere potest, & ab ipso solo si procedit, poterit appellari, *gl. in Clement. prima, de appell. in verbo, simul.*

a *In judicio, vel extra, à sententia, vel gravamine.*

b *Appellabitur quidem coram majori parte, sed tamen appellabitur ab omnibus.*

c *Mens literæ est, quod quilibet istorum actuum, appellatio, & Apostolorum petitio, separatim fieri potest gl. in Clem. 1. de appell. in verbo appellare.*

d *Vide gl. ult. in dict. Clem. 1.*

Ad §. Item ex contrario.

ITem ex contrario, si plures una sententia condemnati fuerint, & unus appellaverit, istius victoria cæteris (*a*) quoque suffragabitur, si communi jure juventur, idemque negotium, & eadem causa defensionis existat. Et ideò dicitur hic, si communi jure juventur: Nàm si ille, qui obtinuit juvetur jure speciali, puta, favore minoris ætatis, seù favore Ecclesiæ, victoria istius obtenta de jure speciali, non prodest alteri, licèt concurrant omnia alia in hoc §. contenta. *Abb. in cap. una sententia 72. sub. num. 4. de appell.*

a *Scientibus correum appellasse. Vide Abb. in cap. una sententia 72. de appell. sub num. 4. in fine.*

Ad §. Jam dubitari.

IAm dubitari poterit: Si per rescriptum committantur plures articuli connexi, & in uno tantùm contingat appellationem expresse (*a*) vetari, utrùm appellatio teneat, si super

aliis

aliis fuerit appellatum. Et ℞. quod in omnibus appellatio interdicta intelligitur: de connexis enim idem judicium, *l. eum actum* 18. *ff. de neg. gest.* Et nihil interest, utrùm appellatio inhibeatur in primo, an in secundo: in medio, an in fine. Cæterùm (*b*) quoties clausula, per quã appellatio removetur, in medio literarum ponitur, si sunt plura negotia separata, præmissa tantùm complectitur, nisi fortè & in fine literarum prædicta clausula iteretur.

a *Cap.* 41. *de appell.*
b *Cap.* 62. *h. t.*

Ad §. Interdum.

INterdum etiam non obstante, quod appellatione remota procedi debere mandatum erit, appellari poterit, ut si contineat sententia manifestam iniquitatem.

Ad §. Illud tam judiciali.

AD prosequendam autem, & finiendam appellationem, sivè judicialem, sivè extrajudicialem, habet appellans annum, & ex justa causa biennium à die appellationis (*a*) interpositæ, alioqui si per negligentiam (*b*) appellantis hoc temporis spatium fluxerit, adeò causa deserta censebitur, ut nec prosecutio appellationis desertæ impediat quin censeatur in rem judicatam transisse sententia, à qua fuerat appellatum. Si tamen sententia à principio fuisset nulla, sicut propter appellationem omissam non transiret in rem judicatam, ità nec propter interpositam, & desertam. *gl. ult in Clement. si appellationem, de appell.* Tempus tamen ad prosequendam appellationem ab homine, vel à jure præfixum, non currit appellanti, quandiù appellationis prosecutio per compromissum, vel aliàs de partium expresso consensu differtur: Nisi fortè judex, periculo imminente (*c*) ex mora, præciperet in illa procedi. Post illud ergo præceptum incipient currere tempora: non sic tamen ut habeat appellans tempus integrum, sed solùm habebit quantum tempore com-

re com-

re compromissi supererat: dormit enim tunc illius temporis cursus.

Et licèt tempus (d) anni, vel biennii indulgeatur ad prosequendam appellationem, poterit tamen per judicem à quo, secundum locorum distantiam, & personarum, & negotii qualitatem breviari. Et si infrà id tempus moderatum is, qui appellavit non fuerit prosecutus appellationem, rata manebit sententia. Non tamen judex (e) poterit diminuere de anno, vel biennio appellationis ità, ut appellans teneatur causam appellationis finire infrà tempus statutum à judice. Sed tantùm poterit judex compellere appellantem, sivè terminum statuere illi, ut se representet in termino illo coram Superiore, ad quem appellavit, vel iter arripiat ad prosequendam appellationem coram Superiore: quod si non fecerit, poterit judex, si lata est sententia, illam mandare executioni, vel si appellatum fuerit ante sententiam, procededere in Causa, *gl. in cap. cum sit Romana 5. In verbo, recisius, circa medium, de appellat.* Coget (f) ergo judex partes, appellatione remota, ut vel appellationem interpositam prosequantur, vel coram eo juris pareant æquitati. Non tamen judici à quo, imponitur necessitas præfigendi terminum ad prosequendam appellationem: Est enim in facultate sua, utrum velit præfigere talem terminum, vel eum relinquere dispositioni juris communis. *Vide Abb. in cap. ad hæc 27. sub num. 2. de appellat.*

Superior quoque (g) judex, si ex dilatione viderit imminere periculum, potest & debet neutro appellationem prosequente, Terminum prosequendæ appellationis breviare. *cap. (h) oblatæ 57. §. superior de appellat.*

Accidit tamen aliquando, ut etiam ultra biennium causam appellationis alicui prosequi concedatur, ut puta, si quem per impotentiam prosecutionem omisisse constiterit.

Pars (i) quoque interdum sibi prosequendæ appellationis terminum præfigit. Sed cum hoc gratia litium citius expediendarum indultum fuerit, juris terminus à parte breviari, non prorogari poterit. Sicut nec in una causa tertiò (k) provocare licebit. Et hoc ideò, quia præsumit lex, &

canon

canon, illud esse justum, quod tribus diversorum judicum conformibus sententiis est firmatum,& quidem præsumptione juris, & de jure: Nàm alias lites in infinitum protraherentur.

a *Vel à die illati gravaminis, ubi à futuro gravamine appellatur. Clement. sicut, de appell.*

b *Dilationes verò, quas petit appellatus, per quas protelatur prosecutio appellationis, prosunt appellanti, gl. hic.*

c *Vide gl. in Clem. quandiu, de appel. in verbo, imminere, & ibi in add.*

d *Concordat cap. cum sit Romana 5. de appell.*

e *Vide Abb. in d. cap. cum sit Romana, sub num. 3. 12. & 17.*

f *Cap. 14. 27. & 33. de appell.*

g *Idest, judex, ad quem.*

h *Abbas in fin. dicti cap. oblatæ ait dictum tex. procedere ubicunque de re publica litigatur, vel de provisione Ecclesiarum, vel de salute animæ, & de aliis, quæ causæ celeritatem desiderant.*

i *Appellans.*

k *Super eodem articulo, & per eandem partem.*

Ad §. Postremò.

POstremò sciendum est, quod confirmatio sententiæ appellatione suspensæ, vel laudi invalidi facta Apostolico Rescripto in forma (*a*) communi, non præjudicat appellationi, nec laudum invalidum roborat. Nàm etiam si antè sententiam litigiosæ (*b*) rei confirmationem ab Apostolica Sede quis impetraverit, non propterea minus poterit judex de causa cognoscere, & eam fine debito terminare. Confirmatio enim facta de re litigiosa, est ipso jure nulla, quòd tamen intelligendum est, quando in confirmatione non fuit facta mentio de litigio: Nàm si fuit facta mentio, arripitur illa Causa ab inferiore judice. *Abb. in cap. 1. sub num. 2. de confir. utili, vel inut.* Sed si rem pacificè quis possedisset, cùm inde confirmationem obtinuit, non erit licitum judici de quæstione posteà exorta decernere, aùt eam definire, absque man-

mandato Sedis Apostolicæ: nisi certum sit, quod per falsi suggestionem hujusmodi confirmatio fuerit elicita.

a *Scilicèt sicut justè lata erat. Abb.in cap.3.sub num.4.de confirm.utili &c. vide gl.hic.*

b *Cap.1.de confir.utili, vel.inut.Vbi in gl. not.quæ res dicatur litigiosa.*

De restitutione in integrum.

TITULUS XVIII.

ADhuc autem iis, qui appellationis remedio destituti sunt, auxilio restitutionis in integrum quandoque succurritur: ideò, postquam vidimus de Appellationibus, videamus de restitutione in integrum.

Restitutio in integrum nihil aliud est, quam in pristinum statum repositio, *l.1.C.de sent.passis*.

Minor igitur & Ecclesia si prolatione sententiæ, etiam latæ à Sede Apostolica, se graviter læsos conquærantur, & appellandi tempora jàm fluxerint, restitutionem in integrum implorare poterunt. Dummodò tamen plenè probent læsionem ex causa, ex qua restitutionem petunt, *Abb.in cap.Tum ex literis, sub num.16. de restit.in integr*. Et not. quod in hoc §. dicitur, graviter læsos, quia pro modica læsione non datur restitutio in integrum, (*a*) *l.Scio 4.ff.de rest.in integr.*

Sed etsi non sententia, sed vel contractu, vel confessione, vel probationis omissione, vel temporis fluxu, vel aliter Ecclesia læsa fuerit, restituenda erit, etiam adversus aliam Ecclesiam. Sed si quadriennii (*b*) spatium à die læsionis lapsum fuerit, amplius restituenda non erit, nisi aliqua rationabilis causa subsit, quæ judicem ad hoc beneficium concedendum movere debeat. Et si tempore læsa asseratur, non fiet restitutio, nisi ad tantum temporis, in quantum se læsam esse legitimè probaverit.

Quòd si semel restitutio in integrum ecclesiæ denegata fuerit, non erit eidem amplius concedenda, nisi ex nova (*c*) Causa: Erit tamen restituenda Ecclesia ad appellandum à sen-

ſententia (*d*) denegationis.

a *Et dicetur magna læſio, vel parva, ex conditione Eccleſiæ, vel minoris.*

b *Etiam majoribus intra quadriennium ab ingreſſu ætatis majoris competit reſtitutio de geſtis in minori ætate, l. ult. C. de temp. in integ. reſt. Et quadriennium eſt continuum.*

c *Tunc enim propter novas defenſiones iterum auditur Vide Abb. in cap. ult. ſub num. 4. de reſt. in integr.*

d *Dicto cap. ult. de reſt. in integr.*

Ad §. Hujuſmodi.

CAuſæ verò reſtitutionum in integrum ſolùm coram judicibus ordinariis adminiſtrationem habentibus, vel delegatis (*a*) ab eis tractari poterunt, & terminari, ſivè hæc cauſa ſit (*b*) ſpecialiter ipſis delegatis demandata, ſivè incidat (*c*) in negotio eis commiſſo. Ordinarii verò, qui adminiſtrationem non habent, ſed tantummodò judicandi facultatem, vel delegati (*d*) ab eis, ſivè arbitri de his cauſis cognoſcere nequeunt, niſi coram eis incidenter (*e*) motæ fuerint, *cap: penult. de in integr. reſt.* Ordinarii adminiſtrationem habentes ſunt hi, quibus datur juriſdictio cum limitatione, ſeù diſtinctione Territorii, ſeù cum adminiſtratione bonorum, vel jurium in Territorio, ut ſunt v. g. Epiſcopus, & ſimiles Prælati. Ordinarii verò ſine adminiſtratione ſunt hi, quibus datur juriſdictio in Territorio inter certas perſonas duntaxat, ut ſunt v. g. Deputati ſuper appellationibus: Nàm iſti non habent aliquam adminiſtrationem, ſed ſolùm habent facultatem cognoſcendi de Cauſis appellationum. *Vide Abb. in dicto cap. penult. in princ. de in integ. reſt.*

a *Et multò magis delegatis à Principe.*

b *Delegatus tamen ad univerſitatem cauſarum poteſt reſtituere principaliter, licèt Cauſa reſtitutionis non ſit ſibi ſpecialiter commiſſa. Abb. in cap. penult. num. 7. de reſt. in integ.*

c *Contra verò ſententiam ſuam definitivam, delegatus etiam Principis non poteſt reſtituere Abb. in dict. cap. penult. num.*

 7. *Niſi*

7. Nisi specialiter hoc ipsi demandatum fuerit.

d *Neque hoc ipsis delegatis specialiter demandare poterunt, quia nemo dat, quod non habet.*

e *Nec etiam possunt cognoscere principaliter partibus consentientibus, vide Abb. in cap. penult. de in integ. rest. sub num. 4. & 7. in fine.*

Ad §. Ultimum.

PEr Supplicationem quoque Principi porrectam, aùt per querelam appellationis remedio destitutis subveniri solet. Erit autem Supplicatio intra decem dies post Sententiam offerenda, (*a*) quo subsecuto, sententia non erit executioni mandanda, nisi Victor idoneam fidejussionem præbuerit tantum restituendi: cum fructibus, & accessionibus quantum fuerit in condematione, si sententia legitimè retractata fuerit. Et nisi intra decem dies supplicatio porrigatur, sententia mandabitur executioni nulla fidejussione præstita, retractationis jure illi servando, qui se gravatum putaverit, ut intra biennium supplicare (*b*) valeat A. Quæ supplicatio *C. de prec. Imper. offer.* Ex jam dictis nota Regulam: Quòd in casibus, in quibus non est licitum appellare à Sententia; tamen est licitum supplicare. Istam Regulam intellige esse veram, quando à sententia non potest appellari propter excellentiam ejus, qui sententiam tulit; Tunc enim benè potest supplicari: sed quando de jure Communi non potest appellari, non potest etiam supplicari, nisi beneficio ætatis, aùt favore matrimonii. *Jason. in dicta A. quæ supplicatio* C. *de prec. Imper. offer. sub num. 6.*

a *In scriptis. Nisi supplicatio interponeretur eadem die, qua lata est sententia: sicut in appellatione. Iason in A. Quæ supplicatio C. de prec. Imper. offer. num. 7.*

b *Sed non habebit commodum fidejussionis. Vide Iason. in A. Quæ supplicatio, sub num. 7. & 8. C. de prec. Imper. offer.*

FINIS LIBRI TERTII.

AURE-

AURELII AUGUSTINI
MILLIARII
IN ARCHIGYMNASIO ROMANO
Pandectarum Publici Interpretis.

SELECTORVM
EX LIB. IV. INSTITUTIONUM
Juris Canonici

A Lancelotto Conſcriptarum, Compendioſa Explicatio.

De accuſationibns, de nunciationibus, & inquiſitionibus.

TITULUS PRIMUS.

SUprà dictum fuit de judiciis civilibus, ſequebatur videre de criminalibus: & quia ea inſtituuntur per Accuſationem, denunciationem, & inquiſitionem, meritò præmittitur de his. *gl. ad hanc rubr.*

Criminalia judicia nihil fermè (*a*) ſimile habeant cum civilibus (*b*) judiciis: magnàque diverſitas eorum eſt, & in inſtituendis, & in exercendis. Et præſertim quia in Civilibus (*c*) agitur, ut aliquid detur Actori, in criminalibus autem, non ut aliquid detur principaliter, ſed ut puniatur accuſatus. Et in civilibus exercendis aſtringitur ſolus actor ad probandum, & eo non probante reus abſolvi-

tur *l.actor 23.C.de probat.l.4. C.de edendo*. In criminalibus verò, non tantùm probat Actor, sed etiam Reus quandoque, *l.3.C. de abolitionibus, l.ubi falsi 22. C.ad l.Cornel.de fals.*

Instituuntur autem Criminalia Judicia, aùt per accusationem, aùt per denunciationem, aùt per inquisitionem.

Per accusationem, ut cum solemni præcedente inscriptione per accusatorem Rei crimen ad judicem defertur. Et tunc dicitur facta solemnis inscriptio, cùm quis se obligat ad eandem pœnam, si non probaverit, quam reus debuit pati, si probasset ipse accusator, *gl. hic.*

Per denunciationem Criminale judicium instituitur, ut cùm nulla præcedente (*d*) inscriptione, sed tantum charitativa (*e*) monitione ad judicis notitiam crimen deducitur.

Est autem in accusatione inscripto necessaria, non in denunciatione: quoniam ad depositionem instituitur accusatio, denunciatio verò fit ad (*f*) correctionem. Accusator igitur, si non probat obiectum crimen, adeam tenetur pœnam, quam si probasset, reus sustinere debebat. Denuncians verò, si in probatione deficiat, donec ad arbitrium (*g*) judicis suam purgaverit (*h*) innocentiam, ab officio, & beneficio suspendendus (*i*) erit. Est tamen notandum quod prædicta inscriptio, ac pœna Talionis hodie passim à foro recessit, quia multi metu inscriptionis retrahebantur ab accusando, quod maximum incommodum Reipublicæ afferebat, cujus interest ut delicta non remaneant impunita. Quamquã etiam hodie, si quis aliquem de crimine aliquo deferat, & partem formatam, ut vocant, se adversarius eum constituat, soleat carceri committi, donec satisdederit idoneè, de accusatione prosequenda, & injuria resarcienda, si crimen intentatum minùs probet. Quia tamen hæc pro diversitate locorum diversimodè exercentur, & observantur, satiùs fuerit sequi stylum, & consuetudinem cujusque loci. *Vallens. in Tit. Decretal. de Accusat. Inquisit. &c. §. 1. sub num. 4.*

Per Inquisitionem criminale judicium instituitur, cùm præcedente (*k*) diffamatione, ac quasi denunciante (*l*) fama, de crimine Judex inquirit. Debet tamẽ hęc fama habuisse ortum non à malevolis, & maledicis, sed à providis, & hone-

stis,

ſtis, *cap. qualiter 24. de accuſ. inquis &c.*

Quamvis autem inquiſitionem diffamatio præcedere debeat, ſi quis tamen coram inquiſitore crimina confeſſus fuerit, non poterit poſteà confeſſionem ſuam eo prætextu (*m*) impugnare, quòd ſuper eiſdem criminibus non fuerit anteà diffamatus. Idem etiam erit, ſi Inquiſitor, infamiæ inquiſitione omiſſa, ad inquiſitionem criminum proceſſerit, Reo ſciente, nec reclamante. Nec enim proceſſum hujuſmodi, ex eo, quod omiſſa fuerit inquiſitio infamiæ, poterit Reus vlteriùs impugnare, *cap. 1. & 2. h. t. in 6.*

a *Habent enim aliqua ſimilia. In utriſque enim libellus porrigitur, in utriſque de calumnia juratur gl. hic.*

b *Id eſt cum Judiciis Eccleſiaſticis Civilibus.*

c *Et ita conſiderata petitione magna eſt diverſitas. Eadem eſt conſideratio in fine. gl. hic.*

d *Cap. ſuper his, eod.*

e *Cap. qualiter §. fin. & cap. cum dilectus, eod. aliàs à denunciatione repellitur qui non præmonuit, cap. 2. eod. circa tamen caſus S. Officii ſervetur Conſtit. Alex. VII. licèt aliàs.*

f *Et conſequenter, cum ex ſui natura modus procedendi per denunciationem non importet alicujus pœnæ impoſitionẽ, non convenit re, & negotio, ut quis ſe inſcribat ad Talionis pœnam. Vide gl. hic.*

g *Ex gl. hic.*

h *Scilicèt, quod non calumniandi animo ad hujuſmodi crimina proponenda proceſſit, cap. fin. de calum.*

i *Quam tamen pœnam evitabit denuncians, vel accuſator, ſi probet intentionem ſuam, vel crimen objectum per unum teſtem gl. hic.*

k *Quando exigatur, quod infamia præcedat Inquiſitionem vel non, vide per gl. hic in verbo, per Inquiſitionem.*

l *Fungitur ergo fama coram Judice vice accuſatoris, unde hoc caſu nihil probabit, licèt aliquando plenè, aut ſemiplenè, probet.*

m *Alio tamen prætextu, puta, erroris, vel falſitatis ipſius confeſſionis, poterit confeſſio revocari. gl. hic.*

De duplici purgatione.

TITULUS SECUNDUS.

QUamvis autem is, qui putatur criminosus, neque accusatus sit, neque convictus, si tamen de aliquo crimine, vel macula publicè sit diffamatus, debet se purgare. Est autem Purgatio demonstratio innocentiæ super objectio crimine, Estque duplex, Vulgaris scilicèt, & Canonica.

Vulgaris purgatiò est, quam vulgus, vel invenit, vel sequitur. Ut cum aquæ frigidæ, vel candentis ferri, vel singularis certaminis quis subit judicium: Quæ tamen purgatio, cùm Deus in ea tentari videatur, meritò à Sacris Canonibus interdicta est. Et pugnantes in duello gravissimis pœnis puniuntur *per Concil. Trid. sess. 25. cap. 19. de reform.*

Canonica purgatio dicitur, quæ sacris canonibus est comprobata. Et fit per juramentum infamati jurantis, se non esse tali crimine, vel macula inquinatum, & per juramentum certorum compurgatorum, (a) qui jurant secundum propriā conscientiam, & opinionem eundem à crimine immunem, seù quod credunt illum verum jurasse. Debent autem hi compurgatores (b) esse honesti, & ejus, quem purgare intendunt, vitam, & mores notos habere.

a *Cujus autem numeri esse debeant compurgatores per Host. in Sum. de purg. can. §. Quotus numerus. Et Vallens. in Tit. Decretal. de purg. can. ait, quod judex arbitrio suo, pro qualitate delicti, personæ rei compurgatorum numerum determinabit, vel etiam, ubi ita videbitur, compurgatores omittet. Quin imo quandoque ipsius Rei, si levior sit diffamatio, simplici negatione contentus erit.*

b *In purgatione facienda satis est, quod purgatores ab Ecclesia tolerentur, & sint bonæ famæ in suis ordinibus ministrantes, nec in judicio pro crimine condemnati, cap. 9. in fin. de purg. can.*

Ad

Ad §. Quicunque.

QUicunque verò in Canonica purgatione defecerint, perinde puniendi sunt, atque si de cirimine, de quo diffamati fuerint, legitimè coniuncti, vel confessi fuissent, nisi tamen aliud judicantis æquitas statuendum duxerit. Quod tamen dicitur in hoc §. intelligi debet, si aliquis modus agendi præcessit purgationis indictionem: Nàm tunc deficiens in purgatione punitur secundum illum modum agendi; Unde si præcessit accusatio, deficiens punitur ut convictus de accusatione; Si præcessit inquisitio, punitur ut convictus per inquisitionem. Si verò nullus agendi modus præcessit indictionem purgationis, sed propter infamiam Judex à principio indixit purgationem infamato; deficiens in ea non punitur tanquam convictus per inquisitionem, vel accusationem, sed extraordinario & particulari modo *Videte Abb. in cap.* (*a*) *accedens sub num.* 5. *&* 6. *de accusat.*

a *Et in cap. cum dilectis, sub num.* 7. *&* 8. *de purg. can. & in cap. veritatis sub num.* 28. *de dolo, & contum.*

Ad §. Planè.

PLanè super notorio (*a*) nulli erit indicenda purgatio, sed tantùm condemnationis promulganda sententia. Imò purgatio Canonica est remedium subsidiarum, & consequenter non est indicenda, nisi quando crimen aliter (*b*) probari non potest, *Abb. in cap.* 2. *sub. num.* 1. *de purg. can.*

Cæterùm not. quòd hodie Purgatio Canonica pro magna parte in desuetudinē (*c*) abiit, nec etiam olim fuit in usu, nisi quoad Clericos.

a *Cap. cum dilectus* 15. §. *penult. in fine de purg. can.*

b *Ubi adsunt indicia ad Torturam, non est indicenda purgatio. Vallens. in Tit. Dec. de purg. can. sub num.* 6.

c *Vide Vallens. ubi suprà & Ricc. in Add. ad princ. h. t. Vers. dicitur autem.*

Ad

Ad §. Ultimum.

CRiminum autem quædam solùm Deum lædunt: quædam verò etiam homines, de quibus omnibus videbimus in Titulis sequentibus, & primò de his, quæ Deum principaliter lædunt.

De Simonia.

TITULUS TERTIUS.

INter crimina, quæ Deum principaliter lædunt primò connumerantur Simonia. Simonia nihil aliud est, quàm rei spiritualis, vel spiritualibus annexæ cum aliquo (*a*) temporali facta commutatio. Et res spiritualibus annexa, est v. g. (*b*) juspatronatus, *cap. de jure 16. de jure patron.* Appellata est autem Simonia à Simone (*c*) Mago, qui primus hujus detestandi sceleris auctor fuit.

a *Et ideo si detur res spiritualis pro spirituali, non erit Simonia. Vallens. in Tit. Decr. de Sim. §. 2.*

b *Ius percipiendi fructus Ecclesiasticos perpetuò, gl. hic.*

c *Cui Petrus in Act. Apost. maledixit pro eo, quod ab Apostolis Spiritus Sancti gratiam pecunia emere voluisset, cap. quidam autem §. 1. 24. q. 3. c. qui studet 1. q. 1. c. salvator prima qu. 3.*

Ad §. Simoniæ.

SImoniæ duplex est species. Nàm aùt est conventionalis, aùt mentalis. Conventionalis (*a*) est, cùm aùt aliquid temporale, prò spirituali, intercedente pacto, datum (*b*) est, vel de dando in posterum (*c*) Tractatus intercesserit, & conventio. Igitur ex sola etiam conventione dandi temporale pro spirituali committitur Simonia, spirituali recepto, licèt non tradatur temporale promissum, *Abb. in* (*d*) *cap. veniens 19. sub num. 2. de Simon.* Mentalis (*e*) est cùm nullum qui-

quidem intercessit pactum, sed sola prava (*f*) dantis, aùt recipientis mens, & intentio concurrit. Aùt igitur intervenit pactum, & communiter simonia (*g*) conventionalis, aùt nullum pactum intervenit, sed prava (*h*) intentio, & tunc est simonia (*i*) mentalis. *Abb. in cap. consulere 38. in fine, de simonia.*

a *Conventionalis est, quando partes expresse conveniunt inter se, ut detur spirituale pro temporali, Abb. in cap. 14. sub num. 6. de Simon.*

b *Hæc potest dici conventionalis realis.*

c *Hæc potest dici conventionalis simplex.*

d *Et in cap. 2. sub num. 2. de confess.*

e *Mentalis est, quando nullo præcedente pacto expresso, sed tacitè agitur, ut detur spirituale pro temporali, Abb. in cap. 14. num. 6. de simonia.*

f *Hæc potest dici Realis mentalis.*

g *Quæ est valdè detestabilis.*

h *Cum opere subsecuto; quia sola voluntas non facit quem simoniacum, Abb. in d. cap. 14.*

i *Quæ non est tam execrabilis, quia per solam pœnitentiam absque restitutione aboletur, Abb. ubi supra vide Ricc. in add. ad hanc rub. in vers. est benè verum.*

Ad §. Contrahitur.

Contrahitur autem simonia non modò cùm pecunia ipsa pro re sacra datur, aùt recipitur, vel de danda, & recipienda tacitè, vel expressè conventum fuerit: verùm etiam receptione cujusque muneris, etiam favoris, vel humani obsequii. Unde propter servitium principaliter non est licitum nec appetere, (*a*) nec concedere beneficium, sed tantùm secundariò. *gl. ult. hic.*

a *Vide Ricc. hic in add. & etiam in add. ad hanc rub. in fine.*

Ad §. Et sicut.

ET sicut pro manus impositione non debet Episcopus, ità nec minister, nec notarius in ordinatione pro voce, vel calamo pecuniam recipere. Et pecuniam hoc loco accipimus quidquid habent homines in terra. *Et Concil. Trident. sess. 21. cap. 1. de reformat.* statuit, quod nihil pro collatione quorumcunque ordinum, etiam clericalis Tonsuræ, nec pro literis dimissoriis, aùt Testimonialibus, nec pro sigillo, nec alia quacunque de causa, etiam spontè oblatum, Episcopi, & alii ordinum collatores, aùt eorum ministri, quovis prætextu accipiant. Notarii verò in iis tantum locis, in quibus non viget laudabilis consuetudo nihil accipiendi, pro singulis litteris dimissoriis, aùt testimonialibus, decimam tantùm unius auri partem accipere possint, dummodò eis nullum salarium sit constitutum pro officio exercendo, nec Episcopo ex notarii commodis aliquod emolumentum ex eisdem ordinum collationibus directè, vel indirectè provenire possint: Tunc enim gratis operam suam eos præstare omninò teneri decernit. *Vide Taxam Innocentianam Fori Ecclesiastici §. 1. & 2.*

Ad §. Sed & tunc.

SEd & tunc quoque Simonia (*a*) committi dicitur, cum quid pro personis Ecclesiasticis deducendis in Sedem, vel Sacerdotibus instituendis, aùt sepeliendis mortuis, seù pro nubentium benedictionibus accipitur. Pia tamen, & laudabilis consuetudo, ut aliquid detur tempore (*b*) sepulturæ, vel benedictionis nubentium est observanda, *cap. ad Apostolicam 42. de Simonia. Vide* (*c*) *suprà in Tit. de sepulturis, ad §. ultimum.*

a *Cap. 9. de Simon.*

b *Sive ex post facto. Vide Abb. in cap. 42. in fin. de Simon. ubi ait generaliter loquendo, quod aùt quis voluit liberè dare tempore sacramenti: & potest recipi: aùt noluit; & tunc, ne videan-*

videantur sacramenta vendi, debent liberè conferri: sed postea fiet compulsio ad observandam consuetudinem.

c *Ubi dicitur, quod pia, & laudabilis erit illa consuetudo, quæ non ex coacta solutione, sed ex devotione fidelium introducta fuerit.*

Ad §. Is quoque, cum trib. seq.

IS quoque, qui pro electione præmia largitur, simoniacus habetur. Et quamvis non ipse electus, sed alii, eo etiam ignorante, promiserint quid, vel dederint ut eligeretur, ejus tamen electio, tamquam simoniaca, erit (*a*) reprobanda. Et dicta electione reprobata, cum electo super Prælatione, ad quam taliter fuerat electus, non potest Episcopus (*b*) dispensare. Quamvis circa eum, qui ignoranter (*c*) recipit simplex beneficium per simoniam, post liberam resignationem, Episcopi dispensatio tolleretur. Planè, si constet quid promissum, vel datum fuisse per (*d*) fraudem in dispendium eligendi, aùt electo ipso reclamante, nec aliquin ratum habente, secuta electio minimè reprobanda erit.

a *Cap. nobis 27. eodem. licèt enim iste non peccaverit, electio tamen est vitiosa propter eligentes. Et quod hic dicitur verum est, etiam si uni soli ex omnibus electoribus pecunia data, vel promissa fuerit, cæteris sine labe existentibus gl. hic.*

b *Illa scilicèt vice, & in illa vacatione, cap. penul. de elect. Vitium tamen hoc purgabitur per intermediam personam, cap. ex transmissa, de fil. præsb.*

c *Cap. penult. de elect. Nec ratum habet, gl. hic.*

d *Et apparebit de fraude per conjecturas, ut putà, si illi, qui se opponebant electioni dederunt pecuniam, ut eligeretur, Abb. in cap. nobis num. 4. de Simonia.*

Ad §. Ac veluti, cum §.ſeq.

QUòd ſi quis ut ordinetur pecuniam Epiſcopo obtulerit, Epiſcopus, qui ordinaverit, amiſſionis proprii gradus periculo ſubjacebit: & qui ordinatus eſt, à dignitate, (*a*) quam pecuniis acquiſivit, erit prorſus alienus. Si quis verò hujuſmodi datis, vel acceptis mediator extiterit, ſi eſt clericus excommunicatur, & deponitur, ſi eſt laicus excommunicatur. Quòd ſi quis à ſimoniaco quidem, non tamen ſimoniacè ordinem ſuſceperit: aùt ſimoniacè non ſimoniacus ordinem contulerit, misericorditer (*b*) in Eccleſia ſubſtinendi erunt.

a *Vel ſolicitudine, can. ſi quis Epiſcopus* 1. *q.* 1. *Et dicitur à dignitate, ideſt, prælatura, vel ſolicitudine, ideſt, adminiſtratione. gl. in eod. can.*

b *Et licèt ſine culpa iſtius ordinati hoc contingat, indiget tamen diſpenſatione, & ideo dicitur, miſericorditer.*

Ad §. Quòd ſi, cum §. ſeq.

QUòd ſi non ordinem quis, ſed beneficium Eccleſiaſticũ data pecunia fuerit conſecutus, ſi per accuſationẽ cõvictus fuerit, non ſolũ beneficio privandus, ſed etiã deponẽdus erit: Si verò per inquiſitionẽ, poſtquã beneficio priuatus fuerit, & injunctam pœnitentiam egerit, in ſuſceptis ordinibus miniſtrare permittendus erit. Quinimmò qui cupiditate (*a*) parentum, cum adhuc parvuli eſſent, Eccleſias per pecunias adepti ſunt, poſtquam eas omninò dimiſerint, ſi canonicè in eiſdem vivere voluerint, miſericorditer ſubſtineri poterunt.

a *Et in hoc filii debent parentibus credere. gl. hic.*

b *Ideſt liberè.*

Ad §. Nec obiiciat.

EX hoc §. notatum quod Simoniacus non est excusandus, si dicat se non consecrationem emisse, sed quæ ex consecratione proveniunt.

Ad §.Hujus autem.

CRiminis autem simoniæ tanta est labes, ut quilibet simoniacum, ut ab ordine malè accepto removeatur, accusare possit. Item omnis peccator missam celebrare potest, præter simoniacam, *cap.tanta 7.de simon.* Hoc est, omnis peccator, etiamsi sit præcisus, toleratus tamen ab Ecclesia, potest quoad alios celebrare, licèt ipse peccet celebrando. Sed simoniacus in ordine, (*a*) quantuncunque toleratus, nec quoad alios potest missam celebrare. *Abb.in d.cap. tanta sub num.4.*

a *Simoniacus in beneficio, an, & quando sit suspensus. Vide per Abb. in d.cap.tanta, sub num.5.*

Ad §.Sciendum tamen.

SCiendum tamen est non datione qualibet, aùt receptione simoniam contrahi: Nàm si quid spontè, purè, sine pacto, & conventione (*a*), & taxatione qualibet fuerit gratis oblatum, id sine scrupulo simoniacæ pravitatis recipi poterit. Novissimè tamen *Cocil. Trid.sess.21.cap.1.de refor, statuit*, quod nihil pro collatione quorumcumque ordinum, quacunque de causa, etiam spontè oblatum, Episcopi, & alii ordinum collatores, aut eorum ministri quovis prætextu accipiant. *Vide suprà ad §. & sicut. h.t.*

a *Forsan legendum, conditione, ut in cap.34.§.1. de sim.*

b *Circa examinatores Vide Concil.Trid.sess.24.cap.18.vers. caveantque, de reform.*

Ad §. Idem obtinet.

ITem ex contrario, si quid non spontè quis dederit, sed ut indebitè illatam molestiam super quęstio jure redimat dare coactus fuerit, simonia non inducitur. Et notate, quod dicitur hic: Super quæstio jure. Nam in (*a*) spiritualibus pro jure quærendo, non est licitum aliquid dare, etiam ut cesset impedimentum facti: quia tunc propriè non redimitur vexatio, sed datur pecunia, ut facilius acquiratur jus spirituale. *Vide Abb. in cap. Mattheus 23. in fine, & in cap. dilectus 28. sub num. 4. de Simonia.*

a *In temporalibus verò licitè redimitur vexatio tam pro jure quæsito, quàm pro jure quærendo. Sed recipiens pecuniam indebitè, tenetur ad restitutionem. Abb. in cap. 28. sub n. 4. de simonia.*

Ad §. Demum.

DEmum sciendum est non licere Prælatis jurisdictionē (*a*) suam, vel Ecclesias sub annuo (*b*) censu concedere. Quòd si quis dederit pecuniam, ut spiritualem jurisdictionem exerceat, officio (*c*) suo privabitur, & sic conferens conferendi hoc officium potestatem amittet, & canonicè (*d*) punietur, *cap. 1. 2. &* 3. Ne prelati vices suas &c.

a *Vide gl. hic in Verbo, vices suas.*

b *Benè potest à principio Ecclesia constitui censualis.*

c *Idest, removebitur à clero, scilicèt per depositionem, & sic perdet omne officium Ecclesiasticum, Abb. in cap. 1. sub n. 3. Ne præl. vices suas &c.*

d *Et pœna canonica est, ut deponatur; & notetur infamia.*

Ad §. Ultimum.

PRo docendi quoque licentia concedenda non debet aliquid exigi, ne sub obtentu quidem alicujus consuetudinis,

dinis, & qui secus fuerit, Ecclesiastico beneficio privabitur, & exactum restituet, *cap.1.& 2.de magistris.*

De Hæreticis, (*a*) & Schismaticis, & Apostatis.

TITULUS QUARTUS.

INter crimina, quæ Deum principaliter lædunt connumerantur etiam hæresis, schisma, & apostasia. Ideò post Titulum præcedentem ponitur hæc Rubrica.

Hæretici sunt, qui vanæ gloriæ principatusque (*b*) sui causa falsas opiniones (*c*) gignunt, vel sequuntur (*d*). Ut autem quis dicatur (*e*) propriè hereticus requiritur. Primò quod sit (*f*) baptizatus. Secundò quod ab unitate Ecclesię se dividat, singularem (*g*) aliquam, & à fide, ac sensu Ecclesiæ manifestè (*h*) alienam doctrinam eligendo. Tertiò quòd sit pertinax in suo errore. Idest teneat aliquid, quod sciat esse contra fidem catholicam.

Schismatici (*i*) sunt, qui se ab unitate Ecclesiæ per inobedientiam separant. Licèt autem inter hæreticos, & schismaticos à principio quædam videatur esse (*k*) diversitas, nullum tamen est schisma, quod sibi aliquam tandem hæresim non confingat, ut ab Ecclesia rectè recessisse videatur. Sed & si nullam aliam configeret, non evadit (*l*) eam culpam, ut scilicèt non peccet in illo articulo: Et vnam sanctam Ecclesiam.

a *Hæreticus unde dicatur, vide per gl.hic. & Vallens. in Decretal.in principio hujus tituli.*

b *Vel alterius temporalis commoditatis, ut in cap. hæreticus 24. quæst.3.*

c *Hi sunt heresiarchæ, ut Lutherus.*

d *Ut Lutherani.*

e *Vide Vallens.in Tit.Decr.de hæret.§.1.n.2.*

f *Hinc Judei, pagani, & alii Infideles, quamvis multos contra fidem errores tradant, non sunt propriè hæretici: non enim*

enim possunt dividi ab unitate Ecclesiæ, aùt deserere fidem, quam non habuerunt. Idem Vallens. ubi suprà.

g *Quia si in totum à fide recedat, Apostata dicitur, non hæreticus. Vide inf. ad §. Apostatæ, h.t.*

h *Quia si quis doctrinam singularem eligat, quæ non sit clarè contra fidem, vel sensum Ecclesię, non dicitur hæreticus.*

i *Schisma græcum nomen est, qud scissuram sonat c. schisma 24. q. 1. & illi strictè dicuntur schismatici, qui dividunt se ab unitate Romanæ Ecclesiæ constituendo sibi Ecclesiam, & ordinando clericos, & sacerdotes. Vide Abb. in rub. eod.*

k *Vide gl. hic & Vallens. in Tit. Decret. de schism. sub num. 1. circa fin.*

l *si pertinaciter adhæserit suæ sectæ.*

Ad §. Utrumque.

Schismatici verò excõmunicatione(*a*) puniuntur, & si nec sic resipuerinnt, ab omni ministerio Ecclesiastico deponentur, cum omnium etiam bonorum(*b*) confiscatione. Ordinationes quoque à scismaticis factæ, & dignitatum, sivè beneficiorum concessiones, & alienationes rerum Ecclesiasticarum omni penitus firmitate carent. Quod tamen ordinationes à schismaticis factæ careant firmitate, intelligendum est quantum ad (*c*) executionem: Nàm aliàs certum est, quod character imprimitur, *cap. 2. de schismaticis*: quia retinent schismatici potestatem ordinis, sed ab ejus usu sunt suspensi. Potestate verò jurisdictionis verius est eos universaliter esse privatos. *Vallens. in Tit. Decretal. de schismat. in fine.*

a *Latæ sententiæ, & hoc non habet dubium in schismate, quod habet hæresim conjunctam. Sed magnum dubium est de schismate, quod est sine hæresi. Videtur etiam resp. quod etiam tales schismatici sint excommunicati. vide gl. hic, & Vallens. in Tit. Decret. de schism. n. 2.*

b *An autem redeuntes ad unitatem Ecclesiæ ea recuperent, habetur in cap. quod ad te, de cler. coning.*

c *Si quis tamen ignoranter ordinem recipiat à schismatico,*

quam-

quamdiù hoc est occultum, habebit executionem, sed postquā hoc fuerit patefactum, requiritur dispensatio. Vide Abb. in cap. 1. de schism. num. 4.

Ad §. In hæresi:

HÆretici autem, præter excommunicationem, si clerici sint, vel Religiosi, degradantur, & traduntur sæculari Curiæ animadversione debita puniendi: nisi continuò post deprehensionem erroris, errorem suum publicè abjurare, & congruam satisfactionem exhibere consenserint.

Si verò laici fuerint: nisi ut dictum est, hæresim abjuraverint, & satisfactionem exhibuerint, sæculari (*a*) Curiæ debita ultione puniendi relinquuntur. Et debita pœna hæreticorum est, quod debent cremari. *Vide Abb. in cap. ad abolendam sub num. 13. de hæret.*

a *Sæcularis Judex etiam contra laicum de crimine hæresis cognoscere non potest, sed sola executio relinquitur Judici sæculari post sententiam Episcopi, & ad Episcopi requisitionem. gl.*

Ad §. Bona quoque, cum duob. seq.

BOna quoque damnatorum propter hæresim ipso jure, (*a*) etiam si (*b*) filios habeant, confiscata intelliguntur. Et dicta bona, si hæretici sint Laici, in Terris Ecclesiæ applicantur Fisco Ecclesiæ, in Terris Imperii, Fisco Sæcularis potestatis. Si verò Clerici fuerint, Ecclesiis, quas habuerunt, applicabuntur, *cap. Vergentis* 10. *de Hæreticis*. Et si Clerici Ecclesias non habebant, applicabuntur Episcopo loci, qui illa in pios usus distribuat, *Abb. in cap. excommunicamus* 13. *in fine princ. de hæret.* Confiscationis tamen huiusmodi executio, vel bonorum occupatio facienda non erit antequam super crimine sententia fuerit (*c*) promulgata. Et quamvis criminoso vivente nihil fuerit super bonorum confiscatione declaratum, nihilominus ad eam etiam ipso mortuo procedendum

erit usque ad annos 40. à die mortis: posteà verò bona à filiis catholicis, etiam à Romana Ecclesia abdicari non poterunt, si parentes mortui catholici putabantur, *cap.accusatus* 8. §.*In eo verò*, & ibi, *gl.ult. de haret. in* 6. Propter hæresim tamen maritorum, uxorum catholicarum dotes confiscari non debent, nisi fortè scienter matrimonia (*d*) contraxerint cum hæreticis: *cap.decrevit* 14.*de haret. in* 6.

a *Non tamen in foro conscientiæ hareticus tenetur illa offerre Fisco. Ricc.hic in add.*

b *Non tamen filius haretici propter delictum patris perdit beneficium Ecclesiasticum, gl.hic.*

c *Intellige de sententia declaratoria, non condemnatoria: quia condemnatio, & pœna impositio fit ipso jure, gl. hic.*

d *Valet enim matrimonium contractum cum haretico, qui tamen in forma Ecclesia baptizatus fuerit: aliàs secus. ex gl.*

Ad §. Ecclesiastica.

ECclesiastica quoque sepultura usque adeò carere debent hæretici, ut tradentes scienter Ecclesiasticæ sepulturæ hæreticos, (*a*) credentes, aùt fautores eorum, excommunicationem incurrant, nec anteà absolvuntur, quàm propriis manibus (*b*) extumulent, & proiiciant hujusmodi corpora. Locus autem ille perpetuò carebit sepultura. Nisi reconcilietur, *cap.Consulvisti* 7. *de consec.Eccles.vel alt.*

a *Receptatores, defensores, cap.2. de haret.in* 6.

b *Si ossa ipsorum possunt ab ossibus aliorum discerni. Et debent hoc facere publicè, si publicè tumulauerint, d. cap.2. Si occultè tumulassent, locus esset, can.quidam* 5.*qu.*1.

Ad §.Sed, & eorum, cum duob.seq.

SEd (*a*) & filii hæreticorum, credentium, aùt fautorum eorum ad beneficia Ecclesiastica, seù publica officia per paternam lineam usque (*b*) ad secundum gradum, per maternam verò usq;ad primum sunt inhabiles, nisi parentes emendatos, & Ecclesiæ unitati reincorporatos esse constiterit. Et

qui

qui ad mandatum Ecclesiæ pœnitentiam acceptaverint, vel ad eam recipiendam parati fuerint, incorporari debent.

a *Etiam illegitimi.*

b *Dictio, usque, stat inclusivè.*

Ad §.Quod si.

QUod si qui post abjuratam hæresim, in eamdem relapsi fuerint, sæculari Curiæ sine ulla penitùs audientia relinquendi erunt debita ultione (*a*) puniendi. Non tamen sunt relapsis petita Sacramenta pœnitentiæ, & Eucharistiæ deneganda. Et etiam accusatus de hæresi, vel suspectus, contra quem de hoc crimine magna, & vehemens suspicio orta erat, si hæresim in judicio abiuraverit, & posteà committit in ipsa, censeri debet quadam juris fictione relapsus, licèt ante abiurationem suam hæresis crimen plenè probatum non fuerit contra ipsum. Si autem levis, & (*b*) modica suspicio illa fuit, non debet relapsorum pœna puniri, est tamen gravius puniendus, quàm si nunquam abiurasset. Is verò, qui in una hæresis specie commisit, & postmodum hæresim simpliciter, vel generaliter abiuravit, si deinde in aliam etiam hæresis speciem committat, ut relapsus in hæresim judicandus erit. Ex hoc loco, ibi: Simpliciter, vel generaliter: Notate, quòd per hæc verba putant quidam, quòd si quis abiurasset in uno illo Capitulo, in quo reperitur errare, licèt postmodum laberetur in alio, nihilominùs non diceretur relapsus. Contrariam sententiam veram existimo. Quia omnes hæreses sunt connexæ: hæretici enim facies quidem habent diversas, sed caudas ad invicem colligatas, quia de vanitate conveniunt in idipsum, *cap. excommunicamus il* 1. *& il* 2. *de hæret.* Immo hodie cessat hæc dubitatio, quoniam consuetudo habet, quod suspectus in uno Articulo cogitur omnem hæresim (*c*) generaliter abjurare.

a *Vide suprà ad* §. *In hæresi, in fine.*

b *Ex modica enim, & levi suspicione in causa hæresis potest contra aliquem procedi.*

c *Not. in marg. ad gl. in c. accusatus, §. Eum verò, de hæret. in* 6.

Ad §. Qui verò.

SUſpecti (*a*) verò de hæreſi, niſi ad (*b*) arbitrium Epiſcopi ſe purgaverint, excommunicandi erunt, & ſi per annum in excommunicatione perſtiterint, velut hæretici (*c*) condemnabuntur.

a *Probabili præſumptione, aliàs non indiceretur purgatio.*

b *Cap. ad abolendam, §. Quia verò, de hæret.*

c *Tunc enim contra ipſos eſt violentiſſima præſumptio de hæreſi. Vide gl. hic.*

Ad §. Plura quoque.

PLura quoque ad crimen hæreſis vindicandum ſpecialiter (*a*) & præter ordinarias juris regulas inducta ſunt: v. gr. In cauſa hæreſis proceditur ſimpliciter, & de plano: & dicta, ac nomina teſtium, & accuſatorum non publicantur, ſi grave periculum timeatur, *cap. ult. de hæret. in 6.* Item excommmunicati, & participes, vel ſocii criminis ad teſtimonium admittuntur contra hæreticos, credentes, & fautores eorum, ſi veriſimiliter ſic teſtificantes falſa non dicere præſumantur, *cap. in fidei 5. de hæret. in 6.*

a *Circa hæc ſpecialia. Vide Conſtitutiones allegatas à gl. hic.*

Ad §. Apoſtatæ.

APoſtatæ (*a*) ſunt, qui à ſtatu Fidei, obedientiæ, vel Religionis, quam ſe tenere profeſſi ſunt, temerariè recedunt. Eſt igitur triplex appoſtaſia.

Prima ſcilicèt perfidiæ quando quis recedit à Fide. Differt (*b*) Apoſtata perfidiæ ab hæretico, quia Apoſtata Fidem ſemel in baptiſmo ſuſceptam, non in partem, ut hæreticus, ſed in totum deſerit.

Secunda inobedientiæ quando quis præceptum Superioris ſui ſpontè tranſgreditur, ſive Patrum Regulis, vel Conſtitutionibus non obtemperat.

Ter-

Tertia irregularitatis, cùm quis ab ordine suo, sivè assumptæ Religionis recedit.

Apostata perfidiæ punitur (*c*) ut hæreticus. Alii Apostatæ puniuntur diversimodè, ut traditur per *Abb. in cap. 1. de Apostatis, &c. sub num. 3. & seq.*

a *Desertores, rebelles. Hic tamen pressiùs sumitur apostata pro eo, quià statu Fidei, &c.*

b *Ex Vallens. in Tit. Decret. de Apost. sub num. 1.*

c *Quia hæreticus est, ex quo recedit à Fide. Abb. in cap. 1. num. 3. de Apost.*

De Sortilegiis, Maledicis, & Sacrilegis.

TITULUS QUINTUS.

ALia crimina, quæ Deum principaliter ledunt, (*a*) sunt Sortilegium, Maledicentia, Sacrilegium. Ideò post Titulum præcedentem ponitur iste.

Sciendum est, Inquisitores hæreticæ pravitatis, de divinationibus, & sortilegiis (nisi hæresim saperent manifestè) sese intromittere (*b*) non debere, nec talia exercentes posse punire, sed eos suis Judicibus puniendos relinquere debere, *cap. accusatus* 8. §. *Sanè, de hæret. in 6.* Puta, Episcopis, (*c*) & Legatis, immò etiam Judicibus sæcularibus, *gloss. penult. hic.* Sapiunt autem hæresim manifestam, v. gr. circa Aras Idolorum nefarias præces emittere, sacrificia offerre, dœmones consulere, eorum responsa accipere, *cap. 1. §. Arioli 26. qu. 3.* Sed modò ex jure novo Sixti V. Constitutione 17. & Constitutione 113. Urbani VIII. de omnibus Sortilegiis cognoscunt Inquisitores.

a *Ut suprà, §. Ult. de dup. purg.*

b *Cum negotium Fidei, quod summè privilegiatum existit, per occupationes alias non debeat impediri, cap. 8. §. Sanè, de hæret. in 6.*

c *Et locus est præventioni inter eos, Abb. in cap. 1. de sortileg. sub num. 3.*

Ad

Ad §. Sunt autem.

SUnt autem Sortilegi, qui prætextu religionis, per quasdam sortes divinationis scientiam profitentur, aùt quarumcunque scripturarum inspectione futura promittunt, *can. Sortilegi 26. qu.1. & can.aliquanti 26. qu.5.* Pro intelligentia hujus loci animadvertite;quod sortes quædam sunt licitę: (*a*) quædam illicitæ. Illicitæ sunt, quæ fiunt per magicas incantationes: vel quæ fiunt ad exercendas vanitates aliquas: vel quæ fiunt ad inquirenda aliqua occulta, *can.hi, qui, & can.illud, 26. quæst.2.* Sed quæ fiunt necessitatis causa, non sunt illicitæ, ut si contentio esset de electione aliquorum, & esset paritas utrinque in omnibus, exemplo Matthiæ possunt fieri (*b*) sortes, *can.non exemplo, 26. quæst.2.* Cùm enim non superest humanum auxilium, tunc possumus recurrere ad divinum auxilium, *can. quæritur, 22. quæst. 2.* Et in dubiis secundum leges ad sortes decurritur, *l.cum ambo, ff.de Judic. l.si duobus; C.commun.de legat.*

a *Ex gl. in causa 26.quæst.2.in principio, in Verbo, Sortes.*

b *Alias autem in electionibus Ecclesiasticis non licet uti sortibus.*

Ad §. Ariolorum.

OMnium igitur Sortilegiorum artes, penitùs sunt ab Ecclesia eliminandæ. Et superstitiosi artifices, nisi per pœnitentiam resipiscant, perpetuò anathemate feriendi, & si Clerici sint, degradandi. *Abbas tamen in cap.2. de sortilegis, sub num.4.* ait, quod in imponenda pœna sortilegis, vel eos consulentibus, debet animadverti ad qualitatem, & quantitatem delicti, & ad animum delinquentis, & secundum hoc pœna imponi, quandoque acerrima, quandoque gravis, quandoque levis.

Ad §. Diversa.

DIversa est pęna maledicorum, nàm si quis contra Deum, vel aliquem Sanctorum, & maximè Beatam Virginem, publicè (*a*) blasphemiam (*b*) dicere præsumpserit, (*c*) pœnæ juxta Gregorianæ Constitutionis tenorem in *cap. 2. de maledicis*, subdendus (*d*) erit. In Clerico tamen non habet locum dicta pœna, sed punitur Clericus blasphemans pœna arbitraria, *Abb. in dicto cap. 2. sub num. 8.* Immò & quoad Laicos supradicta pœna in desuetudinem abiit, & ex Constitutionibus Regnorum, ac Regionum aliæ, atque aliæ receptæ sunt. *Vide Jul.* (*e*) *Clar. in Pract. Crim. §. Blasphemia num. 3.*

a *Sed quando dicetur quis publicè blasphemare, ut sit locus dispositioni hujus text.? ℞. ut per gl. hic, & Abb. in dict. cap. 2. sub num. 7. de maledicis.*

b *Consistit autem blasphemia in attribuendo aliquid Deo, quod illi non convenit, vel negando de eo, quod ei convenit, vel attribuendo creaturæ, quod convenit soli Deo. gl. hic.*

c *Quid si calore iracundiæ, vel ebrietatis aliquis inciderit publicè in blasphemiam? ℞. ut per Abb. in d. cap. 2. sub num. 6.*

d *Per Episcopum, d. cap. 2. de maled.*

e *Vide Vallens. in Tit. Decret. de maled. sub num. 5.*

Ad §. Similibus, cum §. seq.

SImilibus, & interdum acrioribus pœnis puniuntur sacrilegi, & Ecclesiarum (*a*) incendiarii, & violatores, eisque consentientes pro (*b*) modo sceleris admissi, facinorisque perpetrati. Et specialiter ei, qui in Ecclesiarum violatione (*c*) manifestè fuerit deprehensus: nisi priùs satisfaciat, si poterit: vel de satisfaciendo plenam securitatem exhibuerit, pœnitentiæ beneficium penitus denegatur. Si verò usque ad obitum in contumacia sua duraverit, & in extremis positus pœnitentiam postulaverit: si satisfactionem, vel satisfaciendi securitatem præstiterit, ei pœnitentia, & sepultura Ecclesiastica conceditur. Si autem in sanitate obstinata mente non

na Deo dicata: de quibus infrà latiùs videbimus *in Tit. de adulteriis ad §. penult. & in Tit. de sent. excom. ad §. si quis igitur, cum plur. seq.*

De Furtis.

TITULUS SEXTUS.

Dictum est suprà de prima specie criminum, scilicèt de his, quæ Deum principaliter lædunt, nunc videndum est de secunda specie, scilicèt de his, quæ lædunt homines principaliter. Et primo de furtis, quia in proximo Titulo dictum fuit de sacrilegio, quod est quædam species furti.

Furti quidem nomine omnis illicita usurpatio alienæ rei concluditur, sed nunc de his tantùm agimus, quæ speciali nomine destituta, generali furti appellatione continentur.

Fures autem ad sacros ordines promoveri non debent, nisi secundum ea, quæ suprà diximus ad §. de fure, *Qui promov. non poss.* Et promoti deponũtur (*b*) & si depositi incorrigibiles fuerint, excõmunicari, & demum Curiæ sæculari tradi debent, & pro occisis in ipso furto non est orandũ, quia constat eos decessisse in peccato mortali: Si verò comprehensi, aùt vulnerati confessi (*c*) fuerint, eucharistia, & Ecclesiastica sepoltura non est eis deneganda. Nàm Ecclesia nulli claudit gremium redeunti, *cap. super eo 4. de haret. in 6.* Si quis tamen propter extremam necessitatem furtum commiserit, non erit puniendus.

a *Juxta §. ult. suprà de dupl. purg.*

b *Verbaliter scilicèt. vide Abb. in cap. At si clerici, de judic. Sed si clericus non solùm commisit furtum, sed latrocinium etiam, tunc debet etiam detrudi in carcerem ad penitentiam peragendam, cap. tuæ, de pen.*

c *Imò etiamsi non fuerint confessi, per aliqua tamen signa exteriora constet de contritione.*

Ad §. Ultimum.

NEc fures solùm suprà dictis pœnis tenentur, sed etiam cum furibus partientes, aùt qui furtorum conscii fures, quærente domino, vel quocunque, cujus interest, non (a) indicant. Pro intelligentia hujus loci *vide Abbatem in cap. 4. de furtis, præsertim sub num. 5. ubi ait*, quod quis tenetur quidem furtum indicare, non autem furem. Sed Judex ex officio implorato, vel dum procedit per inquisitionem generalem potest compellere ad indicandum furem. Estque usu recepta praxis excommunicationum, (b) quæ monitionibus præmissis ad finem revelationis, ut ajunt, pro subtractis rebus ab Episcopo decernuntur, in subsidium tamen, & quando veritas aliter haberi non potest. *Vide Concil. Trid. sess. 25. cap. 3. de reform.*

a *Sed an furtum passus possit petere à Judice, ut scrutetur domum Titii, de quo suspicatur, vide per Abb. in cap. 4. in fine, de furtis.*

b *Vallens. in Tit. Decret. de furt. §. 1. in fin. & de istis monitionibus, vide etiam Abb. in d. cap. 4. de furt. sub num. 2.*

De Usuris.

TITULUS SEPTIMUS.

INter crimina, quæ hominibus læsionem inferunt, enumerantur etiam (a) Usuræ, ideò de his sequitur videndum. Et præsertim post Titutlum de furtis, competenter subiicitur de Usuris, cùm Usuram exercens quodammodo furtum committat.

Usura est quidquid ultra sortem mutuatam (b) percipitur. Percipitur inquam ex pacto, seù quasi debitum, & quasi fructus: Si enim aliquid accederet sorti gratis, non esset usura.

Si quis igitur pignoris obtentu rei alicujus nactus fuerit possessionem, debet perceptos (c) fructus in sortem (d) computare

putare ne committat Usuram. Fructus tamen intelliguntur deductis impensis, quæ fiunt gratia quærendorum, colligendorum, conservandorumque fructum, *l.si à parte 39.§.fructus ff.de pet.hered.*

a *Ut suprà in §.ult. de dupl.purg.*

b *Unde usura non committitur, nisi in rebus, in quibus consistit mutuum: scilicèt quæ constant numero, pondere, vel mensura.*

c *Et pignus per fructus perceptos liberatur ipso jure, cap.1.& 2.de usuris.*

d *Cap.1.& 2. de usur.Quod tamen intelligendum est quando creditor consumpsit fructus, vide Abb.in d.cap.1.num.3.*

Ad §. Multiplicibus.

VAriis autẽ pęnis puniuntur Usuriarii(*a*)manifesti,&manifesti(*b*)dicũtur illi, de quibus notorium est de jure,ut quia confessi,vel cõdemnati,vel de facto,ut quia habent operis evidentiam, quæ nulla tergiversatione possit celari, *gl.in c.1.de usuris in 6.in verbo,manifestus*. Prima pœna est, quòd fiunt infames. Secunda quòd non admittuntur ad communionem Christianam, nec ad communionem (*c*) altaris. Tertia quòd non admittuntur ad oblationem (*d*) faciendam. Quarta quòd si sint clerici, privantur officiis, & beneficiis Ecclesiasticis. Quinta quòd non possunt illis locari domus, (*e*) aùt conductas habere non est eisdem permittendum. Sexta quòd eis Ecclesiastica sepultura (*f*) denegatur. Immo etiam si de usuris satisfieri in ultima voluntate mandaverint, non tamen sunt tradendi Ecclesiasticæ sepulturæ donec fuerit (*g*) satisfactum secundum tenorem Gregorianæ Constitutionis *in cap.2.de usuris in 6.* & quicunque contra prædictæ Constitutionis formam eos sepelire (*h*) ausi fuerint, hodie ipso facto excommunicationis sententiæ subjacent. *Clement. 1.de sepult.* Septima pœna est, quòd Testamenta (*i*) eorum sunt irrita ipso jure, nisi facta sint secundum dictæ Constitutionis formam. Et hoc procedit etiam in Testamentis factis ad pias causas, nisi usuræ essent incertæ, & restitutio esset

facienda pauperibus, vel Ecclesiæ: tunc enim si talis usurarius pauperes, vel loca pia sibi faceret heredes, validum esset Testamentum. *Ricc.hic in add.* Nec erit excusandus usurarius ex eo, quod pro captivis redimendis, (*k*) vel eleemosynis dandis sese usuras exercuisse alleget. Planè, si nec ii, à quibus usuræ fuerunt extortæ, nec illorum sint hæredes superstites, (*l*) pauperibus usuras erogare compellendus erit usurarius. Et etiam hæredes usurarii usuras restituere cogendi erunt, nulla obstante appellatione, & tenentur ad restituendas usuras pro hæreditariis portionibus. *Abb. in cap.tua nos 9.sub num.6.de usuris.*Sed etsi accipiens pecuniam ad usuram, de usuris nunquam repetendis juraverit, adhuc Judex usurarios per censuram Ecclesiasticam compellere poterit, ante usurarum solutionem, ab earum exactione desistere, vel restituere ipsas:postquàm fuerint persolutę.Judæi (*m*) quoq; debēt restituere usuras extortas à Christianis, & donec satisfecerint, à cōmerciis (*n*) Christianorum per excommunicationis sententiam excluduntur. Et etiam Christiani per censuram Ecclesiasticam possunt compelli ab eorum commerciis abstinere. *cap.quanto 18.de usuris.*

a *Cap.3.de usuris.*

b *Vide Abb.in d.cap.3.sub n.11.*

c *Idest, ad suscipiendum sacramentum Eucharistiæ. Alii exponunt, quod hic usurarius non admittitur ad Ecclesiam quando celebrantur divina.*

d *Eleemosynam tamen recipe quis potest ab usurario,Ratio differentia quia eleemosyna de sui natura non exigit publicationem, sicut oblatio. Abb. in cap. 3. sub num. 5. & 6. de usuris.*

e *Sub pœnis comprehensis in cap. 1.de usur.in 6.*

f *Nec proderit defuncto, quod heres ejus velit satisfacere:Nàm oportet, quod ipsemet restituat, vel de restituendo caveat.*

g *Restituendo, prout patiuntur facultates ejus,vel satisdando. vide cap. 2.de usuris, in 6.*

h *Qui dicantur sepelire, vide per gl. in Clem.1. de sepult. in verbo sepelire.*

i *Idem in Codicillis.*

k *Non*

k *Non est enim faciendum malum, ut inde sequatur bonum.*

l *Illius loci, ubi pecunia fuit extorta. Est tamen hoc, secundum quosdam, consilium, non praeceptum.*

m *Cap.* 12. *&* 18. *de usuris.*

n *Non peccant ergo Christiani communicantes Judeis in mercimoniis regulariter, licèt nimia familiaritas, & conversatio interdicatur. gl. hic.*

Ad §. Sunt tamen.

CLericus tamen beneficiatus, qui predium beneficii aliter redimere non valens, prætextu pignoris de manu laici illud acceperit, fructus perceptos facit suos, nec tenetur in sortem eos computare. Idem si prædium pertineat ad accipientem in pignus jure dominii directi. Idem si possessiones pro non numerata dote genero (*a*) à socero pignori traditæ fuerint. Alii casus tales enumerantur *per gl. in cap. conquestus* 8. *de usuris, & alii per Abb. in eod. cap. sub num.* 8. Et generaliter, ubicunque percipitur aliquid loco interesse, non committitur usura. *Abb. in cap.* 1. *sub num.* 6. *de usuris, & in dicto cap. conquestus sub num.* 6.

a *Frequenter enim dotis fructus non sufficiunt ad onera matrimonii supportanda. Quid in hærede generi possidente, seù detinente pignus post mortem generi? ℞. hunc non lucrari fructus: Quia in optione ejus est restituere pignus, & se ab obligatione liberare.*

Ad §. Ille quoque.

ILle quoque, qui dat v.g. decem solidos, ut alio tempore dentur sibi totidem mensuræ grani, vini, vel olei, licèt tunc plus valeant, si tamen verisimiliter dubitetur, utrùm plus, vel minus solutionis tempore fuerint valituræ, ex hoc usurarius censeri non debet. Si verò certum esset, quod tempore solutionionis plus valerent, usurarius est censendus *cap. in civitate* 6. *& cap. ult. de usuris.* Et ad cognoscendum quando possit dici certum, quod res valebit plus tempore

pore solutionis, debet attendi communis opinio, & cursus regionis. Nàm communiter minus valet frumentum tempore messium, quàm tempore Paschæ, & licèt quandoq; accidat contrarium, tamen propter hoc non est recedendum à dicta presumptione, quia debet considerari id, quod frequenter accidit, *l. nàm ad ea ff. de legibus*, *Abb. in cap. vlt. sub num. 10. de usuris*.

Ad §. Ultimum.

Qui verò naviganti, vel ad nundinas eunti certam pecuniæ quantitatem mutuatur, & ex eo, quod in se mutuans mutuatæ pecuniæ periculum suscipit, convenit ut recipiat aliquid ultra sortem, usurarius reputandus (*a*) erit, *cap. finali de usuris*.

a *Vide Fachin. Controu. jur. lib. 2. cap.* 48.

De Adulteriis, & aliis conjunctionibus illicitis.

TITULUS OCTAVUS.

Adulteria quoque, & aliæ conjunctiones illicitæ numerantur inter crimina, quæ hominibus læsionem inferunt, ideò de his congruo ordine hic subiicitur.

Quamvis adulterium generaliter sumptum omnem propè illicitam fornicationem comprehendat, tamen specialiter sumptum continet solum violationem alieni (*b*) thori, & de jure Civili propriè in (*c*) nuptam committitur, de Jure verò Canonico etiam in solutam mulierem à conjugato committitur adulterium. Nàm hoc jure eadem castitas in marito requiritur, quæ in uxore, *c. præcipit*, *c. apud nos*, *& c. vlt.* 32. *q.* 5. Pœna (*d*) adulterii in laico est excommunicatio, in clerico depositio, vel in utroque certæ penitentiæ impositio. Et etiam fœmina adultera excommunicatur *cap. 6. de adul.* Eadem, vel etiam pro Judicis (*e*) arbitrio major, aùt minor

pena

pęna imponitur pro inceſtu, ſodomia, aùt re habita cum brutis.

a *Ut ſuprà de dup.purg. §.ult.*

b *Unde dicitur Adulteriũ quaſi ad alterius thorum acceſſio §. cum ergo 36. q.1. ſeù Adulter, & Adultera dicuntur, quia & ille ad alteram, & hæc ad alterum ſe confert.*

c *Propter partum ex altero conceptum compoſita nomine, l.6. §.1.ff. ad l. Iul.de adu.*

d *De conſuetudine totius Italiæ pro adulterio imponitur ſolùm extraordinaria pæna, & quidem modica. Immo adulteria ſine aliquâ aggravanti qualitate noſtris temporibus ſoli Deo punienda relinquuntur. Ricc.hic in fine add.*

e *Nota horum delictorum pęnas eſſe arbitrarias gl.hic. Et de his plura vide per Ricc.hic in add.*

Ad §. Quod ſi.

QUòd ſi quis ſtuprum admiſerit, cum (*a*) muliere honeſtè vivente, ſtuprator pœnitentiæ ſubditus, pecuniaria etiam pœna juſta qualitatem facti, & perſonarum conditionem coercendus erit. Si quis verò virginē defloraverit, debet ſtuprans, conſentiente patre ejus, quam ſtupraverit, illam dotare, & ducere in uxorem: ſi verò pater virginis conſentire noluerit, aùt ſtuprator eam uxorem habere legibus impediatur, dabit ei dotem, quæ æſtimabitur (*b*) juxta facultates ſtuprantis, & dignitatem puellæ. Quòd ſi ſtuprator, cum poſſet, recuſaverit cum ea matrimonium contrahere, corporaliter caſtigabitur ad arbitrium Judicis, & excommunicatus (*c*) in monaſterium ad agendam pœnitentiam retudretur, nec inde recedet ſine Judicis permiſſione. Hanc tamen intruſionem evitare poterit dotis conſtitutione, licèt non vitetur pœna (*d*) corporalis. Non enim delictum ſufficienter videtur punitum ex conſtitutione dotis: quia perſona puniri debet, quæ deliquit, & non burſa, *Abb. in cap.2.ſub num.3.de adulteriis.*

a *Hodiè ſtuprum commiſſum in viduam ſine vi, non punitur. Riccius hic in add.*

b *Et debent tanto plus dare, quam opportet dare propter deflorationem. Abb. in cap. 1. sub num 4. de adult.*

c *Quoad communionem sacramentorum quousque visum fuerit superiori.*

d *Si tamen eam ducat in uxorem, eidem constituta dote, corporaliter non castigabitur. Vide Abb. in cap. 2. sub num. 3. de adult.*

Ad §. Major.

RAptores verò, præter pœnas (*a*) civiles, de quibus *in l. unica C. de raptu virginum, & in l. raptores C. de Episcop. & cleric.* cum suis adiutoribus puniuntur excommunicatione (*b*) si sint laici, aùt depositione si clerici sint. Raptus autem tunc committitur, cum (*c*) abducitur illa, (*d*) de cujus nuptiis nihil actum fuerit anteà, Unde si quis propriam (*e*) sponsam, parentibus etiam reclamantibus, abduxerit, non dicitur (*f*) Raptor, eo quod sponsus ex desponsatione habeat aliquid juris in sponsam. Raptor quoque cum rapta, quæ postmodum liberè consẽtiat, matrimonium legitimè contrahit. Sed hodie quandiu rapta in potestate raptoris manserit, nullum potest consistere matrimonium inter eos. *Concil. Trid. sess. 24. cap. 6. de ref. mat.* ubi etiam vide pœnas raptus ab eodem Concilio statuas.

a *Vide ad §. Item lex Julia de vi, inst. de pub. Jud.*

b *Ex Concil. Trid. sess. 24. c. 6. de ref. mat. sunt ipso jure excommunicati, & aliis etiam penis puniuntur.*

c *Et raptus fieri potest citra violationem, quia sufficit eo fine esse raptam. Vallens. in Dec. h. t. num. 1.*

d *Sive virgo, sive mulier honesta, vide l. unic. & ibi gl. 1. C. de rap. vir. Animo carnaliter eam cognoscendi. Imò etiam animo contrahendi cum illa matrimonium. Ricc. hic in add.*

e *Consentienentem, cap. causam de raptoribus. Et idem fortè, si non fuisset desponsata, sed praecessisset tractatus matrimonii. gl. hic.*

f *Jure tamen Civili rapiens per vim sponsam suam, dicitur raptor, l. unica §. quibus C. de rapt. virg.*

Ad

Ad §. Sed hæc.

SI quis autem Deo dicatas virgines, vel rapuerit, vel volentes matrimonio ſibi ſociare tentaverit, tanquam ſacrilegium (*a*) admittens, ſi clericus fuerit, deponitur: ſi verò laicus, excommunicatur, *c.ſi quis Epiſcopus 27.q.1.c.raptores 36.q.2.*

a *Cum inceſtu, & adulterio, & ſtupro.*

Ad §. Ultimum.

PRo ſimplici verò fornicatione cum muliere ſoluta, & impudica, tam pœnitentiæ modus, quàm etiam alia pœna eſt Judici arbitraria. Et hoc Jure Canonico: Nàm Jure Civili talis fornicatio non punitur.

De Crimine falſi.

TITULUS NONUS.

INter crimina, (*a*) quæ hominibus læſionem inferunt, enumeratur etiam crimen falſi, ideò ſequitur ut de hoc crimine videamus.

Falſum (*b*) nihil aliud eſt, quàm quod veritatem imitatur, *A. de Inſtrum. caut. & fide, in princ.*

Adverſus autem falſarios variè (*c*) ſtatutum reperitur: Et ſpecialiter Apoſtolicarum literarum falſarii (*d*) cum fautoribus, & defenſoribus ſuis ſunt ipſo (*e*) jure excommunicati. Et inſuper clerici, qui falſarii fuerint deprehenſi, omnibus officiis, & beneficiis Eccleſiaſticis perpetuò erunt (*f*) privati. Ita ut qui per ſe falſitatis vitium exercuerint, degradati tradantur Curiæ ſæculari, ſecundùm legitimas Conſtitutiones puniendi, per quam & laici falſarii legitimè punientur. Eſt autem de Jure Civili pœna falſi in libero homine deportatio, in ſervo ultimum ſupplicium *§. Item lex Cornelia de falſis, inſt. de pub. Jud. Abbas tamen in cap. ad falſariorum, de*

crim. falsi, sub num 9. ait, quod falsantes literas Papæ puniuntur pœna mortis. Qui verò utuntur talibus literis falsis, si clerici fuerint, officiis, & beneficiis Ecclesiasticis spoliandi erunt: si laici, tandiu manebunt ipso facto excommunicationi subjecti, quandiu competenter satisfecerint Non tamen dicti clerici traduntur Curiæ sæculari. Imò neque sunt excommunicati ipso facto, *Abb. in cap. ad falsariorum sub n. 6. & 9. de crim. fals.* In utriusque tamen malitia gravius, quàm negligentia punietur, quod & de his, qui falsas literas impetrant observabitur. Et si in utente sit probabilis ignorantia, nullo pacto punitur, si post objectionem falsitatis, ab utendo destiterit, *gl. hic*.

a *Ut suprà §. ult. de dup. purg.*

b *Ut quis possit de crimine falsi puniri. Primò requiritur imitatio veritatis. Secundò dolus. Tertiò alterius jactura. Ricc. hic in add. Quartò ut lege aliqua statutum sit talem imitationem veri esse punibilem pœna falsi, vide Vallens. in Tit. Decret. de crimine falsi num. 2.*

c *Quæ varietas apparet ex juribus allegatis per gl. hic.*

d *Qui per se, vel alios vitium falsitatis exercent, cap. 7. de crim. fal.*

e *Gl. in d. cap. 6.*

f *Dict. cap. 7. vide Abb. in eod. cap. sub num. 9.*

De Homicidio.

TITULUS DECIMUS.

HOmicidium quoque numeratur inter crimina quæ hominibus læsionem inferunt, ideò hic de homicidio congruo ordine subiicitur.

Homicidium est hominis occisio. Idest, corporis humani (*a*) animati, etiam quod sit in utero matris. Inter homicidia verò illud atrocissimum videtur, quod Assassinium vulgo nuncupatur. Unde non solùm assassini ipsi, sed etiam receptatores, occultatores, & defensores eorum, & qui per eosdem quemquam interfici fecerit, aùt mandaverit: (*b*)

quam-

quamquam mors ex hoc forsitam non sequatur, dignitatibus, honoribus, officiis, beneficiis, omnibusque bonis nudatus, excommunicationis, & depositionis incurret ipso(*c*) jure sententiam, & tanquam Christianæ Religionis hostis à toto Christiano populo perpetuò diffidatus erit, *cap.* 1. *de homicidio in* 6. Ab hac tamen excommunicatione poterit ordinarius absolvere, ex quo Papa sibi absolutionem non reservavit, *gl. in dict. cap.* 1. Pęna verò homicidii, non per assassinium, per insidias tamen, & industriam(*b*) commissi, videtur esse excommunicatio, vel depositio, si homicida sit clericus. *Videte Abbatem in cap.* 1. *sub num.* 2. *de homicidio.*

a *Punitur tamen pœna homicidii etiam ille, qui conceptum nondum vivificatum abigi curavit. Vide ad* §. *Is quoque h. t.*

b *Et talis mandans, etiam si re integra, mandatum revocaverit, pœnam incurret, vide gl. hic.*

c *Requiritur tamen sententia declaratoria, quoad depositionem.*

d *Id est, ex proposito.*

Ad §. Quod si latronem.

QUòd si quis latronem, (*a*) vel furé occiderit,(*b*) si quidem fur absque occisione comprehendi potuit, certa pœnitentia, de qua *in cap.* 2. *de homicidio*, est occisori imponenda, aliàs nulla erit injungenda pœna propter necessitatem, quæ excusat, & legem non habet.

a *Latro palam, fur occulte surripit.*

b *Scilicèt liberando se & sua, ut in cap.* 2. *eod.*

Ad §. Idem etiam.

ITem si fortuitum fuerit homicidium, occisor non erit (*a*) puniendus, ut putà: si quis operi necessario insistens arborem inciderit, & aliquis subtus transiens opprimatur absq; ulla incidentis culpa. Extra culpam autem esse intelligitur incidens, si seorsum à via fortè, vel in medio fundo cæde-

bat, licèt non proclamavit, ut casus evitari posset: quia in eo loco nulli extraneo jus fuerat versandi. Si verò propè Viam publicam, aùt vicinalem incidebat, neque proclamavit: culpæ reus est. Sed si proclamavit, nec ille curavit præcavere: extra culpam est incidens *§.Item si putator, instit. de lege Aquilia.*

a *C.hi, qui arborem, cum duob. seq. dist. 50.*

Ad §. Alia ratio.

PArentibus verò opprimentibus filios infantes erit injungenda pœnitentia, de (*a*) qua *in cap.ult.de his, qui fil.occid.* Quod si filius à patre, vel ab alio patre (*b*) sciente fuerit expositus, aut eidem alimenta (*c*) denegata fuerint, hoc ipso à patria potestate (*d*) liberabitur: qui enim exponit, & qui alimenta denegat, necare videtur *l.necare 4.ff.de liber. agnos.* Nec tamen propterea, qui expositos susceperit, aliquod jus in eis vindicare poterit. Poterit tamen nutritor expensas, vel alimenta repetere secundum distinctionem tamen *Abbatis in cap.unico sub num.3.de infant.& lang. expos.*

a *Immo pro modo culpæ erit imponenda pœna, vel pænitentia. Vide Abb.in dict.cap.ult.*

b *Aùt ratum habente, cap.1.de infant. & lang.*

c *Sive filius sit sanus, sive languidus secundum Gof. Communiter de languido tantùm. Vide Abbatem in dicto cap.1.sub num.2.*

d *Credo tamen, quod filius in his casibus liberetur tantùm ab ea parte patriæ potestatis, quæ sibi damnosa, non autem ab ea, quæ sibi utilis est.*

Ad §.Is quoque.

IMpediens quoque conceptionem, vel abortum procurans, ut homicida puniendus erit, sive quis fecerit hoc causa explendæ libidinis, quia fortè mulier est talis, quam non decet apparere pregnantem, sive odii meditatione, forsam ut uxor sterilis sit invisa (*a*) marito, vel è contrà.

a *Idem*

a *Idem si propter lucrum, quia sperabat successionem ab intestato, Abb. in cap. 5. de homicidio.*

Ad §. Novissimè.

NOvissimè sciendum est pro his, qui voluntariè sibi mortem inferunt, nullam in oblatione faciendam esse cōmemorationem, & Ecclesiastica eos debere carere sepultura: Secus est si quis se ipsum interficeret per furorem: Tunc enim id ei non imputaretur, *c. illa cavenda* 15. *q.* 1.

De Injuriis, & damno dato.

TITULUS XI.

INter crimina, quæ hominibus læsionem inferunt enumerantur etiam injuriæ, & damnum. Ideò hic congruo ordine de his sequitur videndum.

Si quis igitur in pugna, vel rixa aliquem percusserit, & ille in lecto jacuerit, vel operas exercere fuerit impeditus, qui percusserit, & operas ejus, & impensas in medicos (*a*) restituet. Et nonsolùm præstare debet percussor operas, quibus caruit percussus tempore, quo in lecto jacuerit, sed etiam operas, quibus cariturus est ob id, quod inutilis (*b*) factus est. §. Item is, *in fin. inst. de oblig. quæ quas. ex del. nasc. vide Abb. in cap. 1. sub num. 6. de injur. & dam. dat.* Et generaliter, si culpa tua datum est damnum: vel injuria irrogata, vel aliis irrogantibus opem tulisti, aùt hæc imperitia (*c*) tua, sine negligentia evenerunt, jure te super his satisfacere oportebit. Immo, qui passus est injuriam, non solùm agere poterit pro damno dato (*d*) ut dictum est, sed etiam pro injuria poterit agere criminaliter, (*e*) vel civiliter. Et si quidem criminaliter agat, arbitrio Judicis extraordinaria pœna (*f*) Reo irrogatur §. *In summa, inst. de injur.* Sin autem civiliter agat, permittitur ei per juramentum injuriam (*g*) æstimare, ut Judex, vel tanti Reum condemnet, quanti injuriam passus æstimaverit, vel minoris prout ei æquius (*h*) visum fuerit §. *pœna au-*

na autem, inst. de injur. cap. olim 7. de injuriis.

a *Ut suprà de dup. purg. §. ultimo.*

b *Cicatricium autem, aùt deformitatis, in libero homine, nulla fit æstimatio: quia liberum corpus nullam recipit æstimationem. dicto §. Item is, juncta l. 1. & ult. ff. de iis, qui dejecerint &c.*

c *Quæ culpæ adnumeratur §. Imperitia inst. de leg. Aquil.*

d *Utili actione legis Aquiliæ. Abb. in cap. ult. sub num. 9. de injuriis.*

e *Una tamen harum actionum intentata, altera tollitur, vide in meis comment. inst. ad §. in summa, de injuriis.*

f *Quæ applicatur Fisco, Abb. in d. cap. ult. in fine.*

g *Et pœna applicatur injuriato, Abb. ubi suprà.*

h *Secundum gradum dignitatis, vitæque honestatem illius, qui passus est injuriam, crescit, aùt minuitur æstimatio injuriæ §. pœna autem, Inst. de injuriis.*

Ad §. Quòd si animalia.

QUod si animalia (*a*) tua damnum alicui dederunt, satisfacere te oportet, aùt ea dare pro damno, quod tamen tibi non permittitur, si fera fuissent animalia, vel (*b*) quæ nocere consueverant, & quam debueras diligentiam non adhibuisti: Tunc enim in solidum teneris. De hac rè plenè diximus *in Tit. inst. Civil. Si quadrup. pauper. &c.*

a *Non qualibet, sed quæ contra naturam moventur, vide ad §. Hæc autem actio. Inst. Si quadrup. pauper.*

b *Sic legitur in cap. ult. de injur. §. quod si. In hoc §. legitur, &.*

Ad § Inferuntur.

FIt autem injuria, aùt re, ut cùm manus alicui inferuntur, aùt verbis, ut cùm alicui dicitur (*a*) convicium, aùt literis, ut cum ad infamiam alicujus famosus libellus conscribitur. Quibus omnibus arbitrariè pœna irrogatur. Et etiam is, qui famosum libellum invenerit, & ejus tenorem dolosè manifestaverit, quasi auctor plectendus erit.

a *Etiamsi*

a *Etiam si verum dicatur, vide Abb. in cap. ult. sub num. 5. de injuriis.*

De Ecclesiasticis Censuris.

TITULUS XII.

TAm ratione (*a*) contumaciæ, quàm etiam aliorum excessuum Ecclesiasticis censuris interdum aliquos innodari variis locis suprà admonuimus. Nunc igitur, operi finem imponentes, de ipsis censuris fusiùs, & distinctiùs videamus.

Censuræ Ecclesiasticę Tres sunt species: Excommunicatio, interdictum, & suspensio, de quibus singulis distinctè tractabitur in sequentibus Titulis. Effectus (*b*) autem, seù finis Ecclesiasticarum censurarum est inobedientes, & contumaces, aùt corripere, aùt si duriores sint ab Ecclesia præscindere. Prudentis enim pastoris est morbosas oves à grege separare. Nam Morbida facta pecus totum corrumpit ovile.

a *§. Hæc autem variè, suprà, de dolo, & contumacia.*
b *Vallens. in Tit. Decr. de sent. excom. §. 1. n. 3.*

De sententia excommunicationis.

TITULUS XIII.

PRima species Censuræ Ecclesiasticæ est excommunicatio. Est autem excommunicatio, à communione exclusio *§. ult. de Eccles. censur.* Excommunicationum duæ sunt species, minor scilicèt, & major. Minor est, per quam quis à sacramentorum participatione conscientia, vel sententia arcetur. Major est, per quam quis non solùm à sacramentorum excluditnr perceptione: verùm etiam à communione fidelium. Et hæc alio nomine appellatur anathema, quod est sejunctio quædam, & alienatio. Et etiam separat ac dividit ab omni actu legitimo. Nihilominus tamen potest

test excommunicatus se ipsum in judicio defendere, quia Reus non agit, sed patitur potiùs, *cap. intelleximus 7. de judiciis*. Et animadvertite, quod si Judex ferat excommunicationem simpliciter sine expressione majoris, vel minoris, censetur inferre majorem, ut infrà ad §. *Sed quæri h.t.* immo hodie non est in usu, quod Judices ferant excommunicationem minorem.

a *Excommunicatio idem sonat, quod extra communionem ejectio, Vallens. in Tit. Decret. de sent. excom. §. 1. num. 4. Extra communionem scilicèt sacramentorum, vel etiam fidelium.*

Ad §. Rursus.

Rursus excommunicationum alia canonis, (*a*) alia Judicis. (*b*) Canonis est, quia quis ab ipso solum Canone absque Judicis ministerio innodatur, quæ etiam alio vocabulo, latæ sententię excommunicatio nuncupatur, de qua exemplũ unum explicabitur in sequentibus §. Iudicis est, quæ Iudicis ministerio infertur, de qua videbimus infrà ad §. *Judicis, & ad §. seq. h. t.*

a *Et hæc est pęna criminis.*
b *Et hæc est pœna contumaciæ.*

Ad §. Si quis igitur.

SI quis igitur (*a*) violentas, & impias manus (*b*) injecerit in clericos, regulares, monachos, professos, vel novitios, vel conversos, ipso jure excommunicationis incurret sententiam, à qua prætérquam à Romano Pontifice, vel ejus de Latere (*c*) Legato, à quoquam absolvi non poterit. Et hoc procedit etiam in conversis (*d*) Ecclesiarum sæcularium, ex quo enim se, & sua tradiderunt divino obsequio, sive in sæculari Ecclesia, sive in regulari, censentur Ecclesiasticæ personæ, *gl. hic*. Idem etiam est dicendem si quis manus injecerit violentas in moniales, & harum conversas. De monachis autem, vel monialibus sese invicem percutientibus, videbimus infrà, *ad §. Monachi quoque h. t. cum §. seq.*

a *Idem*

a *Idem interdum si non violentas, ut infrà eod. §. Volentem.*
b *Idem si pedes, puta, quia calce percutiat clericum, vel si spuat, vel in eum aquam vel lutum profundat, vel vestes scindat, gl. hic.*
c *Et hoc habet ex officio legationis. Alii verò legati, qui de Latere Papæ non mittuntur, servent quod dicitur in cap. penult. de offic. leg.*
d *Privilegium etiam c. si quis suadente 16. q. 4. non competit ratione caracteris clericalis, sed est privilegium Ecclesiasticarum personarum, quæ in totum translatæ sunt in Deum, vide Abb. in cap. 33. de sent. excom.*

Ad §. Sed etsi.

IN eandem excommunicationem latæ sententiæ incidit ille, qui licèt manus violentas in clericos non iniecerit ut suprà, inferenti tamen, vel (*a*) auctor, vel fautor, vel adiutor fuerit, aùt factum prius suo nomine ratum habuerit. Sed si ratum habuerit factum non suo nomine, utiq; peccat, sed hac excommunicatione non ligatur: Cùm quis ratum habere nequeat, quod ejus nomine non est gestum, *cap. cum quis 23. de sent. Excom. in 6.*

a *Puta mandando.*

Ad §. Interdum.

LAici quoque, si in publica, vel privata custodia clericos detinuerint, vel in vincula conjecerint, incurrunt (*a*) excommunicationem latæ sententiæ, nisi tamen id de mandato faciant Prælatorum, quorum illi sunt jurisdictioni subjecti, & quorum est corrigere criminosos.

Sed an quilibet Judex etiam Laicus, vel Laicus non judex possit sine metu excommunicationis capere clericum criminosum, ne fugiat, non ut retineat, sed ut præsentet eum judici suo? Respondendum videtur affirmativè. Quia hic cessat dolus, seù temeritas, quæ requiritur ad incurrendum hanc excommunicationem, ut patet evidenter ex *cap. Si quis suadente 17. quæst. 4.* Idem videtur dicen-

dum in capiente clericum debitorem suum fugientem, vel rem suam asportantem. *Vide Abb. in cap. ut fama, sub num. 6. de sent. excom. & in cap. cum non ab homine, sub num. 12. & 17. de judiciis.*

a *Cap. ut fama 35. de sent. excom.*

Ad §. Quòd autem.

QUòd si laicus, ad jussionem Abbatis, clericum, vel conversum, vel monachũ verberet, maximè ubi causa non subest, propter quam debeat verberari, tam Abbas, quàm ille, qui verberat, excommunicationis sententiam incurrunt. Nàm si disciplinæ (*a*) regularis gratia id faciendum sit, vel Abbas id (*b*) per se ipsum faciet, vel si necessitas urgeat, per clericum, vel monachum id fieri jubebit. Moderatè tamen, ita quod non excedat debitam correctionem; aliàs incideret in excommunicationem: quia, moderata duntaxat castigatio permissa est.

a *Non tamen licet verberare clericum ita, quod verbera inferantur in pœnam delicti commissi. Abb. in cap. 24. de sent. excom. sub num. 6. cir. fin.*

b *Aliud in Episcopo, & speciale est in eo, qui propriis manibus nullum percutere debet. Quando tamen non reperiret alium, posset hoc Episcopus facere etiam per se ipsum. gl. hic.*

Ad §. Volentem.

CLericus quoque spontè se subiiciens percutienti, volens fortè pro injuria laico illata offenso satisfacere, excommunicationis sententia innodabitur simul cum ipso (*a*) percutiente. Diversimodè tamen: Percutiens enim ipso facto incurrit excommunicationem: Clericus verò subiiciens se percutienti innodabitur per sententiam *cap. contingit 6. & ibidem Abb. sub num. 7. de sent. excom.*

a *Qui verò ioco percutit clericum, etiam invitum, excusatur.*

Ad

Ad §. Ex contrario.

Ex contrario accidit interdum, vt etiam pro violenta manuum injectione in clericos, excommunicationem quis non incurrat. Et in hoc §. ponuntur Tres casus tales. Primus est, si clericum sibi manus (*a*) inferentem ità quis incontinenti vi (*b*) expellat, ut ei læsionem inferat. Nàm vim vi repellere omnes leges, omniaque jura permittunt. Secundus est, si quis manus violentas injecerit in clericum, quem cum uxore, matre, sorore, vel filia turpiter se gerentem invenerit. Ignoscit enim lex justo dolori, *l. Gracus* 4. *C. ad leg. jul. de adult.* Cæterùm si in stupro, vel adulterio, quod committit cum ea, quæ ipsum ita proxima consanguinitatis linea non contingit, invenerit, & in eum violentas manus injecerit, non erit à sententia illius excommunicationis immunis, *cap. 3. §. si verò, & §. nec ille, de sent. excom.* Tertius casus est, si quis illum percusserit, quem probabiliter ignorabat esse clericum, ut quia incedebat in habitu non congruenti ipsi clerico: ignorantiam tamen probare debet per juramentũ, si de illa dubitetur, & si præstare noluerit juramentũ, pro excommunicato haberi debet, *cap. 4. de sent. excom.*

Quinimmo etsi occiderit quis clericos, vel presbyteros, qui contempto clericali habitu sceleribus sese immiscuerint, excommunicatus non erit, *cap. 14. §. ult. de sent. excom.* Secus si se non immiscuissent sceleribus: quia tunc non perdunt privilegium clericale ob solam non delationem habitus, *gl. hic in verbo immiscuerint*,

Item si clerici ratione offici, aùt zelo devotionis, in minoribus (*c*) ordinibus constitutos turbantes divinum officiũ, & prælati, vel magistri subditos, & scolares correctionis causa leviter (*d*) fortè percusserint, excommunicationis sententiam non incurrunt: Cùm hujusmodi correctio bono animo, & non diabolo instigante fiat. Et idem est dicendum de his, qui aliquos de familia sua, vel propinquos inferiorum (*e*) graduum simili modo corrigunt, ut eos cohibeant à vitiis, & scientia bonisque moribus informent, *cap. cum voluntati*

 54. §.

54.§.*ult. de sent.excom.*Et etiam aliis casibus compluribus iniiciens manum in clericum non incurrit excommunicationē, de quibus per *Hostien.in sum.eod.§.Quis possit excommunicare, vers.super illo.*

a *Quid si pro defensione aliorum quis percutiat clericum? Vide per Abb.in cap.3.num.11.h.t.ubi concludit, quod non incurrit excommunicationem, sive id faciat pro defensione personarum, sive pro defensione rerum.*

b *Servato tamen moderamine inculpatæ tutelæ.*

c *Constitutos ergo in sacris ordinibus percutere non poterunt.*

d *Modica enim tantùm castigatio permissa est docenti. Aliàs incideret in Canonem: Si tamen excessus correctionis esset gravis, & notabilis. Ricc. in add.*

e *Secus si sint in superioribus.*

Ad §. Quod autem, cum §.seq.

QUod autem suprà diximus ad §. Si quis igitur, ab hac excommunicatione, ab alio, quàm à Romano Pontifice, aùt ejus de Latere Legato absolvi neminem posse, non est perpetuum. Nam si talis excommunicatus constitutus sit in mortis (*a*) articulo, aùt capitales habeat(*b*) inimicitias,aùt alias justas excusationes, ità ut sine periculo Papā adire nequeat, licebit diœcesano Episcopo,(*c*)juramēto secundùm morē Ecclesię recepto, sibi absolutionis gratiā impartiri. Debet igitur dięcesanus Episcopus, recepto ab eo juramento (*d*) de parendo mandatis Ecclesiæ ipsum absolvere: sibique in virtute juramenti præcipere, ut quam citiùs opportunitatem habuerit, Romanum Pontificem adeat,mandatum Apostolicum suscepturus,*cap.de cætero* 11.*de sent.excom.* Et prout justitia suadebit (*e*) satisfacturus. Quod si periculo, & impedimento cessantibus,quàm citò commodè poterit,id facere contēpserit,ipso jure in eandē sententiam recidet.(*f*) Quod generaliter constitutū est,quotiescunq; legitima subsistente causa,ab alio quis,quàm ab eo,à quo aliàs de jure absolvēdus fuerat,absolutionis beneficiū à censuris consecutus fuerit. Idem statuendum est de his, quibus (cum à Sede

Apo-

Apoſtolica, vel à Legatis ipſius abſolutionis beneficium à quibuſvis ſententiis conſequuntur) iniungitur, ut ordinariorum ſuorum, vel aliorum quorumlibet ſuſcepturi pœnitentiam ab eiſdem, ſe conſpectui repræſentent,& paſſis iniuriam, ſeù his, quibus propter hoc obligati exiſtunt, ſatisfactionem exhibeant competentem: Si enim hæc cùm primùm commodè poterunt, non curaverint adimplere, ipſo jure in eandem ſententiam recident, *cap.eos qui 22.de ſent. excom.in 6.*

a *Vel in quocunque periculo vicino mortui, vide Ricc.hic in add.*

b *Etiam ſi ipſemet dederit cauſam inimicitiis.*

c *Et non aliis inferioribus, niſi fortè in ſumma neceſſitate, de quo dic ut per Abb.in cap. Monachi, eod.*

d *Dicta juratoria cautio præſtatur ex conſuetudine, & ad cautelam potiùs, quàm ex rigore canonum. Unde inferri poteſt, quod juramentum non eſt de forma abſolutionis, gl.in §.Nec ideò h.t.cap.15.de ſent. excom.*

e *Immo priùs debet ſatisfacere læſo, ſi injuria eſt notoria Abb. in cap.10. ſub num.1. de ſent. excom.*

f *Et erit perjurus.*

Ad §. Item ſi non enormis.

ITem ſi non enormis, ſed modica, & levis injuria fuerit clericus irrogata, inferens per (*a*) Epiſcopum abſolvi poterit. Et erit in arbitrio Epiſcopi, an levis ſit injuria, vel non. *cap.pervenit* 17. *& ibi Abb.in princ.de ſent. excom.* Item ſi impubes Clericum percuſſerit, ſive ante, ſive poſt pubertatem ſeſe abſolui poſtulet, ab Epiſcopo abſolvi (*b*) poterit.

a *Sed non per alium inferiorem. Abb. in cap. pervenit, ſub n.2.de ſent.excom.Vide infrà ad §. his autem h.t.*

b *Neque ei erit injungendum ſub juramenti debito, ut quàm citiùs opportunitatem habuerit Rom. Pont. adeat. Vide Vallenſ. in Tit.Decret.de ſent.excom.§.7.num.4.*

Ad §. Monachi.

MOnachi quoque, & alii Regulares sese invicem (*a*) percutientes, secundum providentiam proprii Abbatis (*b*) sunt absolvendi, & Abbatis discretione deficiente, reccuritur (*c*) ad Episcopum, *cap.2.de sent. excom.* Nisi excessus difficilis fuerit, & enormis, propter quem meritò ad Ecclesiam Romanam sit recursus habendus, *cap.canonica 50.de sent. excom.* ut potè si ad mutilationem (*d*) membri esset processum, *cap.cum illorum 32.§.qui si claustrales, in fin. de sent. excom.* Religioso uerò, qui manus violentas in clericum sæcularem injecit, poterit ab Episcopo eo casu (*e*) absolutionis beneficium exhiberi, quo sæculari clerico, vel laico posset, si clericum percussisset, *cap. Religioso 21. de sent. excom.in 6.*

a *In cap.2.de sent.ex.additur: In claustro. Sed idem est, si extra claustrum, vide gl.hic.*

b *Quod si monachus monacum alterius monasterii percusserit, utriusque monasterii Abbas concurrere debet, vide Abb.in cap.cum illorum §.si verò, sub num.12.de sent.ex.*

c *Idem dic quando deficit. Abbas: Abb. in d. cap.2. in fine.*

d *mutilatio membri est etiam quando impeditur officium membri sine truncatione.*

e *De quibus casibus dictum est ad §.prox.præced.*

Ad §. Simile.

ITem si (*a*) moniales, vel se invicem, vel conversos, aùt conversas suas, aùt etiam in clericos violentas manus injecerint, per Episcopum, in cujus diœcesi monasteria fuerint, absolutionem consequentur. Et in monialibus non excipitur casus enormis, ut in monachis, sed Episcopus indistinctè illas absolvit, *gl.hic, & Abb. in cap.de monialibus 33. sub num.4.de sent.excomunic.*

Sunt, & alii casus, quibus ab alio quis, quam à Romano Pontifice, aùt ejus de Latere Legato, ab hac excommunicatione absolvi poterit, *ut per Hostien.in Sum. eod. §. qui possit excomm.vers.2. regula.*

a Etiam

a *Etiam si essent moniales exemptæ Abb. in cap. 33. sub num. 5. de sent. excom.*

Ad §. His autem.

HIs (*a*) autē, quibus ex officio, vel etiā ex privilegio in certis (*b*) casibus competit illos absolvere, qui pro violenta manuum injectione in clericos, incidunt in canonem sententiæ promulgatæ, licet nonsolùm per se ipsos absolvere: verum etiam aliis hujusmodi absolutionem committere, *cap. ult. & ibi gl. de offic. Jud. ord.* Et licèt allegatus textus loquatur in absolutione ab excommunicatione lata à *Can. si quis suadente* 17. *q.* 4. Tamen idem, & fortius est dicendum in aliis excommunicationibus: *Abb. in dicto cap. ult. sub num.* 1.

a *Summa hujus §. hæc est: Absolutio à suprà dict. vel alia excommunicatione delegari potest ab his qui absolvendi habent potestatem.*

b *Quorum pars superiùs fuit numerata.*

Ad §. Judicis.

JUdicis sive judicialis excommunicatio est, quæ judicis ministerio infertur, sive sit judex ordinarius, sive delegatus. Nàm si Papa committat causam alicui, etiam simpliciter, neque exprimat se dare potestatem excommunicandi, poterit nihilominus delegatus contumaces Ecclesiastica (*a*) severitate coercere. Quia ex eo, quod causa sibi committitur, super omnibus, quæ ad causam ipsam spectare noscuntur, plenariam recipit potestatem, ut diximus suprà *in Tit. de judiciis, ad §. Sed sive uni.*

a *Appellatione severitatis Ecclesiasticæ non venit solùm sententia censuræ, sed etiam facultas puniendi modo extraordinario, ut indicere multam vide Abb. in cap. 5. num. 2. de offic. & pot. jud. del.*

Ad §. Quoties.

JUdex autem contra ſubditum ſuum non aliter, quàm competentibus præmiſſis monitionibus ad excommnnicationis ſententiam deſcendet, quam etiam de ſcripti recitatione proferet, ità ut cauſam,(*a*) ob quam profertur expreſsè contineat. Sed utrùm poſſit quis convenire, & ſe obligare, ut poſſit etiam ſine monitione aliqua excommunicari? ℞. *non, ut per gl. hic, & Abb. in cap. 40. ſub num. 7. de offic. & pot. jud. del.* Ut igitur canonicè promulgetur excommunicationis ſententia, præmittenda eſt(*b*)monitio Trina, ideſt facta tribus monitoriis, vel uno pro omnibus, in quo ſcilicèt ponantur tres monitiones. Et inter monitiones, debent judices, ſive tribus monitoriis utantur, ſive uno pro omnibus, obſervare aliquorum dierum competentia (*c*) intervalla, (*d*) *cap. conſtitutionem 9. §. ult. de Sent. excom. in 6.* Et alia quoque circa ſententiam excommunicationis judices obſervabunt, quæ ſunt compræhenſa *in cap. ſacro 48. h. t. & in cap. 1. eod. Tit. in 6.* Ubi etiam variis pœnis puniuntur qui non obſervant obſervanda.

a *Quod ſi excommunicandi cauſa non ſubeſt, excommunicatio quoad Deum nihil operatur, ſed quoad homines operatur, quia debet excommunicatus vitari. Vide gl. hic.*

b *Monitio iſta debet eſſe perſonalis, niſi Reus, vel malitiosè latitet, vel impediat quò minùs moneri poſſit, aùt nõ detur tutus ad eum acceſſus. Vallenſ. in Decret. h. t. §. 2. num. 3. Vide ad §. Tunc autem h. t.*

c *Hoc judex moderabitur pro perſonarum, & negotii qualitate, gl. penult. in d. cap. conſtit. 9*

d *Niſi facti neceſſitas aliter ſuadeat, d. cap conſtitutionem in fine.*

Ad §. Sed quæri.

SI quem (*a*) verò ſub hac forma verborum: Illum excommunico, vel ſimili, à judice ſuo excommunicari contin-

gat

gat: dicendum est eum non tantùm minori, sed etiam (*b*) majori excommunicatione esse ligatum. Et qui cum excommunicato (*c*) excommunicatione majori communicaverint, ipsi quoque, non obstante quod sint (*d*) privilegiati, excommunicationem incurrunt ipso jure. Et quandoque incurrunt majorem, quandoque minorem, ut videbimus infrà ad §.sed multum,cum §:sequentibus. Et judices Ecclesiastici, canonica præmissa (*e*) monitione per Ecclesiasticam censuram compellere debent sæculares Judices, ut excommunicatos ab (*f*) agendo, patrocinando, & testificando in suis curiis, & judiciis repellant,

a *Cap.penult.de sent.excom.*
b *Immo hodie non est iu usu, quod judices ferant excommunicationem minorem. Vide suprà in fin.princ.h.t.*
c *Non tolerato.*
d *Cap.nulli 8.de sent. excomun. intellige hoc de privilegio non clauso in corpore juris. Et etiam excommunicatus debet alius excommunicatum vitare. gl. hic.*
e *Vide in præced.* §.
f *Et reconveniendo, non autem à defendendo.*

Ad §. Dubitatum.

DUbitatum tamen fuit, an Reus, qui excommunicato Actori scienter communicat,excommunicatũ ipsum à sua possit actione repellere, cùm Actor communionem hujusmodi replicet contra reum. Et fuit responsum, quod replicatione minimè suffragante, poterit Reus Actorem à judicio repellere, *cap.2.de except. Et notate, quòd licèt Tex. in d. cap.2. loquatur*, quando excommunicatus minori, excipiebat contra excommunicatum majori, nihilominus idem est si & excipiens excommunicatus sit majori: omnis enim defensio excomunicatis competit. *Abb.in d.cap.2.sub.num.8.*

Ad §. Nec ideò.

ET quamvis excommunicatus de parendo mandatis Ecclesiæ juraverit (*a*), eique communionē Episcopus reddiderit, nisi tamen fuerit secundum formam Ecclesiæ absolutus, nec Episcopus, (*b*) nec alii debent communicare eidem, *cap. cum desideres* 15. *h. t.* Et etiam si post prædicta quis morte præventus absolvi non potuerit, non tamen habendus erit apud Ecclesiam absolutus. Plane, si de ipsius viventis pœnitentia constiterit, absolvetur etiam post mortem ab eo, à quo vivens fuerat absolvendus, & hæredes (*c*) ejus ad satisfaciendum pro ipso, Ecclesiastica censura compelli poterunt.

a *Non est tamen juramentum de forma absolutionis gl. hic. Vide Abb. in cap. 15. h. t. in fin.*

b *Unde Episcopus communicando cum excommunicato ante absolutionem incidit in excommunicationem. Secus tamen est in Papa. Vide Abb. in d. cap. 15. num. 2. & 3.*

c *Justa facultates defuncti, cap. in literis, de rapt.*

Ad §. Sed etsi.

QUod si de sacrilega manuum injectione in clericum quis publica laboret infamia: à communione illius abstinendum erit, nisi ad arbitrium Episcopi de hoc se purgaverit, vel ad cautelam absolutionis beneficium consequatur. *Vide infrà ad §. Prædicatores in fine.*

Ad §. Sed multum, cum trib. seq.

NOtate primò quòd qui excōmunicato vitando scienter communicat in eodem crimine propter quod ille fuit excommunicatus, consilium putà auxilium, vel favorem impendendo, eadem excommunicatione involuitur, qua obstrictus est ille, cum quo ita communicavit. Idem est dicendum si (*a*) quis fortè cum clericis à Papa excommunica-

tis

tis ſcienter, & (*b*) ſpontè in divinis officiis participaverit. Et debent tales communicantes juramento præſtito abſolvi ab eo, qui damnavit excommunicatum, cum quo fuit participatum, vel ab ejuſdem excommunicantis Superiore, ſi detur. Quòd ſi aliter, putà in menſa, aùt ſermone excommunicato communicatum fuerit, minori tantùm excommunicatione quis alligabitur, & ſine juratoria cautione, à proprio Sacerdote, vel Epiſcopo abſolvi poterit. Qui tamen in contemptum Eccleſiaſticæ diſciplinæ, cum excommunicatis commercium habuerit, putà, contra prohibitionem ſui præſulis, anathemate feriendus erit.

Notate ſecundo quòd quando conditor Canonis abſolutionem excommunicationis ſibi ſpecialiter non retinet, eo ipſo relaxandi facultatem aliis concedere videtur.

a *Clericus. vide Abb. in cap. 18. eodem ſub num. 3.*

b *Si per metum, incurreret excommunicationem minorem duntaxat. Vide gl. hic.*

Ad §. Quod ſi ex locutione.

QUòd ſi ex locutione, & aliis ſimilibus minori excommunicatione ligatus fortius indureſcat, poterit judex poſt canonicam monitionem etiam majori excommunicatione participantem illigare. Et etiam in ſuſpenſionis, (*a*) & interdicti ſententiis, quæ pro hujuſmodi participatione promulgantur, (*b*) canonica monitio præmittenda erit, *cap. 3. & 13. de ſent. excomm. in 6.*

a *Quod hic dicitur de ſuſpenſione declara quando ſuſpenſio imponitur ob contumaciam: ſecus ſi ob aliud crimen. Vide in Tit. de Eccleſ. interd. ad §. Judicis, in fin. & in Tit. de ſuſpenſ. ad §. Judicis.*

b *Ab ordinariis, vel delegatis, cap. 13. de ſent. excom. in ſexto.*

Ad §. Tunc autem.

TUnc autem canonica (*a*) cenſebitur eſſe monitio, ſi competentibus intervallis, atque aliis, de quibus *in*

cap.Sacro, eod.Tit. ritè obſervatis, eos qui monentur exprimat nominarim, (*b*) vel aliis indubitabilibus circunſtantiis, quæ habent vicem proprii nominis. Et hoc intelligendum eſt quando agitur de excommunicandis (*c*) participantibus, aliàs autem benè poſſet fieri generalis monitio. Circa monitionem Canonicam, *vide quæ diximus ſuprà ad §.quoties,eod.*

a *Cap.conſtitutionem, h.t.in 6.*

b *Vide gl.in dicto cap.conſtitutionem in verbo, nominatim.*

c *Gl.in dicto cap.conſtitutionem in verbo, in hoc caſu, & ibi in add.*

Ad §. Interdum.

NOn tamen excommunicationem incurrit, qui cum illo converſatus fuerit, quem excommunicatum probabiliter (*a*) ignorabat. Unde, ut excuſationis cauſa omnibus auferatur, debent Epiſcopi propalare nomina excommunicatorum.

a *Craſſa autem, & ſupina ignorantia non excuſaret. Facit. cap 9. de cler.excom.*

Ad §. Uxores.

UXores quoque excommunicatorum, filii, ſervi, ancillæ, ruſtici, ſervientes (*a*), & omnes, qui antè ſententiæ prolationẽ excommunicati obſequio tenebantur familiariter adhærere, nonſolùm eidem communicare licitè poſſunt: verum etiam (præter quam (*b*) in crimine) ad communionem tenentur, cùm ſine illa præſtare nequeant debita obſequia. Contrà verò, ſi filius ſit excommicatus, non debet pater ei communicare: niſi accipiat ab eo alimenta, vel ei tribuat, cum de facili iſte, vel ille non poſſit habere aliunde. *Turrecrem. in c. quoniam* 11. *q.*3. *ſub num.*2. Item ſi filius ſit emancipatus, tenetur, ſecundum aliquos, (*c*) vitare patrem excommunicatum.

a *Ideſt, qui mercede pacti ſerviunt.*

b *Vide ſuprà ad §.ſed multum.*

c *Sen-*

c *Secundum gl. hic. & in c. quoniam* 11. *quæst.* 3. *contrarium tenet Busemb. in med. Thol. moral. lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 3. *in fine* .

Ad §. Mercatores.

MErcatores autem & Viatores, si in Terram excommunicatorum devenerint, ubi vel non possint ab aliis emere, vel unde emant non habeant, poterunt, sine metu excommunicationis, necessaria emere, vel accipere eleemosynam ab eisdem. Et è contra, si quis excommunicatis, non in substentationem superbiæ, sed humanitatis (*a*) causa dare aliquid voluerit, non prohibetur, *c. quoniam* 11. *q.* 3. *Quia eleemosina nulli est deneganda, c. pasce, dist.* 86.

a *Idest, pietatis. Et hoc in necessitate. Immò tunc ex præcepto charitatis tenetur ei providere. Turrecremata, in c. quoniam* 11. *q.* 3. *sub num.* 2. *&* 3.

Ad §. Prædicatores.

PRædicatores quoque, præsertim si aliàs sustentari non possunt, eleemosynam (*a*) ab excommunicatis, & alienorum bonorum detentoribus (*b*) licitè recipere possunt: quia quasi gerunt causam eorum, ad quos res ipse spectare noscuntur *cap. cum voluntate* 54. § *prædicatores, de sent. excom.* Neq; etiam excommunicationis vinculo obstringuntur hi, qui cum iis communicant, qui communicant excommunicatis. Immò hodie fideles tenentur tantùm vitare (*c*) notorium clerici percussorem. Item nominatim excõmunicatum, & specialiter ac publicè denunciatum.

a *Non tamen oblationes. Vide suprà ad* §. *multiplicibus, de usur. in marg. incip. eleemosynam*.

b *Intellige generaliter de omnibus, qui dolo malo detinent, ut sunt usurarii, fures, & latrones*.

c *Alii notorii, etiam si evidenter constet fuisse excommunicatos, sive à Jure, sive ab homine, vitandi non sunt, antequam fue-*

fuerint denunciati. Vallens. in Tit. Dec. de sent. excom. §. 2. vers. not. verò. Vide Busemb. in med. Theol. moral. lib. 7. cap. 2. in princ.

Ad §. Sed an invitus.

SEd quæritur an is, qui excommunicatis invitus communicat, cadat in excommunicationem? & distinguitur, utrùm sit per coactionem (*a*) adstrictus: aùt per metum inductus. In primo casu, non tenetur excommunicatione: in secundo, excommunicationes (*b*) labe inquinatur.

a *Absolutam.*

b *Minoris, non autem majoris. Vide Abb. in cap. 5. num. 3. de iis, quæ vi, metusve &c.*

Ad §. Item cum voluntate.

IS verò, qui excommunicato in his, quæ ad absolutionem, vel aliàs ad salutem animæ pertinent in locutione participat, excommunicationis vinculo non obstringitur, *cap. cum voluntate 54. de sent. excom;*

Ad §. Si quis tamen.

SI autem quis dubitet, ne non Judicis, vel Canonis sententia sit innodatus, poterit à competenti judice ad cautelam absolutionem petere juxta tenorem Constitutionum Innocentii IV. *in cap. 2. & 7. de sent. excom. in 6.* Et etiam judex, qui excommunicatione minore innodatus est, potest absolvere ab excommunicatione: Quia per minorem excommunicationem jurisdictione privatus non est, *Vide Abb. in cap. duobus 56. de sent. excom.*

Ad §. Sed hoc casu.

EXcommunicationis autē absolutio non debet peti omisso medio ab eo, qui competens Iudex non sit. Unde si Ar-

si Archidiaconus, (*a*) vel alius subditus alicujus Suffraganei excommunicavit Titium, non debet Titius à Metropolitano, sed ab ipso Suffraganeo absolutionem petere, nisi consuetudo contrarium induxerit. Regulariter enim metropolitanus nullam habet potestatem in subditos suffraganeorum, *cap. Pastoralis* 11. *de offic. jud. ord.*

a *Qui vel ex permissione Episcopi, vel ex consuentudine potest habere auctoritatem excommunicandi.*

Ad §. Episcopali.

EPiscopali verò Sede vacante, Capitulum, seù is, (*a*) qui tunc temporis habet Episcopalem jurisdictionem, eos, quos absolvere posset Episcopus si viveret, absolvit ab excommunicatione (*b*): nisi ei fuerit ab Apostolica Sede specialiter interdicta potestas, *cap. unico, de major. & obed. in 6.* Idem si Episcopus esset captus à Paganis, vel schismaticis, *cap. 3. de supplen. neg. prælat. in 6.*

a *Puta, ad hoc per Capitulum electus.*

b *Sive juris, sive hominis fuerit, d. cap. unico. Et nota, quod à qualibet juris excommunicatione absolvit Episcopus, si absolutio non sit Summo Pontifici reservata, gl. in dicto cap. unico.*

Ad §. Ubi verò.

UBi verò Superiori competit de excommunicatione cognoscere, si certum sit excommunicationis sententiã esse justam, veluti quia pro manifesto (*a*) excessu fuit aliquis excommunicatus, Superior Judex, excommunicatum ad excommunicatorem pro absolutione remittere debet, nec eum debet superior absolvere, (*b*) nisi periculum sit in mora, vel nisi excommunicator requisitus malitiosè illi deneget absolutionem. Si verò constet hujusmodi sententiam esse injustam, excommunicatus debet absolvi. Quòd si dubitetur, utrùm excommunicationis sententia justa sit, vel iniusta, poterit Superior absolvere excommunicatum. Quamquam

hoc

hoc casu honestius, & convenientius agat si eum remittat ad excommunicatorem. Manifestus (c) autem excessus dicitur, qui vel per confessionem, vel probationem juridicè notus fuerit, aut evidentia rei, quæ nulla possit tergiversatione celari. Et ubi excessus manifestus est, non debet quis absolvi, nisi re ipsa prius (d) satisfaciat. Cœterùm, si de admisso dubitetur, absolvendus erit præstita cautione de parendo mandatis Ecclesiæ. Quamquam si pro simplici contumacia excommunicatus solam (e) cautionem de stando juri exhibverit, absolvendus erit. Sed jure novo, si contumacia est manifesta, non debet absolvi, nisi præstita satisfactione, ut puta restitutis expensis, *cap. Venerabilibus 7. §. porrò, vers. Secus, de sent. excom. in 6. Abb. in cap. ex parte 23. sub num. 2. de Verb. sig.*

a *Manifestus autem excessus dicitur, ut infrà, vers. manifestus.*

b *Tamen si absolvat, tenet absolutio, quamvis injusta, cap. Venerabilibus §. sanè in fin. cod. in 6.*

c *Capitur enim hic manifestum pro notorio.*

d *Vide Abb. in cap. ex parte 23. sub num. 2. de verb. sig.*

e *Sufficientem, dicto cap. ex parte 23. §. ult. de verb. sig. sufficiens autem erit, si dentur pignora, vel fidejussores, quid si idoneam non invenerit? ℞. præstet quam potest, gl. hic.*

Ad §. Multum etiam.

SI autem absolutionem postulans dicat se post legitimam appellationem, vel aliàs nulliter excommunicatum fuisse, & Episcopus sit paratus probare, si illum excommunicasse antè appellationem: antequam decernatur aliquid, excommunicatoris, & excommunicati super hoc probationes sunt admittendæ, ut appareat, an absolvi debeat excommunicatus, vel denunciari potius non ligatus. Si verò absolutionem postulans asserat simpliciter injustè se excommunicatum, Episcopus paratus probare, quod justè excommunicaverit, audiendus non erit, sed ille ante omnia erit (a) absolvendus. Et ratio est, quia etsi constaret excommnnicatio-

cationem esse justam, nihilominus humiliter postulans absolutionem esset absolvendus, *cap. cum contingat 36. de offic. del.*

a *Præstita cautione, quod parebit mandatis Ecclesiæ Abb. in d. cap. 36. num. 1. de offic. del.*

Ad §. Quod si quis.

QUi autem ligatus est pluribus excommunicationibus, etiam ex eodem facto descendentibus, nisi de omnibus excessibus satisfaciat, non est absolvendus: Et supprimenti veritatem, absolutio subrepta non prodest. Quinimmo, si constet ordinario, quòd absolutus à Papa suppressit (*a*) veram causam, ob quam fuerat excommunicatus, debet ordinarius eundem Ecclesiastica censura compellere, ut cũ literis suis rei veritatẽ continentibus ad Sedem Apostolicam redeat. Si verò illud liquidò sibi non constet, habeat tamen suspicionem contra eum, ad purgationem (*b*) præstandam eundem compellet.

a *Cap. ex parte 5. de offic. ord. vide Concil. Trid. sess. 13. cap. 5. de ref.*

b *Qualiter sit præstanda purgatio, dic ut habetur in cap. quoties, de purg. can.*

Ad §. Illud etiam.

SI quis verò ab excommunicationis, (*a*) suspensionis, (*b*) vel interdicti sententia, absolutionem, aùt quamcumq; revocationem per vim, vel metum extorserit, nulla (*c*) erit absolutio, seù revocatio, Et extorquens (*d*) excommunicationis sententiæ iteratè (*e*) subjacebit.

a *Etiam injustæ.*

b *Cujuscunque, sivè ab officio, sivè à beneficio, sivè ab ingressu Ecclesiæ.*

c *Ipso jure.*

d *Si ergo metum quidem intulit quis, sed judex absolvere noluit, non habebit locum hac pœna. Aliàs tamen puniretur pro qualitate delicti vide gl. hic.*

c *Ipso jure gl.1. in cap. unico, de his, quæ vi, metusve &c. in 6.*

Ad §. Ultimum.

NOvissimè sciendum est, quòd si Papa etiam scienter excommnnicato (*a*) participet, ipsum, per hoc absolvere nulla ratione censetur, nisi forsitam exprimat, velle illum ex hoc pro absoluto haberi.

Cœterùm notate, quod per Concilium Tridentinum *sess.25. cap.3. de reform.* In causis judicialibus Civilibus, vel criminalibus mandatur omnibus judicibus Ecclesiasticis, cujuscunque dignitatis existant, ut quandocunque executio realis, vel personalis in qualiquet parte judicii propria auctoritate ab ipsis fieri poterir, abstineat se, tam in procedendo, quàm definiendo, à censuris Ecclesiasticis. *Vide d. Concil.* (*b*) *loco citato*.

a *Qua participatione Papa, cum sit legibus solutus, non ligatur minori.*

b *Vide etiam Vallens. in Tit. Dec. de sen. excom. §.2. n.5. in fin. & n.6.*

De Ecclesiastico interdicto.

TITULUS XIV.

SEcunda species Censuræ Ecclesiasticæ (*a*) est interdictū Ecclesiasticum. Est autem Ecclesiasticum interdictum à certis sacramentis, & omnibus divinis officiis, & sepultura Ecclesiastica facta prohibitio. *§. ult. de Eccles. cens.*

Ecclesiasticorum interdictorom alia ipso jure inducuntur, alia Judicis sententia. Juris ipsius dispositione interdictum inducitur, veluti cùm Civitas, vel Universitas Civitatis illius, in qua Romani Pontificis electio fuerit celebranda, non servaverit ea, quæ servauda jubentur *in cap.3. de elect. in 6.* aùt cùm Civitas in necem Cardinalis aliquid machinata (*c*) fuerit, sive ab Ecclesijs, vel personis Ecclesiasticis aliquid extor-

tor-

torserit, aùt usurariis domos commodaverit. Item ipso jure interdicta est divinorum celebratio in Ecclesia sanguinis, vel humani seminis essusione (*c*) polluta, aùt simoniace consecrata. Ubi tamen ista fierent occultè, Ecclesia non esset reconcilianda, *Abb.in cap. proposuisti sub num.* 5. *& in cap.ult. sub.n.*5 *de consec.Eccl.vel Alt.* Et consequenter non esset in ea divinorum celearatio interdicta. Is tamen, qui in Ecclesia polluta, vel simoniacè consecrata celebrat, etiam scienter, irregularitatem (*d*) non incurrit. Is verò qui scienter celebrat in loco supposito interdicto (nisi super hoc privilegiatus existat, aùt nisi hoc à jure sit concessum eidem) irregularitatem incurrit: à qua nequit per alium, quàm per Romanum Pontificem liberari, *cap.is, qui* 18. *de sententia excommun. in sexto*.

a *Ut suprà de Eccles.cens. in princ.*

b *Cap.fin.de pæn.in 6.*

c *Ecclesia tamen in se non polluitur ex delicto hominum, sed ad terrorem fit reconciliatio Abb.in dicto cap.proposuisti sub num.5.*

d *Quia hoc non est expressum in jure, cap.18. de sent. excom. in 6.*

Ad §.Judicis.

JUdicis sententia tunc inducitur interdictum, cùm Judex (*a*) competens ex aliqua (*b*) causa Terram, vel homines à divinis arcendos pronunciat, ac præcipit. Debet autem Judex qui interdicit, interdictnm in scriptis proferre, & caussam, propter quam profertur, expresse conscribere, *cap.1. de sent.excom.in 6.* Debet etiam canonicam monitionem permittere. Quod tamen intelligendum est, quando interdictum (*c*) fertur ob contumaciam, secus si in pœnam præteriti delicti, *Vallens.in Tit.Decretal.de sent. excom.* §.12. *num.*1.

a *Competens Iudex est v.g. Papa, Legatus, Delegatus, Episcopus. Vide gl.hic, & ibi in add.*

b *Gravi, veluti ob inobedientiam, vel grave crimen conjunctum cum contumacia. Vallens.in Tit.Decret.de sent.excom.* §.12.*n.*1.

 c *Vi-*

c *Vide suprà in Tit. de sent. excom. ad §. quod si ex locutione, & ibi in mag. & infrà in Tit. de susp. ad §. Iudicis.*

Ad §. Rursus.

RUrsus interdictum, quod judicis sententia inducitur, aliud est generale, aliud speciale. Generale interdictum est, nonsolùm cùm Regno, & Provinciæ, sed etiam cùm Castro, (*a*) & Villæ divinis interdicitur. Et tunc censentur interdicto supposita etiam suburbia, & ædificia continentia: quia si in illis locis posset licitè clebrari, Ecclesiasticum interdictum facilè contemni posset. Speciale (*b*) interdictū est, cùm inter plures Ecclesias paucæ, vel una jure interdicitur. Et si specialiter Ecclesia sit interdicto supposita, nec in Capella ejus contigua (*c*) celebrari, nec in cęmeterio (*d*) ipsius eidem Ecclesiæ contiguo sepelliri poterit.

a. *Not. ergo quod generale interdictum est quando Universitas unius loci interdititur, sive locus sit parvus, sive magnus.*

b *Speciale interdictum dicitur, quando una Ecclesia vel plures Ecclesiæ specificè, & non sub nomine Universitatis interdicuntur. Abb. in cap. cum in partibus, de verb. sig.*

c *Sunt autem contigua, quorum extrema se invicem contingunt gl. hic.*

d *Sed è contra cæmeterio interdicto, non dicitur interdicta Ecclesia etiam contigua gl. ult. in cap. 17. de sent. excom. in 6.*

Ad §. At non sicuti.

INterdicto autem populo, Clerus intereictus non (*a*) intelligitur, nec etiam è converso, interdicto (*b*) Clero, intelligitur interdictus populus. Unde interdicto alterutro, ad divina licitè alter admittitur, *cap. si sententia 16. de sent. excom. in 6.* Immo interdicto Clero alicujus Ecclesiæ, non propter hoc intelligitur Ecclesia interdicta: Unde alii Clerici licitè celebrabunt in illa. Nec etiam è converso interdicta Ecclesia, interdicti sunt ejus clerici non culpabiles, *gl. in d. cap. si sententia, in verbo. in Clerum, & ibi in add.*

a *Nisi*

a *Nisi aliud sit expressum in sententia cap.16.de senten. excom. in 6.*

b *Nomine tamen Cleri comprehenduntur monachi, & monachæ, religiosi, & religiosæ, novitii, & novitiæ. Vallens.in Tit.Decret.de sent.excom.§.11.num.3.*

Ad §. Sed etsi.

SEd etsi propter delictum (*a*) Domini, vel Rectoris Civitas sit interdicta: Cives, qui culpabiles non existunt, alibi divinis licitè interesse poterunt, nisi cives quoque propter dominum, vel Rectorem puniendum interdicti fuerint. Quod quidem in excommunicationis sententia contingere non poterit, neque enim pro peccato unius, alius, puta ipsius familia, excommunicari poterit. Neque pro (*b*) pecuniaria causa, sine speciali, sedis Apostolicæ, & per patentes literas expræssa, licentia, interdicti sententia ferri poterit.

Ratio autem quare Civitas propter Dominum, vel Rectorem puniendum possit inrercedi, pro peccato verò unius, alius, puta ipsius familia, excommunicari non possit, est quia excommunicatio ligat animam, & privat participatione omnium sacramentorum, non ità interdictum. Interdicti enim participant sacramentis ad salutem præcisè (*c*) necessariis, ut videbimus ad proximum §.

a *Cap.si. sententia 16.de sent.excom.in 6.*

b *Cap.provide, de sent.ecxom.in etxravam commun.*

c *Interdicti recipere possunt ea sacramenta, quæ sunt à jure Divino expresè necessaria, Vide in seq.§.& ibi in marg.*

Ad §. Item cum loci, cum duob. §.seq.

ITem interdicto populo alicujus loci, singulares ex eo personæ intelliguntur (*a*) interdictæ, ideòque non debent alicubi, casibus expressis à Jure duntaxat exceptis, audire (*b*) divina, vel Ecclesiastica (*c*) recipere sacramenta. Excepti verò casus sunt, si qui ab baptismi, chrismatis, & pœnitentiæ

tentiæ ſacramentum, vel ad verbum divinum (*d*) audiendum admitti velint: Tempore enim interdicti poſſunt, tam infirmi, quàm ſani ad ſupradicta admitti. Et etiam Euchariſtia (*e*) danda eſt conſtitutis in mortis articulo, *c. pœnitentes diſt.* 50. in his tamen, qui interdicto cauſam dederunt, obſervanda erit forma Bonifacianæ Conſtitutionis (*f*) *in cap. ult. de ſent. excom. in* 6. Poteſt etiam tempore interdicti, chriſma die cœnæ Domini (*g*) confici. Unctio autem extrema, & Eccleſiaſtica ſepultura, & divinorum officiorum celebratio tempore generalis interdicti omnibus denegatur, niſi quibuſdam, quibuſdam, quibus Eccleſiaſtica (*h*) ſepultura, & divinorum celebratio ex gratia conceditur, ſervata forma, de qua *in cap. quod inte* 11. *§. licet autem, de pœnit. & remiſſ.* Hodie tamen generaliter tempore interdicti ſingulis diebus in (*i*) Eccleſiis, & monaſteriis miſſæ celebrantur, & alia dicuntur divina officia, ſicut prius: ſubmiſſa tamen voce, januis clauſis, excommunicatis, ac interdictis excluſis, & campanis (*k*) etiam non pulſatis. In feſtivitatibus (*l*) verò Natalis Domini, Paſcæ, ac Pentecoſtes, (*m*) & Aſſumptionis Virginis glorioſæ, campanæ pulſantur, & januis apertis alta voce divina officia ſolemniter celebrantur, excommunicatis prorſus excluſis, ſed interdictis admiſſis, & etiam illi interdicti, propter quorum exceſſum interdictum hujuſmodi eſt prolatum, admittuntur; debent tamen remotius ſtare, & altari nullatenus appropinquare *d. cap. ult. de ſent. excom. in* 6. Et notate quod licèt tempore Interdicti denegetur ſepultura Eccleſiaſtica, tamen, relaxato interdictio illi, qui non fuerunt culpabiles, vel in quibus apparuerunt in morte ſigna contritionis, ſi fuerint ſepulti extra cœmeterium, poterunt exhumari, & de novo ſepeliri in cœmeterio, *Abb. in cap. quod in te* 11 *in fin. de pœnit. & remiſſ.*

a *Cap. ſi ſententia* 16. *§. ult. de ſent. excomm. in* 6.

b *Licitè tamen poſſunt interdicti ingredi Eccleſiam orationis cauſa, quando ibi divina officia non peraguntur. Vallenſ. in Tit. Decr. de ſent. excom. §.* 1[illegible]. *n.* 4.

c *Vallenſ. ubi ſuprà not. Contractum matrimonii tempore interdicti non eſſe prohibitum, quamvis ſolemnis benedictio*

ſpon-

ſponſis dari non debeat. Igitur prohibitio, de qua hic, intelligitur de ſacramentis commiſſis adminiſtrationi Eccleſiæ; adminiſtratio verò matrimonii competit ipſis contrahentibus.

d *Etiam excommunicati licitè intrant Eccleſiam, ut audiant verbum Dei, & hoc permittitur, ut facilius inducantur ad correctionem, cap. reſponſo 43. & ibid. Abb. de ſent. excom.*

e *Et poteſt Euchariſtia deferri ad infirmũcum ſolita ſolemnitate, & etiam poteſt pulſari campana ſolita. Ricc. hic in add.*

f *Prius de ipſo delicto ſatisfacient, ſi poſſunt, vel tradent idoneam cautionom de ſatisfaciendo Vide d. cap. ult.*

g *Quia vetus chriſma non debet eſſe uſui.*

h *Clerici decedentes, qui ſervaverunt inter dictum poſſunt in cæmeterio Eccleſiæ cum ſilentio ſepelliri, cap. quod in te §. licet, de pen. & remiſſ. Non tamen eſt eis exhibenda extrema unctio, Abb. in d. cap. quod in te num. 9. ubi etiam ſub nu. 10. vide, an iſtud privilegium conceſſum cleris, circa ſepulturam, habeat locum in Eccleſia ſpecialiter interdicta.*

i *Non intelligas de Eccleſiis interdictis, ſed ſitis in loco interdicto.*

k *Ad finem tamen habendi contionem, poteſt interdicti tempore pulſari campana: ſicut & pro Ave Maria, ut moris eſt. Vallenſ. in Tit. Decret. de ſent. excom. §. 12. num. 4.*

f *In Vigilia feſti ad veſperas, uſque ad veſperas feſtivæ diei incluſivè.*

m *Adde & ſolemnitatem corporis Chriſti, & ejus octavam per Extravag. Martini V. & Eugenii IV. Vallenſ. in Tit. Decret. de ſent. excom. §. 12. num. 4.*

Ad §. Cæteri, cum §. ſeq.

Violantes autem interdictum, ſive clerici ſint, ſive laici, ſenrentiæ excommunicationis ſubiiciuntur (*a*), à qua per ſedem duntaxat Apoſtolicam abſolvi poterunt. Nec aliquid violatoribus proderit, quòd appellaſſe contendant: quoniam interdictum, appellatione non(*b*)obſtante, eſt omninò ſervandum.

a *Qui-*

a *Quibuscunque privilegiis non obstantibus.*

b *Quod hic dicitur vindicat sibi locum in omnibus sententiis, & censuris, quæ concernunt ipsam animam: in sententia scilicèt excommicationis, interdicti, & suspensionis, gl. hic.*

De Suspensione.

TITULUS XV.

Tertia (*a*) species Censuræ Ecclesiasticæ est suspensio. Est autem suspensio inhabilitas quædam ordinum, vel officiorum executionem impediens. *§.ult.de Ecclesiasticis Censuris §. Est autem h. t.*

Suspensio quoque alia est Canonis: (*b*) alia Judicis Canonis est: veluti cum quis ob aliquid (*c*) crimen ipso jnre à sui executione ordinis, vel officii arcetur.

a *Ut suprà de Eccles. cens. in princ.*

b *De differentiis inter Canonis, & judicis suspensionem. Vide Abb.in cap.sicut num.4. de cohab. cleric. &c.*

c *Quæ sint hæc crimina, latè per B.Anton.in suo Tract. de suspens.cap.4.*

Ad §.Judicis.

Judicis (*a*) suspensio est, ut cum sententia quis à sui executione ordiuis, vel officii ex causa removetur. Sententiam tamen præcede debet canonica monitio, *cap. reprehensibilis 26. de appell.* Quod procedit quando suspensio fertur propter contumaciam: secus si in pœnam delicti, *Abb. in d. cap. reprehensibilis, sub num.3. & 4.*

a *Et judex, qui suspendit, suspensionem in scriptis debet proferre, & causam suspensionis expressè conscribere, cap.1.de sent. excom.in 6. Valida tamen esset aliter lata. Vallens. in Tit. Decret.de sent.excomm.§.9. num.3.*

Ad §. Est autem.

SOlos autem Clericos attingere potest suspensio, cùm nihil aliud sit, quàm inhabilitas, quædam ad exequendos ordines, & officia (*a*) Ecclesiastica: Excommunicatio verò, & interdictum, nonsolùm Clericos, verum etiam laicos inectere possunt.

a *Quorum meri laici non sunt capaces, ut suprà, de jure person. in princ.*

Ad §. Cavebunt.

QUod si quis durante suspensione sese divinis (*a*) ingesserit (secundum canonicarum Sanctionum tenorem, & distinctionem) incurrit irregularitatem, à qua non nisi per summum Pontificem liberari poterit, (*b*) *cap.* 1. *§. ult. de sent. excom. in 6. de hac distinctione vide Specul. in Tit. de Dispensatione §. justa vers. In suspensis autem distinguitur, & in cap. Tanta de excess. Prælatorum. Hodie tamen ex Concil. Trid. sess.* 24. *cap.* 6. *de reformat.* permittitur Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus, ex delicto occulto provenientibus, excepta ea, quæ oritiur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad forum contentiosum, dispensare.

a *Scienter scilicèt, quia secus si ignoranter. Et hoc intellige, cum quis suspensus est à divinis: secus si suspensus sit à quocunque alio officio, gl. hic.*

b *Et cap.* 1. *§. ult. de sent. & re jud. in sexto.*

Ad §. Est autem.

EST autem irregularitas nota, seù (*a*) canonicum impedimentum ex facto, seù defectu (*b*) proveniens, quo quis tam ad Ecclesiasticos ordines promoveri, quàm promotus in iisdem ministrare (*c*) prohibetur.

Pro intelligentia hujus definitionis notate, quod irregula-

ritas proveniens ex facto, seù delicto, est nota delicti, *cap. accedens.* 14. *de purg. can.* Seù infamia, & quasi quædam cicatrix criminis, & quasi intellectualis vulneris, *gl. hic*. irregularitas verò ex defectu, est nota defectus, *d. cap. accedens.* verbi gratia ex illicita mutilatione, vel homicidio, Irregularitas est nota delicti: Ex licita verò mutilatione, vel homicidio in bello justo, vel judicio, irregularitas est nota defectus (*d*) lenitatis. Qualiter autem accidat, quod ex facto, seù defectu quis sit irregularis, facilè est plenius cognoscere ex dictis suprà in Titulo Qui promoveri non possunt.

a *Quia irregularitas habet originem à Jure Canonico. Vide gl. hic, & Vallens. in Tit. Dec. de sent. excom. §. 13. num. 1.*

b *Corporis, Animi, natalium.*

c *Ponuntur hic duo effectus irregularitatis: Cæterùm sunt & alij plures: quia privat à potestate eligendi activè, & passivè. Item reddit incapacem aliquem ad beneficia recipienda. Item à facultate percipiendi fructus beneficiorum; secundum tamen distinctionem Abb. & aliorum in cap. cum bonæ, de ætate, & qualit. &c. gl. hic.*

d *Ideò statuit Ecclesia, quod ex defectu lenitatis, quis esset irregularis, quia sacerdos gerit personam Christi, qui ut potè lenissimus, neminem unquam læsit.*

Ad §. Ultimum.

Episcopi tamen, aliique superiores Prælati nunquam ipso jure incurrunt Interdicti, vel suspensionis sententiam: Nisi de Episcopis (*a*) expressa mentio habeatur: Quod tamen non militat in sententia (*b*) excommunicbtionis, *cap. quia periculosum 4. & ibi gl. de sent. excomm. in sexto.*

a *Quorum appellatione veniunt etiam superiores, gl. penult. in d. cap. 4. de sent. excom. in 6.*

b *Veluti c. si quis suadente 17. q. 4.*

FINIS LIBRI QVARTI.

IN-

INDEX

Rerum, & Verborum notabilium.

A

Abbas qualis sit eligendus. pag. 123
Absolvere quem non debet Sacerdos à Casibus reservatis Papæ, vel Episcopo. In Articulo tamen mortis nulla est reseratio. 141
Absolvere non potest à Casibus Episcopo reservatis ille, quem quis sibi Confessorem elegerit cum licentia Episcopi. 142
Absolvi potest qui habuit propositum confitendi, licèt morbo oppressus non possit confiteri. 143
Actor si non venerit in Termino, ad quem Reum citari fecerit, venienti reo quid debeat prestare. 251
Adulterii pœna. 334
Affinitatis definitio. 164
Affinitas contrahitur secundũ Canones etiã ex illicito coitu. 164
Affinitas inter quo contrahatur. 165
Affinitas quando matrimonio impedimento sit. 164
Affinitas præcedens, non subsequens dirimit matrimonium. 166
Appellatio quid sit. 293
Appellatio alia judicialis, alia extrajudicialis. 294
Appellans ab interlocutoria, vel alio gravamine, quid facere debeat. 294
Appellans, licèt non habeat Apostolos, propriam appellationem prosequi potest in quibusdam casibus. 295
Appellans non potest alias causas prosequi, quàm expressas in appellatione sua. 297
In Appellatione à deffinitiva regulariter non est necessè causam inserere. 296
In appellatione non est de forma exprimere verbũ, Appello. 299
Non appellans propter Justum metum, ut habeatur pro appellante, quid facere debeat. Vide pag. 299

Si appellandum fuerit à pluribus judicibus, sufficit coram majori parte ipsorum appellare. 300
Appellari potest quandoque, non obstante prohibitione appellationis. 301
Si per rescriptum committantur plures Articuli connexi, & in uno removeatur appellatio, intelligitur remota etiã in alliis. 300
Appellationi in pluribus casibus non est deferendum Vide pag. 290
Appellatione à gravamine interposita, potest Judex, à quo, illud revocare, & in principali causa procedere. 297
Appellans ab interlocutoria potest petere, ut ad Judicem à quo provocavit, causa remittatur. 297
Appellans minùs rationabiliter, remittendus est ad Judicem, à quo, & in expensis alteri parti condemnandus. 296
Qui appellavit ab ordinario, potest coram eodem super alia Causa conveniri. vide pag. 298
Inovata post appellationẽ, quãdo revocari debeant. Vide pag. 299
Appellatio unius ex pluribus una sententia condemnatis, quando cæteris quoque suffragabitur. Vide pag. 300
Appellationi non præjudicat confirmatio sententiæ appellatione suspensę, facta Apostolico rescripto in forma communi. 303
Appellatio quando sit deserta. Vide pag. 301
Tempus indultum ad prosequendam appellationem, quando, & à quo possit breviari, vel prorogari. Vide pag. 302. & seq.
Appellationis remedio destitutis quomodo subveniatur. Vide 306
Apostatæ qui sint, & qua pęna puniantur. 204. & seq.
Arbitri propriè qui dicantur. 241
Arbitorum Tres sunt species. 241
Arbitri esse possunt omnes, qui specialiter non prohibentur. 242
Ubi etiam vide qui prohibeantur.
Arbitros eligere quinam prohibeantur. 242
Per Arbitros plereque causæ cognosci non possunt. 242
Arbitria, seù compromissa finiuntur pluribus modis. Vide 243
Archiepiscopi qui. 9
Archidiaconi dignitas, & officium 38. & seq.
Archidiaconus debet diaconus, & Archipresbyter, presbyter infrà annum fieri. 41
Archipresbyteri dignitas. 39

Archi-

Archipresbyteri Urbani officium. 40
Arshipresbyteri exteri potestas. 40

B

B*Aptismi definitio.* 130
De Baptismi substantia sunt quinque. 130
Baptismi solemnia. 134
Baptizandi cura ad solos Sacerdotes pertinet. Ex causa tamen necessitatis quilibet baptizare potest. 131
Baptizare se ipsum nemo potest. 132
Baptismus regulariter non debet conferri in privatis domibus. 134
Baptizati ab hæreticis; vel etiam à paganis, aùt aliis facinorosis in forma Ecclesiæ, iterum baptizari non debent. 131
Iterum scienter baptizati, vel baptizantis pæna. 134
Baptismus interdicti tempore conferri, & pro eo chrisma confici potest. 137
In Baptismo plena fit peccatorum remissio, 130. *& seq.*
Baptismus alius est fluminis, alius flaminis, alius sanguinis. 132
Baptizantur etiam Parvuli in fide parentum, & Ecclesia. 132
Si mater pregnans fuerit baptizata, filius posteà natus baptizandus est. 133
Muti, surdi, & egrotantes, qui pro se respondere non possunt, aliis pro se profitentibus baptizantur. 133
Dormientes, & amentes quando possint baptizari. 133
Qui non spontè, dum tamen non omninò coactus, baptizatur, suscipit characterem. 133
Baptizari debet is, de quo non est violenta præsumptio, quod sit baptizatus. 133
Beneficiorum Collationes præcedere debet examen. 63
Beneficia sine ulla diminutione debent conferri. 101
In Beneficiis, etiam vacaturis, potest Papa jus tribuere. 90
Beneficiorum pluralitas prohibita. Papa tamen super hac pluralitate dispensare potest. 92
Beneficium obtinenti quando providere possitis, cui potestas providendi concessa est. 99
Beneficiorum permutatio. 48. *&* 49

Bene-

Beneficia resignata ab infirmis. 95
In Beneficialibus contra contumacem proceditur etiam lite non contestata. 250
Bigamus quis. 73
Quasi bigamus. 74
Blasphemiæ pœna. 327

C

CAnonica portio quid sit. 203
Canonica portio Parochialis quæ sit, & quanta. 203
Canonica portio quando debeatur Ecclesiæ parochiali si quis cum bonis suis ad loca Religiosa se transtulit. 204
Canonica portio habentis duo domicilia, est dividenda. 204
Si quis, dimissa Ecclesia, in qua est sepulcrum majorum suorum, alibi sepulturam elegerit, dimissæ Canonica portio non debetur, sed parochiali. 204
Canonica portio ex quibusdam relictis non detrahitur. Vide 205
Minores, & Prædicatores de omnibus obventionibus indistinctè Canonicam portionem solvere teneutur. Vide pag. 205
Canonica portio Episcopalis, quæ sit, & quanta. 205
Eam prohibere non potest Testator. Ibidem.
Canonica portio debetur Ecclesiæ Chathedrali, de relictis Episcopo, quam tamen Testator prohibere potest. 206
Canonica portio non debetur Ecclesiæ Cathedrali de relicto simpliciter Episcopo à propinquo Episcopi. 206
Si Episcopo & cathedrali Ecclesiæ aliquid relinquatur, de eò inter ipsos quo modo divisio facienda sit. 207
Si quid legetur Episcopo & Ecclesiis inferioribus, adhuc Episcopus de illis, quæ Ecclesiis legantur, portionem canonicam detrahere potest. 207
De quibus relictis parochialis portio non detrahitur, nec Episcopalis detrahenda erit. 208
Censuræ Ecclesiasticę tres sunt species. Et quis sit effectus, seù finis censurarum. 343
Citatio legitimè facta est fundamentum judicii. 244
Citatio pluribus in casibus est invalida. 245. & seq.
Citatio peremptoria. Vide pag. 247
Cita-

Citatus, qui ex legitimo impedimendo comparere non potuerit, eo cessante, debet se judici præsentare. 247
Census quid significet. 192
Census quibus temporibus, & quibus ex causis in Ecclesiis possit constitui. 192. & seq.
Censuales proprias Ecclesias facere non possunt simplices Sacerdotes. 193
Censum novum imponere non potest Episcopus Ecclesiis, neque veque veterem augere. 193
Clerici qui, & unde dicti, & eorum divisio. 7. & 8
Clericalis habitus delatio. 36
Clericus an sit quis, nec ne, ab ecclesiastico Judice cognosci debet. 224
Clericus delinquens captus à laicis restituendus est Ecclesiasticæ Curiæ. 224
Clerici quomodo possint de laicis suis malefactoribus conqueri apud Judicem secularem. 71
Clerici coram judice laico conveniri non possunt, cui beneficio, neque cum juramento possunt renunciare. 223
Clerici qualiter in judicem non suum, si is persona sit Ecclesiastica, ocnsentire possint. 223
Clericus in minoribus ordinibus constitutus, ut fori privilegio gaudeat, quæ requirantur. 223
Quando inter Clericum, & laicum est contentio: Actor sequitur forum Rei. valeat tamen consuetudo, quod laicus conveniatur coram judice Ecclesiastico, sed non è contra. 223
Clericus, an, & quando possit esse advocatus. 236. *in fine,* & 237
Clerici possunt de bonis Ecclesiasticis mobilibus aliqua pauperibus, & Religiosis locis eleemosina iniuitu relinquere. 218
Si Clericus de suo proprio tantum Ecclesiæ contulerit quantum de ecclesiasticis bonis legaverit, legatum sustinebitur. 218
Clerici possunt testari de his, quæ non intuitu Ecclesiæ ad eos pervenerint. Vide pag. 219
Clericis decedentibus sine Testamento, & sine successione, quis succedere debeat. Vide pag. 219
Coadiutor Episcopi. 44. & 45
Coadiutor inferiorum. 46
Cognatio matrimonio interdum impedimento est. Est autem Cogna-

gna-

gnatio triplex, Spiritualis, Legalis, & Naturalis. De impedimento Spiritualis cognationis vide pag. 162. *& seq.*
De impedimento Legalis Cognationis vide pag. 164.
De impedimento naturalis cognationis vide pag. 164. *& seq.*
Collatio quid sit. 78
Collatio spectat ad ordinarium, ad Legatum Sedis Apostolicæ, aût ad Summum Pontificem. 79
Differentia inter Episcopum, Legatum de Latere, ac Summum Pontificem circa collationis potestatem. 90
De Collatione ejusdem beneficii facta eodem die à Papa, aût à Legato de Latere, & ab ordinario, vide pag. 92.
Collatio facienda est infrà sex menses. Quod tempus non currit legitimè impeditis, & à die notitiæ, non à tempore vacationis debet computari. 82
Quid dicendum si post lapsum sex mensium fiat collatio? Vide. 83
Collatio facta uni, non potest fieri alteri ante dissensum primi. 86
Collator ordinarius quis. 79
De Conferendi potestate, quam Episcopus, & capitulum habent communiter, vel disiunctim. 79. *& seq.*
De collatione spectante ad solum Episcopum cum consilio capituli, vel assensu. 80
De collatione spectante ad aliquem cum consilio Episcopi, vel consensu. 80
Capitulum Sede vacante non potest conferre beneficia ad Episcopi collationem spectantia: Potest tamen præsentatos à patronis admittere. 111
Quas Collationes copitulum focere possit Sede vacante: 83
De Collatione spectante ad Regulares Prælatos. 81
De Collatione competente ex legationis munere. Vide pag. 83 *cum duab. seq.*
De Collatione, quæ mandatur fieri per Rescriptum Apostolicum, aût purè, aût adiecta die, aût sub cõditione. Vide pag. 87. *&* 88
Differentiæ inter collationem faciendam motu proprio Papæ, vel ad alterius petitionem. 88. *& seq.*
Mandatum Papæ de providendo de vacatura prębenda. 91
Gratia de providendo concessa alicui, quando per obitum concedentis expiret. 100

Man-

Mandatarius ad providendũ, quando possit alteri mandare. 101
De compromisso vide suprà, in verbo, Arbitri.
Concilia universalia. 4
Provincialia. 5
Episcopalia. 5
Confessio quid sit. 140
Confessio facta laico, aùt etiam Clerico non Sacerdoti, etiam in necessitate, non est sacramentalis. 141
Confessio non debet ullo modo revaleri. 141
Confessio per errorem facti emanata, & statim revocata, non præjudicat confitenti. 276
Confessus crimina coram Inquisitore, non potest confessionem suam eo prætextu impugnare, quod non esset diffamatus. 309
Confirmari debent fideles ab Episcopis post baptismum. 135.
Ad Confirmationem quænam sit legitima ætas. 135.& seq.
Confirmatio iterari non potest. 137
Confirmatio interdicti tempore conferri, & pro ea chrisma confici potest. 137
Confirmatio possessionis facta Apostolico rescripto quid operetur. pag. 303
Conjugem repetenti obstat fornicationis exceptio. 177
Item exceptio consanguinitatis. Vide pag. 176
Consanguinitatis definitio. 164
Consanguinitas contrahitur secundum canones etiam ex illicito coitu. 164.in fin.
Testes super consanguinitate quot, & quales debeant esse, & qualiter jurare. 169
Consecratio Episcopi facienda est intra Tres menses post electionem præmisso examine. 29
Consecrationi Episcopi qui interesse debeant. 30
Consecratio quomodo expedienda. 30
Constitutio Ecclesiastica, vel Civilis. 3.& seq.
Consuetudo. 3
Contumacia quid sit. 247
Contumacia variæ punitur. Vide pag. 248.& seq.
Contumace Reo, quid fieri soleat. 148
Contra contumacem interdum etiam in prophanis potest per Judicem

cem deveniri ad definitivam sententiam. 250
Corepiscoporũ usus sublatus. 47

D

Damnum inferens debet damnum passo satisfacere. 341
Si damnum datum sit ab animalibus, quando, & quomodo teneatur dominus. 342
Decima quid sit. 208
Decimarum aliæ sunt personales, aliæ prædiales. 209
Decimæ persolvi debent de omnibus proventibus. 210
Census, & Tributa de fructibus, de quibus decimæ solvendæ sunt, non deducantur. 210
Decimas solvere omnes debent, nisi quis speciali privilegio ab ipsarum præstatione doceatur exemptus. 210
Monachi, Regulares, seu Clerici communiter viventes, ad quas decimas persolvendas teneantur. Vide pag. 210
Si per privilegia super decimis non solvendis parochiales Ecclesias ultra modum gravari contingat. Ordinarius quomodo provideri debeat. 211
Privilegiati super decimis non solvendis, solitas decimas de conductis prædiis solvere tenentur. 211
Privilegia super decimis non solvendis solus Papa concedere potest. 212
Privilegiati super laboribus propriis, decimas de locatis prædiis solvere tenentur. 211
Solus Papa potest laicum reddere capacem decimarum. 212
Decimarum proventus possunt locari, dumodo locatio non sapiat alienationem. 212
Decimarum proventus, & primitiarum præscribi non possunt. 217
Decimarum quarta debetur Episcopo à Rectoribus Ecclesiarum, nisi legitima obstet præscriptio. 212
Decreta Pontificum Romanorum. 6
Decretum irritans. 87
Degradatio quid. 54. *in fine.*
Degradatio Verbalis. 55
Actualis. 56
Degradare quis possit 55. *& seq.*

Degra-

Degradatus traditur Curiæ sæculari. 56
Delegare possunt principes, & alii ordinari. 225
Delegatus à Principe potest subdelegare, sed delegatus ordinarii subdelegare non potest. 225
Delegatus à Papa non potest subdelegare, nisi certis personis. 226
Delegatus Principis potest propriam sententiam exequi, quod in cæterum delegatis non obtinet. 226
Delegatus à Principe potest executionem propriæ sententiæ ordinario demandare, vel eam per se intra annum exequi. 292.
Delegari possunt etiam plures. Et quando plures sunt delegati, quomodo procedere debeant. 227
Delegatus debet in Citatione inserere tenorem suæ commissionis, & designare Auditorium. Secus est in ordinario. 246
Delegatus debet diligenter servare fines mandati. 228
Delegata jurisdictio ad personas rescripto non expressas aliquando extenditur. 228
Delegatio solvitur pluribus modis. 229. cum duob. seq.
Delicta levia, quæ dicantur, & quæ gravia. 236
Delinquens captus, si asserat se clericum, an sit, nec ne, ab Ecclesiastico Judice congnosci debet. 224
Diaconi officium. 59
Ætas. 60
Dicta Sanctorum, vel interpretum. 6
Divortium quid. 170

E

Eclesiæ novæ construuntur ob incrementum populi. 180
Ob commoditatem plebium. 181
Certæ Universitatis intuitu. 181
In Pastoralis dignitatis Privilegium. 182
Construenti novam Ecclesiam potest nunciari novum opus. 183
Qui præter Episcopi consensum Ecclesiam construxit: Jacturam facit jurispatronatus. 183
Ecclesia legitimè extructa debet quãto poterit citius cõsecrari. 183
Quæ servari debeant in construenda, vel consecranda Ecclesia. pag. 182

Ecclesiæ, & Altaria à solo Episcopo consecrari possunt. 184

Ecclesiæ, & Altaria possunt consecrari quibuscunque diebus. 184

Ecclesia, in qua sepulta sunt corpora infidelium, evulsis inde corporibus, & dealbatis parietibus, & Tignis, consecrari potest. pag. 185

Ecclesia semel consecrata, vel Altare semel consecratum, non debet iterum consecrari. Si tamen de consecratione dubitetur, erunt consecranda. 183

Ecclesiæ consecratæ debent per singulos annos solemnitates dedicationum suarum celebrare. 185

Ecclesia polluta reconcilianda est. 184

Ecclesiæ reconciliari possunt per solum Episcopum, si post consecrationem polluantur. 184

Si Ecclesia non consecrata, sed tantùm benedicta, polluatur, poterit per simplicem Sacerdotem cum licentia Episcopi reconciliari. 185

Ecclesiarum Incendiarii, & Violatores quomodo puniantur. pag. 327. *& seq.*

Ecclesiæ reparatio ad quos pertineat. 185

Ecclesias plures baptismales Episcopus facere non potest in una terminatione. 180

Ecclesiæ proprio Episcopo debent omnimodam subjectionem tam locorum ratione, quàm personarum, & rerum. 192

Ecclesiæ omnes subsunt Episcopo in cujus diœcesi positæ sunt. 196

Si Ecclesia, ubi monachi habitant, habeat curam animarum, Capellanus ab Episcopo ad consilium monachorum est instituendus. pag. 196

Ecclesiam suam non potest quis gravare pro debitis alienis. 213

Electio quid sit. 12

Citatio ad Electionem. 12

Procurator ad eligendum. 13

Electio celebratur. 15

Per inspirationem. 15

Per scrutinium. 15

Per Compromissum. 17

Eligendi Jus ad quos pertineat. 17

Qui eligere non possint. 18. *& seq.*

Qui

Qui eligi possint. 20
In Electione Papæ multa sunt specialia. Vide pag. 14
Electi Consensus. 23
Electionis Confirmatio quid. 23
Intra quod Tempus petenda. 24
Electus nondum confirmatus, an, & quando possit administrare. pag. 25
Confirmatio facienda est cum causæ cognitione. 26
In Confirmatione facienda sunt citandi ii, quorum interesse potest. pag. 28
Inter duos Electos, quis præponendus. 27
Si unus sit postulatus, alius electus, quis præponendus. 27
Confirmari an possit electio illius, qui, abjurato schismate, ad unitatem Ecclesiæ rediit. 28
Confirmatione spirituale Conjugium inter Electum, & Ecclesiam contrahitur. 29
Confirmatus ea omnia nanciscitur, quæ jurisdictionis sunt. 29
Litteræ Confirmationis. 25
Emphiteusis contractus. Vide pag. 215
Episcopi qui, & unde dicti. 10
Episcopus debet esse sine crimine. 34
Ab improborum commerciis abstinere. 34
In corrigendo miscere debet severitatem cum lenitate. 34
Non debet perversos tolerare. 34
Orationi, & predicationi debet insistere. 34
Necessitatem patientibus subvenire. 35
Non debet res suas inter histriones, venatores, aut aucupes dispensare. 35
Debet Pauperes in hospicio recipere. 35
Debet sobrius esse, non vinolentus. 36
Non debet esse percussor, & ad vindictam facilis. 36
Nulla debet cupiditate violari. 36
Debet esse pudicus. 36
Debet honestum habitum suæ dignitati congruentem desere. 36
Debet esse ornatus omni genere virtutum. 37
Episcopus, qui semel ad monasticam vitam descendit, an & quando possit ad Episcopalem dignitatem resurgere. 52

Epi-

Episcopi auctoritas. 10
Episcopis reservata quædam. 58
Episcopus potest in quolibet loco suæ diœcesis non exempto per se vel per alium jus dicere. 227
Episcopus potest ob manifestam ac rationabilem causam charitativum subsidium à subditis postulare. 196
Eucharistiæ definitio. 143
Eucharistiæ sacramentum constat visibili forma, veritate corporis, & virtute spirituali. Vide pag. 145
Eucharistiæ Sacramentum unusquisque suscipere debet semel saltẽ singulis annis in Pasca. 143
Eucharistiam solus Sacerdos potest exhibere. Vel Diaconus, si urgeat necessitas. 144
Eucharistia, quando impenitenti sit deneganda, vel non. Vide pag. 145
Exceptio quid sit. 253
Exceptiones dilatoriæ. 254
Exceptiones Peremptoriæ. 257
Exceptiones Præjudiciales. 258
Exceptio Spolii. 258
Exceptio excommunicationis. 256
Exceptiones, quæ adversus productos Testes opponuntur. 259
Exceptionem opponens, quæ etiam adversus ipsum potest opponi, nihil agit. 260
Excipiens non intelligitur agentis intentionem confiteri. 260
Adversus exceptiones dantur Replicationes. 260
Excommunicatio quid sit. 343
Excommunicatio Minor, excammunicatio Major. ibid.
Excommunicatio Canonis, excommunicatio judicis. 344
Excommunicationem incurrit ipso jure, qui manus violentas iniecit in Clericos. vel Monachos &c. à qua non potest absolvi nisi à Rom. Pont. vel ejus de latere legato. 344
In eandem excommunicationem incidit ille, qui inferenti, vel auctor, vel fautor, vel adjutor fuit, aut factum prius suo nomine, ratum habuit. 345
Detinentes Clericos in publica, vel privata custodia, incurrunt excommunicationem latæ sententiæ, nisi tamen id faciant de man-

mandato suorum Prælatorum. Vide pag. 345

Si laicus ad jussionem Abbatis clericum, vel monachum verberet, tam Abbas, quàm ille, qui verberat, excommunicationem incurrunt: secus est si Abbas id per se ipsum faciat, vel per clericum, vel monachum. 346

Clericus sponte se subiiciens percutienti, excommunicationis sententia inodabitur simul cum ipso percutiente. Vide pag. 346

Tres casus, in quibus percutiens clericos excommunicationem non incurrit. Vide in pag. 347

Si occiderit quis clericos, qui contempto clericali habitu sceleribus sese immiscuerint, excommunicatus non erit. 347

Qui ratione officii, vel intuitu disciplinæ clericos percutiunt, non sunt excommunicati. 347

Ab hac excommunicatione Canonis potest quis ex causa ab Epi*scopo absolvi. Sed impedimento cessante, debet* Rom. *Pontif. adire, aliàs ipso jure in eandem sententiam recidet. Vide pag.* 348

Si levis injuria fuerit clericis irrogata, vel si is, qui intulit, impubes sit: poterit inferens per E*piscopum absolvi.* 349

Monachi, & alii Regulares sese invicem percutientes, sunt à proprio Abbate, vel ab E*piscopo absolvendi. Vide* 350

Moniales vel se invicem, vel etiam clericos percutientes, per Epi*scopum absolutionem consequentur.* 350

Absolutio ab excommnnicatione delegari potest. 351

E*xcommunicatus à delegato Papæ, etiam delegato mortuo, non potest ab* O*rdinario, vel ab alio absolvi, præterquàm in mortis articulo, vel de mandato Papæ.* 249. *& seq.*

Absolutus à Papa per surreptionem, remittendus est ab ordinario ad Sedem Apostolicam. 361

E*xcommuuicatus, cui Papa communicavit, non propterea censetur absolutus.* 362

Sede E*piscopali vacante, ab excommunicatione absolvit Capitulum, seù is, qui tunc temporis habet* E*piscopalem jurisdictionem.* 359

Absolutio ab excommunicatione peti non debet omisso medio, nisi in contrarium sit consuetudo. 358

Absolutio ab excõmunicatione ad cautelã peti potest. 358

Diffa-

Diffamatus de excommunione debet se purgare, vel ad cautelam absolutionem petere. 354
Pluribus excommunicationibus ligatus, non potest ab una tantùm absolvi. 361
Absolutus vi, vel metu, duplici excõmunicatione innodatur 361
E*xcommunicatus, si ante mortem ostenderit signa pænitentiæ, absolvitur etiam post mortem.* 354
Quando conditor Canonis absolutionem excommunicationis sibi specialiter non retinet, eo ipso relaxandi facultatem aliis concedere videtur. 355
J*udex aliquem excommunicans, in dubio censetur inferre majorem excommunicationem.* 352
E*xcommunicare potest is, cui per papam causa, etiam simpliciter, delegatur.* 351
E*xcommunicationis sententiam debent præcedere monitiones: & debet sententia ferri in scriptis, & causam excommunicationis continere.* 352
E*xcõmunicati non possunt esse in judicio nisi ad se defendendũ.* 237
E*xceptio excommunicationis.* 256
Superior cognoscens de excommunicatione, quomodo se gere debeat. Vide pag. 359. *cum seq.*
Communicans cum excommunicato, quando incurrant excommunicationem. Vide pag. 354
E*xcommunicato communicari non potest, etiam si* E*piscopus ante absolutionem ei communionem reddiderit.* 354
Plures casus, in quibus communicans cum excommunicato, excommunicationem non incurrit. Vide in pag. 356. *cum seq.*
E*xcommunicatis communicans coactus, non cadit in excommunicationem, secus si per metum sit inductus.* 358
Hodie quinam excommunicati vitandi sint Vide pag. 357
De extrema U*nctione. Vide pag.* 146. *& seq.*

F

F*Alsum quid.* 337
Falsarii literarum Apostolicarum, vel qui eis utuntur, quomodo puniantur. 337. *& seq.*

Feriis,

Feriis, an, & quando partes possint renunciare. 246
Filii nati ex matrimonio rato, & non legitimo, quod fuit ab Ecclesia postmodum comprobatum, & legitimi judicandi erunt, & heredes. 159
Filii nati ex matrimonio, cui obsistit publicæ honestatis justitia, non succedunt patri scienter contrahenti. Vide pag. 162
Filii nati ex clandestinis, & interdictis matrimoniis non sunt legitimi. Nati verò ex matrimonio contracto in facie Ecclesiæ, sunt legitimi, nisi uterque conjugum noverit impedimentum. pag. 167
Filius à patre expositus, vel si eidem fuerint alimenta denegata, liberatur à patria potestate. 340
Furti nomine omnis illicita usurpatio alienæ rei concluditur. 329
Fures, & cum furibus partientes quomodo puniantur. 329. *& seq.*
Furtum, vel furem indicare an quis teneatur. Vide pag. 330

H

HÆretici qui sint. 319
Hæreticorum pœna. 321. *& seq.*
Hæreticorum bona confiscantur etiam post mortem. 321
Hæretici Ecclesiastica sepultura carere debent. 322
Ab hæretico descendentes usque ad secundum gradum, ab hæretica usque ad primum ad beneficia Ecclesiastica sunt inhabiles. 322
In hæresim relapsi quomodo puniendi. Et quando quis dicatur Relapsus. 323
Suspecti de hæresi, nisi se purgaverint, quomodo puniendi. 324
Ad crimen hæresis vindicandum plura specia liter inducta. Vide pag. 324
Homicidium quid sit. 338
Homicidii per Assassinium commissi pœna. 338. *& seq.*
Ubi etiam vide pœnam homicidi, non per Assassinium, per industriam tamen, & insidias commissi.
Homicidium fortuitum non ponnitur, dummodò culpa casum non præcedat. 339
Ut Homicida punitur impediens conceptionem, vel Abortum procurans. 340

Hospitalia omnia subsunt Episcopo, in cujus sunt diœcesi. 197
Si talia loca sint exempta, possunt ordinarii auctoritate Apostolica, ea reformare, si reformatione opus sit. 198
Hujusmodi locorum Administratores ad quæ teneantur. 198
Hospitalia militarium ordinum, vel aliorum Religiosorum, suorum Ordinum Institutiones. & consuetudines obserare cogendi sunt. 199
In Hospitalibus circa celebrationẽ missarum, & sacramentorum exhibitionem, & circa jus habẽdi cemeterium, est servanda antiqua consuetudo. 199

I

IMmunitas Ecclesiastica quid sit. 188
Immunitas localis. 189. *& seq.*
Personalis. 190
Realis. 191
Immunitatis Ecclesiasticæ privilegio quidã nõ gaudẽt. Vide 190
Institutio quid sit. 102
Institutiones Collationibus in quibusdam similes, in quibusdam dissimiles. 110. *& seq.*
Injuria fit aùt re, aùt verbis, aùt scripto. Vide pag. 342
Injuriam passus potest pro jniuria agere criminaliter, vel civiliter. Vide pag. 341
Instrumenta possunt exhiberi in judicio usque ad conclusionem in causa. 283
Scriptura illa solùm in judicio fidem facit, quæ publica est, aùt authentico sigillo munita. 284
Exempla solemniter sumpta fidem faciunt. ibid.
Instrumenta redacta in publicam formam post mortem Tabellionis faciunt fidem. 284
Instrumentis non vitiatis, neque de falsitate suspectis creditur: omissio tamen unius literę, aùt ratio in loco non suspecto, non vitiat instrumentum. 284
Interdictum Ecclesiasticum quid sit. 362
Interdicta Ecclesiastica ipso jure inducuntur pluribus in casibus. Vide pag. 362. *& seq.*

Inter-

Interdictũ, quod Judicis sentẽtia inducitur, aliud est generale, aliud speciale. Et quæ sint servanda à judice, qui interdicit. 364
Interdicto Populo, Clerus interdictus non intelligitur, nec etiam è converso. 364
Interdicto Clero alicujus Ecclesiæ, non propter hoc intelliigtur Ecclesia interdicta, nec etiam è converso. 364
Interdicta Civitate propter delictum domini, vel Rectoris: Cives non sunt interdicti. 365
Interdici possunt Cives propter delictum domini, non tamen excommunicari. 365
Interdicto populo alicujus loci, singulares ex eo personæ intelliguntur interdictæ. 365
Interdicti sententia ferri non potest pro pecuniaria causa, sine speciali Sedis Apostolicæ licentia. 365
Interdicti tempore ad quæ admittatur quis. 365. & seq.
Interdicti tempore potest Chrisma die Cœnæ Domini confici. 366
Celebrans in loco suposito interdicto, irregularitatem incurrit. pag. 363
Interdicti tempore quæ denegentur. 366
Interdictum violantes, sententiæ excommunicationis subiiciuntur, à qua per Sedem duntaxat Apostolicam absolvi possunt. Nec aliquid eis proderit, quod appellasse contendant. 367
Interdicti, vel suspensionis sententiam, Episcopi, aliique Superiores Prælati, nunquam ipso jure incurrunt. 370
Irregularitas quid sit. 369
In quibus irregularitatibus, & suspensionibus Episcopi hodie possint dispensare. Vide pag. 369
Judex, qui contra conscientiam & justitiam corruptus judicat, variè punitur. 290
Judex Ordinarius. 224
Judex delegatus. 225
Judicium quid sit. 221
Judicii principium. 244
Judiciorum fundamentum sunt Citationes legitimè factæ. Et Citiones pluribus in casibus sunt invalidæ. Vide pag. 244. & seq.
Judicia sæcularia quæ, & quæ Ecclesiastica. 222
Judex Ecclesiasticus ex causa judicat inter laicos Vide pag. 222

Judiciorum Ecclesiasticorum quædam sunt ordinaria, quædam extraordinaria, sivè delegata. 224. & seq.
Judiciorum quædam sunt Summaria, quædam ordinaria, & solemnia. 232
In judicio esse potest principalis in causis beneficialibus, & aliis spiritualibus per se, vel per procuratorem, si major sit annis 14 non obstante patria potestate. 233. *Ubi etiam vide quomodo sit agendum, si sit minor annis 14.*
Judicium cum procuratore revocato ratum est si revocationem judex, & adversarius ignoraverunt. 238
Judicii acta per Notarium, vel per duos viros idoneos scribenda sunt. 244
Iudicia Criminalia nihil fermè simile habent cum Civilibus Iudiciis. Vide pag. 307
Iudicia Criminalia instituuntur. 308
Per accusationem. 308
Per Denunciationem. 308
Per Inquisitionem. 308
Juramentum calumniæ continet quinque capita. 271
Jurare de calumnia non coguntur clerici in causa propriæ Ecclesiæ inconsultis illorum Prælatis: secus in propriis causis. Vide. pag. 272
Jurant de calumnia Prælati, non tactis, sed tantùm propositis scripturis. 272
Juratur de Calumnia hodie etiam in causis spiritualibus. 272
Jurare de Calumnia tenentur etiam procuratores, & Syndici. 272
Juratur de calumnia etiam in causa appellationis. 273
Juramentum Calumniæ recusans præstare, si Actor sit, cadit ab actione, si Reus, habetur pro confesso. 271
Iuramenti de Calumnia tacita omissio non vitiat processum. 273
Iuramentum ad supplendas probationes potest Iudex deferre actori. 284
Juramentum est deferendum Reo, si pro eo præsumptiones fuerint: nisi judex aliter arbitrabitur. 284
Juramentum aliud necessarium aliud voluntarium. Vide 284
Juramentum quando possit parti deferenti referri, vel non. Vide pag. 284
Iura-

Iuramentum quando possit à parte remitti. 153
Jurisdictionem suam prælati concedere non possunt sub annuo censu. pag. 318
Jus Canonicum unde dictum, quid sit, ex & quibus constet. pag. 1. & 2. Circa quæ versatur. 7
Jus divinum. 2
Jus personarum. 7
Jus patronatus quid. 102
Jus patronatus constituitur Ecclesiæ ædificatione. 102
Dotatione. 102
Jus patronatus acquiritur.
Successione. 105
Donatione. 107
Ius patronatus non potest vendi: Transit tamen cum Universitate bonorum. 108
Ius patronatus tollitur puribus modis. Vide pag. 112

L

LAici qui, & unde dicti. 7
Laicus à laico debet conveniri coram judice sæculari, nisi causa sit hujusmodi, quæ ad Ecclesiasticū forum pertineat. 222
Legatorum Tres sunt species, & quam hi habeant conferendi potestatem. 83. cum duob. seq.
Legatorum de Latere Reservationes. 85
Libellus quid sit. 252
Libellorum alii Accusatorii, alii conventionales. 252
Libellus quæ debeat continere. 252
Libellus ineptus, vel obscurus non obligat ad respondendum. 252
Libelli oblatio in quibusdam Casibus non est necessaria. 253
Libello oblato, debent Reo dari dilationes ad liberandum. 253
Litis contestatio est fundamentum judicii. 268
Litis contestatio quomodo fiat. 268
Litis contestatio fit etiam per procuratorem, Tutorem, ac personas similes. 269
Litis contestatio est etiam necessaria ubi deficiente actione, officium judicis imploratur. 269

Litis

Litis contestatio non est necessaria ubicunque libellus non exigitur, aùt jus agendi contra certam personam non dirigitur. 271
Ex *Litis contestatione qui effectus sequantur.* 269
Lite non contestata, quandoque possunt testes récipi, aùt ad sententiam perveniri. 270
Lite pendente nihil debet innovari. Et *quando lis, quoad innovationem impediendam, pendere dicatur.* 274
Lite pendente aliquando fit innovatio. 274
Litis pendentia super matrimonio, non irritat secundum matrimonium ritè contractum si primum erat nullum. 275

M

M*Andati Apostolici, ut etiam cæterorum mandatorum, fines diligenter sunt custodiendi. pag.* 94
Mandatum Apostolicum ex causa potest executioni mandari etiam in alio loco ab expresso in mandato. 229
Mandatum generale, ex persona impetrantis recipit restrictionem. pag. 96
Mandati interpretatio sumitur ex ordine scripturæ. 97
Mandatum ut provideatur alicui de præbenda certi valoris. 94
Mandatum ut qrovideatur alicui de beneficio ad alicujus collationem spectante. 94. & 96
Mandatum ut quis ab aliquo beneficii, quod obtinet, resignatione recepta, idem beneficium alteri conferat. 94
Mandatum super conferendo beneficio proximè vacaturo. 95
Mandatum impetratum super obtinendis beneficiis usque ad certam summam. 95
Mandatum, ut alicui de beneficio provideatur in aliqua Ecclesiarũ Civitatis, vel diacesis, vel in aliqua Ecclesiarũ Provinciæ. 97
Mandatum, ut provideatur de beneficio ad aliquorum collationem, vel præsentationem spectante, intelligendum est conjunctim. pag. 98
Mandatum ut clerico provideatur de beneficio ob paupertatem. 98
Mandatum, ut provideatur de quibuscunque beneficiis, non cõprehendit beneficium Curatum, vel electivum. 99
Manifestus excessus quis dicatur. 360

Maritus, uxore in sæculo remanente, regulariter nec sacros ordines suscipere potest, nec religionem intrare. 174
De ingressu Religionis Viri, *vel* Uxoris. *Vide pag.* 174. *& seq.*
Maritus, etiam invita conjuge, potest vovere, & implere peregrinationem ad Terram *sanctam.* 175
Maritus, qui consanguineam uxoris suæ cognovit, non potest à coniuge debitum petere, uxori verò debitum reddere debebit. pag. 166
Matrimonii definitio. 147
Matrimonium quando fuerit institutum. 148
Matrimonii bona. 148
Matrimonium initiatur sponsione, consensu ratificatur, & copula consumatur. 148
Matrimonium consensu partium contrahitur. Et *etiam Verba, vel signa, consensum exprimentia, sunt necessaria.* Et *verba prolata in contrahendo matrimonio sunt accipienda secundum communem intelligentiam.* 155
Matrimonium contrahentes debent esse puberes, & qui puberes sint. pag. 155
Impuberum tamen conjunctio, si urgentissima necessitas interveniat, est toleranda cum dispensatione tamen. *ibid.*
Matrimonium contractum inter puberem, & impuberem, vel inter duos impuberes, quam habeat vim. 149. *in fin. &* 150
Matrimonium contrahere possunt servi, etiam invitis dominis. pag. 156
Matrimonium contractum ab eo, qui proprium fuit mentius nomen, an valeat. 156
Matrimonium contractum per procuratorem revocatū non tenet, licèt revocatio non venerit ad notitiam partium. 238
Matrimonium impedit error personæ, & conditionis: Non autem qualitatis, & fortunæ. 156
Matrimonium impedit conditio apposita, & non impleta. 157
Matrimonii impedimentum ex causa voti vide pag. 157
Matrimonium, & contrahendum impedit, & contractum interdum dirimit cultus disparitas. Vide. pag. 158. *& seq.*
Matrimonium non solvitur altero conjugum fidelium in hæresim lapso. pag. 158

Matri-

Matrimonium aliud est legitimum, & non Ratum: aliud legitimum & Ratum: aliud Ratum, & non legitimum. 159
Matrimonium impediunt coactio, & justus violentiæ metus. Vide pag. 160
Matrimonium contrahendum impedit furor. 160
Matrimonium contrahendum impedit, & contractum irritat impotentia ad actum matrimonii. 160. & 172
Matrimonium non impedit infirmitas quantuncunque gravis. 161
Matrimonium contrahendum impedit, & contractum irritat Publicæ honestatis justitia. Vide pag. 161
Matrimonio interdum impedimentum est cognatio. Vide suprà in verbo cognatio.
Matrimonio interdum impendimento est affinitas. Vide suprà in Verbo, Affinitas.
Matrimoniū prohibetur contrahi clandestinè. Vide pag. 166. & seq.
Machinatio in mortem conjugis, an, & quando impediat, & dirimat matrimonium. Vide pag. 178
Matrimonium, an, & quando valeat cum ea, quam quis uxore vivente cognovit, vel cui fidem dedit. 177
Matrimtnium solvitur, si alter conjugum, non secuta copula, religionem ingrediatur. 170
Matrimonium, etiam non consumatum, non solvitur per sacri ordinis susceptionem. 171
Matrimonium contractum intra quartum gradum ab infidelibus, si posteà conversi fuerint, non est dirimendum. 165
Matrimonium quando dirimatur, si unus conjugum infidelium convertatur ad fidem. 158. & 172
Matrimonio manente, separatio inter coninges quoad thorum, seù quoad cohabitationem fit pluribus in casibus. 173
Facta separatione thori inter conjuges ob fornicationem carnalem, vel spiritualem, an, & quando cogatur conjux fornicatum resumere. Vide pag. 173
Matrimonium contractum accusare quinam possint, & quinam prohibeantur. 168
Ad Matrimonium accusandum qui admittantur. 169
Matrimonii impedimento legitimè probato, contra probationem partibus publicatam, an probatio admittatur. Vide 170

Judicium Petitorium, vel Possessorium in causa matrimonii. Et quaenam sit differentia inter haec judicia. Vide pag. 176
Medici, qui infirmos ad paenitentiam non inducunt, sunt ab ingressu Ecclesiae arcendi. 142
Missa est celebranda in Ecclesia, & ad divinum tantùm cultum dedicatis oratoriis, nisi ex speciali privilegio, vel ex causa necessitatis. 180
Monachus quando quis efficiatur ex paterna devotione vide p. 116
Impuberes à patre monasterio oblati, post pubertatem possunt reddire ad saeculum. 116
Si impubes, praeter parentum voluntatem, monasterium fuerit ingressus, possunt parentes intra annum reclamare, secus si sit pubes. 117
Monachus quis efficitur propria professione expressa, vel tacita. Et quae requirantur ad validitatem professionis. 117. & seq.
Monachus semel factus cogitur remanere in monasterio, & servare Castitatem, Paupertatem, & Obedientiam. 121
Monachus potest solùm transire in arctiorem Religionem. 122
Mendicantes vero possunt solùm transire in Ordinem Cartusiesium. pag. 122
Monachos fugitivos debent Abbates sollicitè perquirere. 122
Monachi non possunt praeesse parochialibus ecclesiis, quod Regularibus cum minori difficultate permittitur. 123
Monitio Canonica quae sit. 355. & seq.
Mortem sibi voluntariè inferentes carere debent Ecclesiastica sepultura. 341
Motu proprio qaando gratia fieri censeatur. 89
Mutua petitio quid. 260 Vide infrà in verbo, Reconventio.

N

NOtarius, vel Minister non debet aliquid recipere in ordinatione. Vide pag. 314
Notorium quid sit. 285
Nuptiae secundae absque timore infamiae intra annum luctus possunt celebrari secundum sacros Canones. 178
Nuptiae secundae, an, & quo Casu sint benedicendae. 178

O

ORdinis definitio. 147
Ordines majores Vide pag. 57. *cum seq.*
Ordines minores. 60. & 61
In minoribus ordinibus constituti matrimonium contrahere possunt, non autem constituti in majoribus. 62
Ordinum majorum, & minorum communia. 62. & *seq.*
Ordines majores à solis Episcopis, *minores verò etiam ab aliis quandoque conferuntur.* 67
Episcopus, *qui renunciavit loco tantùm, vel loco & dignitati, quos ordines possit conferre.* 67
Ordinandi licentiam quis dare possit, Episcopo in remotis agente, vel Sede vacante. Vide pag. 68
Ordinari ut possit Ultramontanus *ab* Episcopo *Italiæ, quæ requirantur.* 69
Ordinans aliquem sine certo Titulo, ei inopi vitæ necessaria subministrare debet. 77
Ordinandi, ante ordinationem, sunt instruendi. 62
Ordinationem præcedere debet Scrutinium. Et quid sit hoc Scrutinium. vide pag. 62.
Ordinationum Tempora. 64
Ordines duo Sacri non possunt conferri eidem uno die, vel duobus continuato jejunio. 64
Ordines minores an possint omnes unica die conferri Vide pag. 65.
De ordinato per saltum, vel furtivè. Vide pag. 65
De non ordinato ministrante. Vide. pag. 66
De ordinato non baptizato. Vide pag. 66
Ordinari prohibentur Servi, & qui retento obsequio manumissi sunt. pag. 68
Ordinari prohibentur Monachi, nisi de sui Abbatis licentia. 68
Ordinari non potest quis ab extraneo Episcopo, *sine licentia proprii Superioris. Vide pag.* 68. & 69.
Ordinari quis prohibetur Patrati delicti ratione, veluti, homicidii non necessarii. Quod si homicidium fuerit fortuitum, distinguendum est, ut in pag. 70. & *seq.*

Ordi-

Ordinari prohibentur publicè, ac solemniter pœnitentes. 72
Item illi, qui negotiis, & officiis sæcularibus serviunt. Vide p. 72
Usurarii. 72
Simoniaci, Seditiosi, & injuriarum suarum pertinaces ultores. pag. 72
Fur ut possit ordinari, quæ requirantur. Vide pag. 72
Ordinari non debet regulariter, in egritudine baptizatus. 72
Ordinari non debet Rebaptizatus scienter. 72
Ordinari, an, & quando possint filii præsbyterorum. 73
Ordinari non possunt Bigamus, & qui viduam, vel ejectam meretricem, vel ancillam uxorem duxit. 73
Ordinari, an, & quando impediatur quis propter corporis vitium. Vide pag. 75. & 76
Ordinari non potest furore, aùt aliter vexatus, aùt qui in scæna luserit. 76
Ordinarii administrationem habentes, vel non habentes qui sint pag. 305

P

PActum quid sit, & quomodo à Transactione distinguatur, pag. 240
Pacta regulariter sunr observanda, & ex eis, licèt nuda sint, etiam actio de jure Canonico oritur. 240
Pactum, per quod filia dotata, cum juramento renunciat hereditati paternæ, jure Canonico est observandum. 240
Ubi etiam vide de renunciatione facta ab ea, quæ est ingressura monasterinm.
Pactum, quod tendit in animæ detrimentum, non est servandum pag. 240. *in fine.*
Pallium, quid, & quibus competat. 31
Ejus forma. 32
A quibus conferatur. 32
Quando, & quo loco liceat uti Pallio. 33
Commodari non potest 33
Patriarchæ. Vide pag. 8. & 9
De Patrinis, qui debent intervenire in baptismo, confirmatione,

vel Cathechismo. Vide pag. 136
Patronus Ecclesiasticus *habet ad præsentandum menses sex, laicus verò quatuor. Quod si* Ecclesia, *& patronus laicus habent simul præsentare, habebunt sex menses.* 103. *Ubi etiam vide quis dicatur patronus laicus, & quis* Ecclesiasticus.
Patronus Ecclesiasticus, *facta semel præsentatione, variare non potest, laicus verò potest.* 103
Patrono Ecclesiastico *redditur ratio proventuum patronatæ Ecclesiæ: non tamen laico. Potest tamen laicus patronus deferre ad competentem Superiorem clericos dilapidantes bona Ecclesiæ. pag.* 105
Legatus *de* Latere *potest conferre beneficium in præjudicium* Ecclesiastici *patroni, non autem in præjudicium laici patroni. pag.* 104
Patronus potest plures præsentare, ut unus ab Episcopo *eligatur. pag.* 107
Episcopus, *qui malitiosè instituit secundo loco præsentatum, tenetur providere primo præsentato.* 104
Patronus se ipsum præsentare non potest: Potest tamen præsentare compatronum. 109. *& seq.*
Patronus præsentans indignum, an sit privandus potestate præsentandi. 107
Patroni si non sint concordes, attenditur maior pars, & sanior. pag. 106
Si Ecclesia *ob patronorum discordiam careat administratore, quid facere debeat* Episcopus 106.
Patroni possunt convenire de præsentando alternis vicibus. 107
Plures succedentes uni ex patronis, habent vocem unius duntaxat: secus si unus succedat pluribus. 105
Heres patroni institutos mutare non potest. 105
Institutus ad præsentationem illius, qui jurispatronatus bonæ fidei possessor erat, non est removendus, si constiterit posteà, quod alius sit patronus. 109
Patronus non potest quem propria auctoritate instituere sub pæna excommunicationis. 109
Patrono debetur honor processionis, & necessarium vitæ subsidium. pag. 111
Percu-

Percutiens aliquem in pugna, vel rixa, quid ei præstare debeat. Vide pag. 339
Pœna Talionis hodie passim à foro recessit Vid pag. 308
Pœnitentię definitio. 137
Pęnitentia solemnis. 137
Publica. 138
Privata. 138. *in fine.*
Pęnitentia solemnis semel tantùm in Ecclesia conceditur, & pęnitentes ad ordines inhabiles reddit. 137
Pœnitentiæ sacramentum constat contritione, confessione, & satisfactione. pag. 139
Confiteri debet omnis utriusque sexus fidelis semel in anno, & Eucharistiam sumere. 139
Satisfactionis opera præcipua. 142
Pænitentiæ, & Eucharistiæ sacramentum, etiam ultore gladio morituris, est concedendum. 143
Pœnitentiæ sacramenti minister est solus Sacerdos. 141
Positiones, quæ sint. 275
Positionibus factis, respondere jussus à Judice, si recusaverit respondere, habebitur pro confesso. 276
In possessionem mitti solet actor contumace Reo. De hac missione in possessionem Vide pag. 248. *cum plurib. seq.*
Missionem passus à delegato Papæ, si delegatus moriatur, quid facere debeat ut possessionem recuperare possit. 250
Missio in Possessionē ob partis adversæ contumaciam non habet locum in beneficialibus. 250
Postulatio quid. 22
Postulare, vel postulari qui possint. Vide pag. 22
Præcaria coatractus. Vide pag. 214
Præcepta moralia, & mistica. 2
Pręebenda quid. 77
In Præbendarum assecutione debent recepti Auctoritate Apostolica anteferri cæteris, etiam anteà admissis, inferiorum auctoritate. pag. 93
Præbendæ non debent dividi. 101
Præsbyterorum potestas, & auctoritas. 57. *& seq.*
Ætas. 60

Prin-

Princeps potest rem suam majorem, vel æqualem cum re Ecclesiastica permutare. Vide pag. 216
Privilegia ita sunt accipienda ut nemini læsionem præcipuè enormem inferre debeant. 211
Probatio quid sit. 275
Probatio fit Confessione partium. 275
Depositione Testium. 277
Instrumentum productione. 283
Jusiurandi religione. 284
Judicis inspectione. Vide pag. 285
Notorietate rei. Vide pag. 285
Suspicione vehementi. Vide pag. 286
Fama, cæteris præsumptionibus non leve præstat adminiculum. pag. 286
Processum factum Reo sciente, nec reclamante, non vitiat inquisitio infamiæ omissa. 309
Procuratio quid sit. 194
Procuratio debetur Prælatis diœcesim visitantibus. 194
Procurationem remittere non censetur Episcopus remittens alicui Ecclesiæ omnia servitia. 194
Adversus Procurationem nulla currit præscriptio. 194
Procuratio exigi non potest propter privatum oratorium. 196
Procurator quis. 232. *in fine.*
Procaratorum alii dantur ad judicia, alii ad negotia extra judicium explicanda. 233
Procurator constitui potest major annis 17. ad negotia, ad judicia verò solùm major annis 25. Et hoc Jure Canonico. 233
Procurator ad negotia potest alium substituere quandocunque. pag. 235
Procurator ad judicia quando possit alium substituere. 235
Procurator in Criminalibus causis non admittitur. 236
Procurator quandoque admittitur licèt de crimine tractetur. 236
Procurator Universitatis, an, & quando possit à judicio repelli ex eo, quod majores ejusdem Universitatis sunt excommunicati. pag. 237
Procurator constitui potest tam paterfamilias, quàm filiusfamilias, etiam sine patris consensu. 233

Pro-

Procurator esse potest quilibet regulariter, nisi specialiter sit prohibitus. 234
Exempla eorum qui prohibentur. Vide pag. 236
Procuratores etiam plures constitui possunt in una causa, vel in solidum, vel non in solidum. Qua de re Vide pag. 234
Procurator debet fines mandati diligenter custodire. 235
Procurator, ut possit explicare ea, quæ exigunt speciale mandatum, quomodo sit constituendus. 235
Procurator revocari potest, non solùm expressè, sed etiam tacitè. Vide pag. 237
Procurator, qui alium substituit, non potest substitutum revocare, nisi ultra potestatem substituendi, etiã potestas revocandi fuerit eidem concessa. 238
Procurator, qui refutaverit mandatum suscipere, illud nihilominus acceptare poterit. 239
Procurator esse desinit quis morte constituentis. 239
Professio in quacunque Religione fieri non potest ante annum decimum sextum, neque ante annum probationis. 117
Professio alia expressa, alia tacita. Et quæ requirantur ad validitatem professionis. 117. *cum seq.*
Professionis Tacitæ Idoneæ conjecturæ. 118
Professionis expressæ, & Tacitæ differentia. 119
Purgatio quid sit. 310
Purgatio Vulgaris. 310
Purgatio Canonica. 310
In Purgatione Canonica deficiens quomodo puniendus. 311
Purgatio super notorio, nulli erit indicenda. 311

R

R*Aptoris pœna.* 336. *& seq.*
Raptor cum rapta, an, & quando possit contrahere matrimonium. Vide pag. 336
Receptus auctoritate Apostolica quis dicatur. 93. *& seq.*
Reconventio statim post conventionem coram eodem Judice facienda est. 261
Reconvenire potest Reus Actorem non solùm coram Ordinario, sed

etiam

etiam coram delegato. 262
Actoris & Rei reconvenientis aequa debet esse conditio. 262
Reconventio locum non habet coram Arbitris. Vide pag. 262
Reus conventus coram Judice laico, non potest reconvenire Actorem super causa spirituali. 263
Reconvenire non potest excommunicatus. Vide pag. 262
Reconventio cessat in causis criminalibus, & in causa depositi. 263
Regulares, & Monachi in quo conveniant, & in quo differant. pag. 115. *& seq.*
Religionis ingressus non vitiatur ex eo, quod quis ad ingrediendum ex falsa causa fuerit inductus. 170
Religionem novam invenire quis non debet sine auctoritate Romani Pontificis. 124
Qui Religiosam domum vult fundare de novo, assumere debet Regulam, & institutionem de approbatis. 124
Renunciatio quid sit. 50
Renunciandi causae. 50. *& seq.*
Renunciatio apud quem fieri debeat. 53
Renunciari potest per procuratorem. 54
Renunciare compellitur, qui cedendi licentiam impetravit. 54
Renunciare potest Romanus Pontifex Pontificatui. 53
Renunciatio illius, qui Religionem ingreditur, ut valeat, quomodo, & quando facienda. 120
Res Ecclesiasticae, aùt Spirituales sunt, aùt Temporales. 125
Res spirituales, aùt sunt Incorporales aùt corporales. 126
Res Sacrae, Sanctae, & Religiosae. 179
Rerum Ecclesiasticarum locatio ultra triennium prohibetur. 212
Rerum Ecclesiasticarum alienatio, vel suppositio regulariter prohibita est, & quando permittitur, qua forma fieri debeat. 213
Res Ecclesiae donandi, aùt aliter alienandi, in quibusdam casibus Praelatis Iure licentia conceditur: 213. *& seq.*
De Ecclesiarum possessionibus possunt fieri Precariae. Vide 214
Ruinae, & inculta praedia Ecclesiae possunt concedi in Emphiteusim. pag. 215
Terrulas incommodas, & Ecclesiae minus utiles, potest Praelatus alienare. 215
Infeudare potest Praelatus res solitas in feudum concedi, 216

Epi-

Episcopus potest permutare Terras duarum Ecclesiarum suæ diœcesis, illarum accedente consensu. Non tamen fieri potest permutatio de temporalibus ad spiritualia. 217
Res Ecclesiæ possunt præscribi, atque ità alienari. 217
Res Ecclesiasticas intelligimus etiam eas, quas Sacerdos emerit, cùm tempore suæ promotionis nihil haberet. 217
Relictum Sacerdoti pro anima intuitu Ecclesiæ, eidem Ecclesiæ acquiritur. 218
Generaliter bona quælibet ob Ecclesiam acquisita Sacerdotibus, debent apud eandem remanere. Et quid veniat nomine Ecclesiæ. pag. 218
Res Judicata, quæ dicatur. 286
Inter rem Judicatam, & sententiam transire in rem judicatam quænam sit differentia. 287
Residere in Ecclesia debent clerici regulariter. 113
Non residens sine causa, post monitionem privandus erit. Vide pag. 113. & seq.
Quæ sint justa causæ non residendi. 114. & seq.
Restitutio in integrum quid sit. 304
Restituuntur in integrum minor, & Ecclesia adversus sententiam, etiam latam à Sede Apostolica. 304
Restituitur in integrum Ecclesia adversus quamlibet læsionem, etiam adversus aliam Ecclesiam. 304
Restitutio in integrum intra quæ Tempora concedatur. Vide. 304
Restitutio in integrum semel denegata, non conceditur amplius, nisi ex nova causa. 304
Causæ Restitutionum in integrum coram quo possint tractari, & terminari. 305

S

Sacerdos non debet amplius, quàm semel in die celebrare, nisi in die Nativitatis Domini, aùt in casu urgentis necessitatis. pag. 144
Sacerdotes existentes in peccato mortali, quoad se ipsos sunt suspensi, non quoad alios. 144
Sacerdos majori excommunicatione ligatus celebrando divina ef-

 ficitur

ficitur irregularis. pag. 145
Sacramentum quid sit. 127
Sacramenta, aùt sunt necessaria, aùt voluntaria. 127
Sacramentorum necessariorum quædam ad ingressum Ecclesiæ sunt comparata, quædam ad progressum in Ecclesia, quædam ad egressum ab Ecclesia. 127
Sacramentorum quædam characterem imprimunt, quæ iterari non possunt, quædam non imprimunt, quæ iterari minimè prohibentur. 127
Sacramenta constant elemento, & verbo. 128
Sacramenta non fuerunt ab Ecclesia, sed ab ipso Christo instituta. pag. 128
Sacramenta conficiunt, & ministrant etiam mali ministri. 129
Sacrilegii pœna. 327
Sacrilegium committitur ratione rerum, vel personarum. 328
Schismatici qui, & quomodo puniantur. 319. *& seq.*
Sententia quid sit. 287
Sententia interlocutoria. 287
Sententia definitiva. 287
Sententia definitiva ab interlocutoria quomodo differat. 288
Sententia quomodo ferri debeat sivè ab vno, sivè a pluribus. 288
Sententia quænam teneat, si duo Judices diversas ferant sententias. pag. 289
Sententia nulla est, si unus tantùm ex pluribus judicibus datis pronunciaverit. 289
Sententia contra leges, aùt Conones est ipso jure nulla. 289
Sententia contra Jus Constitutionis est ipso jure nulla: sed contra jus litigatoris, jure tenet, & per appellationem est retractanda. Vide pag. 289
*Sententia, nisi per appellationem intra decem dies suspensa fuerit, transit regulariter in auctoritatem rei Judicatæ. Vide p.*290
Sententia, præter eos, inter quos dicta fuerit, regulariter neminem lædit. Vide pag. 291
Sententia lata, à qua non fuerit appellatum, quando possit executioni mandari. Vide pag. 291. *& seq.*
Sententiæ executio differtur, si in integrum restitutio petita fuerit. pag. 293

Sepulturam unusquisque sibi potest eligere, vel antiquam mutare. pag. 199

Iuramentum, vel votum de sepultura eligenda, vel non immutanda, quid operetur. 201

Sepulturam sibi eligere non possunt religiosi. 200

Sepulturam sibi potest uxor eligere, quod si non eligat, in sepultura ultimi viri tumulanda erit. 199

Sepulturam sibi elgere potest filius familias, nisi sit impubes, quo casu poterit pater illum sepelire ubi voluerit. 200

Sepulturam non eligens, sepeliendus est in Parochiali Ecclesia, aùt in sepulcro majorum suorum. 199

Mortuus ruri, si absque periculo inde valeat exportari, in sua Parochia, vel in majorum suorum sepultura sepeliendus erit. pag. 201

Sepulturæ Ecclesiasticæ qui tradi non possint. 201

Sepulta corpora contra juris prohibitionem, si ab aliis corporibus discerni poterunt, exhumari debent. 201

Sepelientes in Ecclesia, vel cœmeterio personas sepelliri prohibitas excommunicationem incurrunt. 201

Sepultura Ecclesiastica non privantur oppressi improviso casu, si nihil aliud obsistat. 202

Pro Sepultura, an, & quando possit aliquid exigi. Vide pag. 203. & 314

Simonia quid sit, & unde dicta. 312

Simonia Conventionalis. 312

Simonia Mentalis. 312. *in fin.*

Simoniæ capita quædam. Vide pag. 314. *& seq.*

Simonia contrahitur receptione cujuscunque muneris. 313

Simoniam non inducit spontè oblatum. Vide pag. 317

Simoniam non inducit datum gratia redimendæ molestiæ indebitè illatæ super jure quæsito. 318

Simonia committitur etiam in electione. Vide pag. 315

Cùm Simoniacè electo, vel proviso de beneficio, An Episcopus dispensare possit. 315

Simoniacam electionem non facit datum in dispendium eligendi. pag. 315

Simoniacè ordinantis, vel ordinati, aùt mediatoris pæna. 316

Simoniacus in ordine, nec quoad se, nec quoad alios potest missam celebrare. 317
Simoniacè beneficium consecutus quomodo puniatur. 316
Simoniacum accusare quilibet potest. 317
Sortilegi qui sint, à quo Judice puniendi, & qua pœna. 325. *& seq.*
Spoliatus quis intelligatur. 264
Spolii exceptio. 258
Spoliatus petens restitutionem, non potest reconveniri, nisi de alia spoliatione. 264
Spoliatus potest, suspenso petitorio, ante conclusionem in causa, intentare possessorium. 267
Spolii quæstio proposita per modum reconventionis, vel per modum exceptionis quid operetur in Civilibus, vel criminalibus. pag. 264. *& seq.*
Spoliatus renuncians, non obstante renunciatione, restituendus erit. pag. 266
Spoliator tenetur ad fructus, qui percipi potuerunt. 265
Spoliasse intelligitur etiam Judex ipse quibusdam casibus. 265
Spoliasse & is intelligitur, qui mandavit spoliari, aut spolium, suo nomine factum, ratum habuit, aut spoliatori successit in id vitium. 266
Spoliatis restitutio quibusdam casibus denegatur. Vide pag. 266. *& seq.*
Sponsalia quid sint. 149
Sponsalia contrahuntur re, verbis, literis, & consensu. 149
De sponsalibus, quæ per Procuratorem sunt contrahenda. Vide pag. 149
Sponsalia contrahuntur, aut purè, aut adiecta die, aut sub conditione. 150. *& seq.*
Sponsalia purè contracta inducunt impedimentum justitiæ publicæ honestatis. 150
Sponsalia contrahere non possunt minores septennio. 151
Impuperes volentes contracta sponsalia dissolvere, non sunt audiendi, sed expectandum ex tempus pubertatis eorum. 152
Mulier viri potens contrahens sponsalia cum impubere, non potest resilire: sed benè potest resilire impubes, factus pubes. 152
Sponsalia contrahentes, nisi rationabilis causa obsistat, debent com-

compelli ad contrahendum matrimonium. 152
Sponsi contracta sponsalia sibi invicem remittere possunt. 152
Sponsalia contracta à parentibus pro filiis puberibus, vel impuberibus, filios non obligant, nisi ipsi filii consentiant. 152
Sponsalia dissolvuntur pluribus modis, de quibus. Vide pag. 153 *cum seq.*
In sponsalibus pœnarum inanis omnis est adiectio. 154
Stupri pena. 335
Subdiaconi officium, & ætas. 59
Summus Pontifex est omnium ordinariorum ordinarius. 11
Summus Pontifex non potest recedere à legibus, nisi ex causa. 289
Suspectus Judex quis sit, & qualiter cognoscatur, & expediatur causa suspicionis. 231
Suspensio quid sit. 368
Suspensio Canonis. 368
Suspensio Judicis. 368
Suspensio solos clericos attingere potest. 369
Suspensione durante ingerens se divinis quando incurrat irregularitatem. Vide pag. 369

T

Terminus peremptorius. 247
Testimonium dicere non potest criminosus perseverans in crimine. Et an, & quando hoc possit criminosus emendatus. pag. 280
Testimonium ejus, qui integer deposuit, non infirmatur, quanquam is posteà factus sit criminosus. 281
Testes esse non possunt domestici, & similem habentes causam. 281
Testis esse non potest quis in causa, in qua fuit advocatus, vel procurator. Vide pag. 281
Testes esse possunt clerici super negotio propriæ Ecclesiæ, vel aliæ singulares personæ in causa suæ Universitatis. Vide pag. 280
Testimonium dicere possunt monachi de licentia Abbatis. 280
Testimonia christianorum adversus infideles admittuntur, sed non è contra. 280
Qui Testes ante litem contestatam examinavit ad perpetuam

rei memoriam, debet intra annum convenire adversarium, vel Testium receptionem illi denunciare. 270
Testium examen ex causa delegatur. 279
Testes recusantes ferre Testimonium, per censuras Ecclesiasticas *cogendi sunt. Nec obstabit Juramentum de non deponendo. pag.* 277. *& seq.*
Testes ad minus duo regulariter faciunt probationem. 278
Testi non jurato non creditur, nisi remittatur juramentum. 277
Testes considerantur Natura, Conditione, & Vita. 279
Ad Testes exhibendos tres dilationes dari possunt, & quandoque etiam quarta sub certo tamen Juramento. Vide pag. 281
Testes secundi possunt examinari contra primos, & etiam tertii cōtra secundos, non autem quarti contra tertios. 282
Testis, si erraverit, poterit incontinenti dictum suum corrigere. pag. 283
Testes iterum interogare potest Judex super omissis. 283
Testes repetere, & interogare potest Judex usque ad sententiā. 283
Testium dicta qualiter Judex pensare debeat. Vide pag. 283
Publicatis attestationibus, Testes examinari non possunt super eisdem, nec in prima, nec in secunda instantia: secus super emergentibus de novo. 282
Transactiones, Juri non contraria, sunt omninò servandæ. 241
Translatio quid. 47
Translationes institutæ sunt utilitatis, & necessitatis gratia. 47
Translationes Episcoporum ad solum Romarum Pontificem pertinent. 48
Transferre potest Episcopus benedificiatos de uno loco ad alium. 48

V

Vicarii Episcopi officium, & potestat. 41. *& seq.*
Vicarius Episcopi *potest Instituere presentatos.* 111
E*x facto Vicarii tenentur Episcopus.* 42
A Vicario appellatur ad Archiepiscopum, ab Archidiacono vero ad Episcopum. 44
Vicariam perpetuam obtinens debet in presbyterum promoveri. 43
Visitatores in Capitulo creandi, & quid agere debeant. 123. *& seq.*

Qui

Qui Visitare possint. Et *quæ sint à visitatoribus observanda.* 195
U*nio* Ecclesi*arum quid sit.* 186
U*niones aùt perpetuæ sunt, aut* T*emporales.* 186
U*nionum* Caus*æ sunt, aùt necessitas, aut utilitas.* 186
U*nire* Episcopat*us ad* R*omanum* P*ontificem pertinet, ad* Episcop*um verò spectat unio* Ecclesi*arum suæ diœcesis.* 186
U*nire non possunt* I*nferiores ab* Episcopo*, nisi jus uniendi præscripsissent, aùt nisi haberent in loco potestatem quasi* Episcop*alem.* *pag.* 186
U*nire* Eccles*iam propriæ mensæ, vel capitulo non potest* Episcopus. *pag.* 187
In unione facienda consensus capituli exigitur, & etiam illorum, qui per eam lædi possunt. 187
U*nio fit potissimum* T*ribus modis.* E*t de effectu unionis.* 187. *& seq.*
S*i* Ecclesi*a unius diœcesis,* Ecclesi*æ alterius diœcesis per* P*apam unita fuerit, non propterea à* J*urisdictione prioris* E*piscopi unita* Ecclesi*a eximitur.* 188
U*nionis dissolutio.* 188
U*nio* Ecclesi*arum, ipsis vacantibus, dissolvi non potest.* P*otest tamen etiam* V*acans* Ecclesi*a alteri* Ecclesi*æ uniri.* 188
V*ovens* R*eligionem, monasterium ingedi debet, non obstante, quod* P*rælaturam fuerit consecutus.* 120
U*otum solemne derogat simplici, & quid sit* V*otum simplex, & quid solemne.* 120. *& seq.*
U*sura quid sit.* 330
U*suram committit, qui perceptos fructus ex re pignorata non computat in sortem.* 330
S*unt tamen quidam casus, in quibus quis fructus perceptos in sortem computare non tenetur.* V*ide pag.* 333
U*surarii manifesti qui, & quibus pœnis puniantur.* 331
U*surarii, & eorum hæredes, usuras restituere cogendi sunt: etiāsi accipiens pecuniam ad usuram, de usuris nunquam repetendis juraverit.* 332
U*suras extortas à* C*hristianis,* J*udei restituere debent.* 332
U*sura non comittitur ubi percipitur aliquid loco interess*
A*n ille, qui dat v. g. decem solidos, ut alio tempore de totidem mensuræ grani, vini &c.* U*surarius censeri*

tempore solutionis dicta mensura plus valeant? Vide p. 333
An ille qui mutuam dat pecuniam, & ex eo, quod in se periculum suscipit, convenit ut recipiat aliquid ultra sortem, usurarius sit reputandus. Vide pag. 334
Uxor restituenda si timeat viri sævitiam, quid faciendum. Vide pag. 176

FINIS.